ONOMASTICON
RITUALE SELECTUM

AD USUM CUM CLERI TUM STUDIOSAE ECCLESIASTICARUM ANTIQUITATUM JUVENTUTIS

AUCTORE

FRANCISCO ANTONIO ZACCARIA

PRAEMITTITUR

EX CORNELII SCHULTINGII BIBLIOTHECA ECCLESIASTICA

PONTIFICIORUM DECRETORUM

DE IIS MAXIME QUAE ECCLESIASTICA OFFICIA ATTINGUNT

INDEX HISTORICUS

Cum antiquioribus aliis ejusmodi Indicibus collatus, notisque illustratus.

ACCEDIT VELUTI APPENDIX

Ratio instituendi Studii Ritualis, Onomastici hujus usu, Auctorumque, qui ibi indicantur, praesidio.

TOMUS PRIMUS.

FAVENTIAE MDCCLXXXVII.

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI ANTONII ARCHII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

Amplissimo ac Reverendissimo Patri

DOMINICO E MARCHIONIBUS MANCINFORTIIS

PATRITIO ANCONITANO

FAVENTINORUM ANTISTITI

Joseph Antonius Archius Felicitatem

DUM tota Faventinorum Civitas fauſtiſſimi tui adventus, Ampliſſime PRAESUL, laeto nuncio excitata, non obſcura publicae hilaritatis indicia meditatur, abſonum omnino videri poſſet, me tantis Tibi tuis beneficiis devinctum, me tuam in clientelam receptum, me

Digitized by Google

Typographi Epiſcopalis munere cohoneſtatum nihil moliri, quod & ampliſſimae dignitati tuae reſpondeat, & meam erga TE obſervantiam, cultumque patefaciat. Haec mihi vero mente verſanti peropportune occurrit celeberrimi Viri de re tota litteraria optime meriti, Tibique veteri neceſſitudine conjunctiſſimi *Franciſci Antonii Zaccariae* praeſtantiſſimum Opus, cui titulus *Onomaſticon Rituale ſelectum*. Quid ſit id lucubrationis, quibuſque commendandum nominibus, illi prorſus omnes noverunt, qui noverint, quae ſit, quantaque in Eccleſiaſticis potiſſimum rebus doctiſſimi Auctoris eruditio, quanti vetera Eccleſiae monumenta, veterumque ac recentiorum ſacrorum Rituum cognitio hiſce praeſertim miſerrimis, ac in deterius abeuntibus temporibus ſit facienda. Hoc ſi meis typis excuſum nunc potiſſimum temporis publici juris facerem, tuoque Nomini inſcriptum in vulgus emitterem, rem me facturum exiſtimavi, quae & dignitatem tuam deceret, & vitae meae inſtituto pro virium mearum imbecillitate conveniret. Quid enim Tibi gratius, acceptiusve eſſe poſſet, quam ſi Tibi Homini ſacro, ſacrarum rerum amantiſſimo, Urbem hanc ſacro imperio moderanti, Opus dicaretur, quod univerſam ferme ſacrorum Rituum Scien-

tiam

tiam complectitur? Verum ut ut facile ſciviſti, fraternum (ſi ita loqui fas eſt) Eccleſiaſticae eruditionis cimelium, Te auſpice, in propatulo exire, hancque ſimplicem meam obſequii & fidei ſignificationem aequo, bonoque animo excepiſti; ſic modeſtia, & abſtinentia tua ſtrenue obſtitit, ne quid eorum foras erumperet, quae in tui honorem quomodocumque cedere poſſent. Id ni obſtaret, quantus hoc loco tuis laudibus aditus pateret! Poſſem hic *Mancinfortiae*, *Sperelliaeque* Gentis, unde clariſſimam ducis originem, eximia plane decora in medium proferre, grandibuſque nominibus ſilentio praetermiſſis, qui & domi, & in bello ab omni retro aetate floruerunt, ut ad Te propius accederem, NICOLAUM commemorare, Senogallienſium primo, deinde Anconitanorum Pontificem, cui proh! quantum debet beatiſſimus Anconitanae Urbis Patronus *Kyriacus*, tum ob reperta ſacra ejus lypſana, tum ob nominis celebritatem, cultumque mirifice adauctum, propagatumque. Commemorarem & JOANNEM OCTAVIUM difficillimis apud Melitenſes, Florentinoſque Legationibus egregie functum, Theodoſiae Archiepiſcopum, purpureique honore Galeri merito inſignitum. Horum Tu veſtigiis inſiſtens, quibus non animum dotibus ditaſti! Qua

ful-

fulges pietate in Deum, charitate in egenos, prudentia in rebus gerendis, comitate in omnes! At frontem corrugas, gravique ſupercilio vetas, ne ultra progrediatur oratio. Non itaque Te pluribus, ampliſſime Praesul, detinebo; ſed imparem omnino tenuitatem meam laudum tuarum magnitudini aperte profeſſus de humanitate in me tua gratias ago, habeoque immortales, illud a Bonis Superis enixe rogans, ut diutiſſime Te incolumem, florentemque ſervatum velint ad nobiliſſimae gentis tuae, ad Faventinae praeſertim Eccleſiae felicitatem, & decus. Vale.

AU-

AUCTOR LECTORI
S.

QUid, *inquies forfaſſe, tuo hoc* Onomaſtico *opus? Equidem plura ejuſmodi lexica deſideramus a doctis viris vel ſolum coepta, vel etiam perfecta, in ſcriniis tamen Bibliothecarum latentia. Sic* NICOLAUS ANTONIUS *in* Bibliotheca Hiſpana *a* JOSEPHO STEVANO VALENTINO *incboatum, ſed morte abruptum laudat* Lexicon Eccleſiaſticarum vocum, phraſium, ac rituum veteris Eccleſiae Catholicae. SEBASTIANUM *quoque* PAULLUM *e Congregatione Matris Dei Virum praeſtantiſſimum ex* SARTESCHII *Bibliotheca ſcimus Lexicon ſacrorum Rituum Eccleſiae Graecae, & Latinae tomis omnino duobus comprebenſum paraſſe, quod in Bibliotheca Neapolitana* S. BIRGITTAE *MS. adſervatur. Etſi vero nobis baec deſunt, quid tamen? Si contractiora bujuſmodi lexica quaerantur (ut nihil dicam de* Lexico Eccleſiaſtico minori, *quod beterodoxus* JOH. ANDREAS SCHMID *Helmſtadii evulgavit A.* 1712. 8.) *prae-*

ſto

Digitized by Google

ſto ſunt GULIELMI BURII Onomaſticon vocum obſcuriorum, *quae in Miſſali, Breviario,* & *Martyrologio continentur, atque Anonymi, quem* P. SIANDAM *eſſe nonnulli ajunt*, Onomaſticon ſacrum *Romae editum Ann.* 1764.: *ſin majora quaedam, & ampliora,* CANGII *exſtat utrumque* Gloſſarium mediae Latinitatis, & Graecitatis, *quo ſacri Ritus, ac Ritualium librorum verba paſſim illuſtrantur; itemque* DOMINICI, & CAROLI *fratrum* MACRORUM Hierolexicon, *quod magnis, licet minus neceſſariis, locupletatum adceſſionibus,* STEPHANO SCIUGLIAGA *curante, prodiit* Bononiae 1765.: *Repono ſtatim, meum hocce* Onomaſticon *inter brevia illa, & iſthaec uberiora medium fore, ut neque parcitate quadam plurima ſcitu digna, atque adeo neceſſaria praetermittat, neque copia luxuriare quodammodo videatur.*

Illud ergo in hoc Onomaſtico *primum ſpectavi, ut quae in* Miſſalis, Breviarii, & Martyrologii *lectione occurrunt, verba explicarem; neque tamen* Rituales, & Caeremoniales S. R. E. *libros penitus praeterii. Deinde quae notiſſima ſunt, ea vel omiſi, vel pauciſſimis verbis interpretatus ſum, minus difficilia, obſcuraque brevi quoque explicatione propoſui; cetera fuſiore calamo pertractavi, illa praeſertim, quae ad ſcrutandas ſacrorum Rituum origines, variamque apud diverſas Eccleſias Diſciplinam illuſtrandam maxime faciunt.*

faciunt. Nam quum SIANDA, *ſeu quiſquis alius auctor fuerit indicati* Onomaſtici Sacri, *optimo ſane conſilio* Ambroſianos *ritus diligenter adnotarit, mihi aliarum quoque Eccleſiarum*, Gallicanae *cumprimis, &* Gotho-Hiſpanae *caeremonias, & conſuetudines proferre placuit.* Graeca *tamen vix adtigi, niſi quae verbis apud* Latinos *civitate fere donatis deſignantur; ea enim noſſe paucorum intereſt, qui quum larga librorum ſupellectile inſtructi plerumque ſint, non ſolum* CANGII Gloſſarium, *ſed etiam* NICERI Theſaurum, *alioſque id genus Tractatores conſulere facile poſſunt.*

Porro Auctorum, ex quorum libris plurima hauſi, locos integros ferme decerpſi. Id autem in anteceſſum moneo, ne plagii me accuſes, illorum, quos exſcribo, nomina me raro indicare; quod ea de cauſſa factum a me eſt, ne librorum deſignationibus chartas onerarem. Eorum tamen, ex quorum laboribus potiſſimum profeci, indiculum huic proemio ſubjectum invenies.

Praemiſi autem meo huic Onomaſtico Conſtitutiones, & Decreta Romanorum Pontificum *de iis maxime, quae Eccleſiaſtica officia attingunt, ſummo ſtudio accurate collecta, & in ordinem temporum redacta a* CORNELIO SCHULTINGIO T. I. Bibliothecae Eccleſiaſticae P. II. Sect. II. cap. XI. p. 179., *ſed cum duobus antiquis Pontificiarum ejuſmodi Conſtitutionum*

indi-

indicibus a Cl. Praeſule DOMINICO GEORGIO *editis a me collata, notiſque illuſtrata.*

Illud vero Ritualium rerum Studioſis longe utiliſſimum, quod Onomaſtico adtexui, RATIO *eſt* INSTITUENDI STUDII RITUALIS *Onomaſtici hujus noſtri uſu, Auctorumque, qui ibi indicantur, praeſidio: de qua in hoc opusculum Praefationem conſulito.*

Tu igitur, Lector humaniſſime, (neque enim in ipſo veluti Operis veſtibulo diutius detinendus es) ipſum tandem librum adi, novoque hoc ad ſacrorum Rituum juvandum, quoad licet, ſtudium ſuſcepto a me libenter labore, utere felix, & vale.

INDI-

Digitized by Google

INDICULUS
RECENTIUM SCRIPTORUM

Quorum ſententiae ipſorum plerumque verbis in hoc Onomaſtico recitantur.

ALBASPINAEUS (*Gabriel*) Aurelianenſis Epiſcopus. *De veteribus Eccleſiae ritibus, obſervationum libri duo.* Lutetiae Pariſiorum 1623. 4.

ALTAN (Comes *Fridericus*) *de Calendariis in genere, & ſpeciatim de Calendario Eccleſiaſtico.* Venetiis 1753. 8.

ANTONELLIUS (S. R. E. Cardin. *Nicolaus*). *Vetus Miſſale Romanum Monaſticum Lateranenſe cum Praefacionibus, notis, & appendice.* Romae 1752. 4.

De AZEVEDO (*Emmanuel*) Luſitanus. *Exercitationes Liturgicae; de divino Officio Exercitationum decades decem.* Romae 1750. 4.

BALUZIUS (*Stephanus*). *Reginonis* Abbatis Prumienſis *libri duo de Eccleſiaſticis diſciplinis.* Vindobonae 1765. 4.

BARONIUS (*Caeſar*) S. R. E. Cardin. *Martyrologium Romanum &c. Acceſſerunt notationes, & Tractatio de Martyrologio.* Romae 1630. fol.

BENEDICTUS XIV. *De Sacroſancto Miſſae Sacrificio....de Feſtis....de Synodo Dioeceſana.* fol.

De BERLENDIS (*Franciſcus*) Cler. Reg. *De oblationibus ad Altare.* Venetiis 1743. 4.

BONA (*Johannes*) S. R. E. Card. *De Divina Pſalmodia.* Item *Rerum liturgicarum*, edente *Roberto* SALA. Taurini T. III. fol.

BURIUS (*Guilielmus*) *Onomaſticon etymologicum Vocum obſcuriorum, quae in Miſſali, Breviario, ac Martyrologio Romano continentur.* In calce operis praenotati: *Romanorum Pontificum brevis notitia.* Patavii 1747. 8.

CANTELIUS (*Petrus Joſephus*). *Metropolitanarum Urbium hiſtoria Civilis, & Eccleſiaſtica.* Pariſiis 1684. 4.

CHIFFLET (*Petrus Franciſcus*) *Fulgentii Ferrandi Carthaginienſis Eccleſiae Diaconi opera cum notis.* Divione 1649. 4.

FASSONI (*Liberatus*) de CC. RR. Scholarum Piarum. *De puellarum monaſteriis Canone XXXVIII. Epaonenſis Concilii celebratis, Diſſertatio.* Romae 1757. 4.

FLEURY (*Claudius*). *Diſciplina populi Dei in novo Teſtamento* a Franc. Antonio Zaccaria Adnotationibus, ac Variorum Diſſertationibus illuſtrata. Venetiis 1761. T. II. 4. iterumque ibidem 1781. Tom. III. in 4.

GALLETTI (*D. Petrus Aloyſius*) tunc Abbas Benedictinus, nunc Cyrenenſium Epiſcopus. *Del Veſtarario della Santa Romana Chieſa.* Romae 1758. 4.

.... *del Primicerio della Santa Sede Apoſtolica, e di altri Uffiziali maggiori del Sacro Palagio Lateranenſe.* ibi 1776. 4.

GALLICCIOLLI (*Joh. Baptiſta*) *Iſagoge inſtitutionum Liturgicarum ad opera* S. GREGORII *Papae.* Extat T. IX. operum ejuſdem S. GREGORII M. Venetiis edit. in 4. MDCCLXXII.

GARAMPI (*Joſeph*) Apoſtolicus apud Aulam Caeſaream Nuncius eruditiſſimus. *Memorie Eccleſiaſtiche appartenenti all' Iſtoria, e al Culto della B. Chiara di Rimini.* Romae 1755. 4.

.... *Illuſtrazione di un antico Sigillo della Garfagnana.* ibidem 1759. 4.

GARNIER (*Johannes*). *Liber diurnus Romanorum Pontificum*. Pariſiis 1680. 4.
GEORGIUS (*Dominicus*). *De Liturgia Rom. Pontificis*. Romae 1731. 1734. T. III. 4.
GERBERT (*D. Martinus*). *Principia Theologiae Liturgicae*. Typis Monaſterii S. *Blaſii* 1759. 12.
GRANCOLAS (I.). *Commentarius hiſtoricus in Breviarium Romanum*. Venetiis 1734. 4.
.... *les Anciennes Liturgies*. Pariſiis 1704. 8.
.... *L' ancien Sacramentaire de l' Egliſe*. ibidem eodem anno. T. II. 8.
LAZERI (*Petrus*). *De arte Critica, & generalibus ejus regulis ad hiſtoriam Eccleſiaſticam relatis*, Exercitatio critica. Romae 1754. 4.
LESLAEUS (*Alexander*). *Miſſale mixtum dictum* Mozorabes *praefatione, notis, & appendice ornatum*. Romae 1755. 4.
MABILLON (*D. Johannes*). *Praefationes in Saec. Benedict.* Venetiis 1740. fol.
.... *De Liturgia Gallicana*. Pariſiis 1729.
.... *Commentarius in Ordin. Rom.* T. II. *Muſei Italici*. Pariſiis. 1724.
.... *Opera Poſthuma* T. III. 4. Pariſiis. 1724.
MACER (*Dominicus*). *Hierolexicon*. Venetiis 1712. 4. & Bononiae 1765. 4.
MARTENE (*Edmundus*). *De antiquis Eccleſiae ritibus &c.* Antuerpiae T. IV. fol.
MAZZOCHI (*Alexius Symmachus*). *Comment. in Kalendar. Neapolit.* Neapoli 1744. 1755. T. III. 4.
MERATUS (*D. Cajetanus Maria*) *in Gavantum*. T. II. fol. Venetiis 1740.
MORETTUS (*Petrus*). *Ritus dandi Presbyterium &c.* Romae 1741. 4.
MORISANI (*Joſeph*). *De Protopapis, Diatriba*. Neapoli 1768. 4.
PAOLI (*Sebaſtianus*). *De ritu Eccleſiae Neritinae exorcizandi aquam in Epiphania, Diſſertatio*. Neapoli 1719. 4.
PELLICCIA (*Alexius Aurelius*). *De Chriſtianae Eccleſiae, primae, mediae, & noviſſimae aetatis politia*. Neapoli 1777. ſeqq.
PETAVIUS (Dionyſius). V. *Fleury*, *Zaccaria*.
PLAZZA (*Benedictus*). *Chriſtianorum in Sanctos, Sanctorumque Reginam, eorumque feſta, Imagines, Reliquias propenſa devotio &c.* Panormi 1751. 4.
PRYLESZKY (*Joh. Baptiſta*). Tractatus Theologicus *de Sacramentis in genere, & in ſpecie de Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia*. Tyrnaviae 1757. 4.
.... *De Poenitentia, Extrema Unctione, Ordine, & Matrimonio*. ibidem 1759. 4.
ROSWEYDUS (*Heribertus*). *D. Paullini Epiſcopi Nolani opera*. Antuerpiae 1622. 8.
De RUBEIS (*Joh. Franc. Bernardus Maria*). *De vetuſtis Liturgicis, aliiſque ſacris ritibus, qui vigebant olim in aliquibus Forojulienſis Provinciae Eccleſiis, Diſſertatio*. Venetiis 1754. 4.
SELVAGGI (*Julius Laurentius*). *Antiquitatum Chriſtianarum inſtitutiones*, quae tamen non aliud ſunt, quam Catholicum BINGHAMI compendium. Neapoli 1772. ſeqq. 8.
SIANDA (*D. Johannes*). *Onomaſticon Sacrum tripartitum*. Romae 1764. 8.
SIRMONDUS (*Jacobus*). *Magni Felicis Ennodii Ticinenſis opera*. Pariſiis 1611. 8.
.... C. *Sollii Sidonii Apollinaris Arvernorum Epiſcopi opera*. ibid. 1614. 8.
TROMBELLIUS (*D. Joh. Chryſoſtomus*). *De Baptiſmo*, *Bononiae* 1769. 1772. T. IV. 4. & deinceps *de Confirmatione, de Extrema Unctione*, & *Matrimonio*.
VETTORI (Eques *Franciſcus*). *Diſſertatio Philologica, qua nonnulla monimenta ſacrae vetuſtatis ex Muſeo Victorio deprompta aeri inciſa tabula vulgantur, exponduntur, illuſtrantur*. Romae 1751. 4.
Vetus diſciplina Monaſtica. Prodit nunc primum opera, & ſtudio Presbyteri, & Monachi *Benedictini* e Congregatione S. *Blaſii*. Pariſiis 1726. 4.
VIGNOLI (Johannes). *Liber Pontificalis* T. III. 4. Romae 1754. 1755.
ZACCARIA (*Franc. Antonius*). *Theſaurus Theologicus*. Venetiis 1762. 1763. T. XIII. 4.
...... *Bibliothecae Ritualis* Tomus I. Romae 1776. 4. V. *Fleury*.

CONSTI-

CONSTITUTIONES ET DECRETA

ROMANORUM PONTIFICUM

cum de variis utiliſſimis rebus, tum maxime de iis, quae Eccleſiaſtica officia attingunt

A CORNELIO SCHULTINGIO

ſummo ſtudio collecta, & in ordinem temporum redacta in gratiam Eccleſiaſticae Antiquitatis Studioſorum.

NOVI EDITORIS PROOEMIUM.

Quam noſtro Onomaſtico *praemittimus, Pontificiorum ad Eccleſiaſtica officia maxime pertinentium Decretorum Collectionem, eam* Cornelio *SCHULTINGIO Steinvvichio debemus viro eruditiſſimo, & de Catholica re optime merito. Eam ille* Bibliothecae *ſuae* Eccleſiaſticae *A. MDXCIII. typis Colonienſibus evulgatae, atque apud nos perrarae* T. I. P. II. Sec. II. cap. XI. p. 179.-188. *exhibet, ad annum MXCVII. perductam. Monet autem Schultingius in margine, celeberrimum Antonium Auguſtinum Archiepiſcopum Tarraconenſem, quo tempore Romae GREGORII XIII. juſſu Gratianaei Decreti emendatio curabatur, aliquam hujuſmodi Collectionem ad Romanos Correctores miſiſſe: ejus enim & hi meminere in Indice, quem Decreto emendato praemiſerunt, librorum ad id a ſe inſpectorum. Hanc illi quidem videre non licuit; ſuam tamen ſe hauſiſſe ait,* ex fide dignis, antiquiſſimis, graviſſimiſque Scriptoribus *(quod utinam verum eſſet!)* nempe Iſidoro, Albino Diacono *(ſeu Alcuino)*, Amalario, Rhabano Mauro, Walafrido *(Strabone)*, Bernone, Micrologo, Ivone Carnotenſi, Honorio *(Auguſtodunenſi)*, Hildeberto, Ruperto Tuitienſi, Johanne Beletho, ex Cronicis Fratris Martini Poloni, Auctore Anonymo, Hermanno, Graeco Mss., Radulpho Rivio, & Platina.

Nos vero quum apud Cl. Dominicum Georgium in appendice praeclari operis de Liturgia Romani Pontificis T. III. p. 434. & 438. *Decreta Li-*

Digitized by Google

turgica Romanorum Pontificum ex duobus Reginae Svecorum Vaticanis Codicibus, altero XII. Saeculi, altero vetuſtiore X. deſcripta, offenderimus, cum his Schultingianam collectionem contulimus. Quod vero ad poſteriora tempora adtinet (nam quum Schultingius in anno MXCVII., *ut diximus, ſiſtat, eam nos ad totum XV. ſaeculum deduximus) duobus Chronicis ad id uſi ſumus, in quibus Martini Poloni Chronicon diutius protractum reperimus. Primum eſt Leonis Urbevetani Chronicon a Johanne Lamio in ſuis* Deliciis Eruditorum *A. 1737. Florentiae editum, quod ad Clementem V. A. 1314. fato functum perducitur. Alterum eſt Fr. Hieronymi Albertucci de Borſellis Bononienſis Chronicon, ſeu potius* Continuatio Chronici Martiniani *a Nicolao III. ad Alexandrum VI. a me primum vulgata T. II. mearum Italicarum Diſſertationum ad hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinentium* Diſſ. VII. p. 297. ſeqq.

Quia tamen fatendum eſt, antiquiora praeſertim, cum apud Schultingium, tum in Vaticanis Georgii Codicibus, ex commenticiis fere, aut dubiae ſaltem fidei monumentis prodiiſſe, adnotationes addidimus, ut & quae multis ſaeculis tributa Romanis Pontificibus ſunt, Lectores noſſent, nec tamen ſpecioſi antiquitatis obtentu in errorem pertraherentur. Hinc etiam Conſtitutiones in varios paragraphos diſpertiemur cum claritatis cauſſa, tum ne adnotationum numeri, ſi una eademque ſerie ducerentur, nimium excreſcerent.

S. PE-

§. I.

S. PETRUS.

Fr. Martinus *de Imperatoribus*, *&* *Pontificibus Romanis lib. IV. Chronicorum*.

Beatus Petrus Apoſtolus primus inſtituit ante Paſcha Domini Quadrageſimale jejunium, (1) & ante Natale tres hebdomadas & quartam imperfectam ab omni Chriſtiano inſtituit venerari, in commemorationem primi, & ſecundi Adventus Domini Noſtri JESU Chriſti.

Albinus *de divinis officiis c.* 71. Amalarius *lib.* 2. *cap.* 5., *& lib.* 4. *cap.* 39. Rhabanus *lib.* 1. *cap.* 3. Honorius *lib.* 1. *cap.* 15.

Fertur B. Petrus primo tonſuram ſibi feciſſe ad ſimilitudinem ſpineae Coronae Domini, ſive ut Clerici a Laicis non ſolum differant habitu, verum etiam tonſura. (2)

Euſebius *lib.* 1. *Eccleſiaſticae hiſtoriae cap.* 14. Frater Martinus. Vincentius Bellovacenſis *lib.* 9. *c.* 93.

Poſt Paſſionem Domini beatus Petrus Apoſtolus tenuit ſacerdotalem cathedram in partibus Orientis annis quatuor, (3) ubi primam Miſſam celebravit, dicendo ſolummodo *Pater noſter*. (4) Hic etiam fecit ordinationes menſe Septembri, (5) Epiſcopos ſex, (6) Presbyteros decem, (7) & Diaconos ſeptem.

Comeſtor *in acta Apoſtolorum cap.* 70.

De Petro certum habetur, quod Antiochiae Miſſam celebraverit.

Honorius *in gemma Animae lib.* 1. *cap.* 89.

Apoſtoli, & eorum ſucceſſores in quotidianis veſtibus, (8) & ligneis calicibus Miſſas celebraverunt.

Albinus.

Miſſam Petrus Apoſtolus primus omnium Antiochiae celebraſſe dicitur. In qua tres tantummodo orationes in initio Fidei proferebantur, incipientes ab eo loco, ubi dicitur: *Hanc igitur oblationem*.

Iſido-

Digitized by Google

Iſidorus *de Eccl. Off. lib.* 1. *cap.* 15.

Ordo Miſſae, vel Orationum, quibus oblata Deo ſacrificia conſecrantur, primum a Sancto Petro eſt inſtitutus, cujùs celebrationem uno, eodemque modo univerſus peragit orbis.

Damaſus. (9)

Hic ordinavit duos Epiſcopos, Linum, & Cletum, qui præſentialiter omne miniſterium ſacerdotale in urbe Roma populo, vel ad ſe venientibus exhiberent. Clementem Epiſcopum conſecravit, cui & cathedram, vel Eccleſiam omnem diſponendam commiſit, & hic fecit ordinationes per Menſem Decembrem, Presbyteros decem, Diaconos ſeptem, Epiſcopos per diverſa loca numero tres.

---

(1) Quadrageſimale jejunium ab Apoſtolica traditione inſtitutum paſſim tradunt Patres, Euſebius, Epiphanius, Theophilus Alexandrinus, Leo M., Petrus Chryſologus, ac praeſertim S. Hieronymus *Ep.* XXVII. ad *Marcellam*. Vide Natalem Alexandrum hac de re adverſus Dallaei figmenta differentem. Quae ſequuntur de Adventu, pia ſunt, nec tamen ullis certis teſtata tabulis.

(2) Confer Couſtantium *T. I. Epiſt. Rom. Pont. p.* 73. *ſeq.*

(3) Immo ſeptem. Vide Bollandianum Boſchium in *Hiſtoria Chronologica Patriarcarum Antiochenorum*.

(4) Cave id credas. Conſule *T.* 1. *Biblioth. Ritual.* meam *de jure Liturgico* diſſertationem *cap.* 11. *num.* 3. *ſeq. p. XV.*

(5) *Per menſes decembres*, Vignolii liber Pontificalis.

(6) Solum Vaticanum ejuſdem libri Pontificalis exemplum *ſex* Epiſcopos agnoſcit, *tres* tantum caeteri Codices MſſT. numerant; eoſque Linum, Cletum, & Clementem fuiſſe, Viri docti conjiciunt.

(7) Quorum unus Anacletus.

(8) De veſtibus, quas Apoſtoli in Sacrificio adhibuerunt, diſputat P. Honoratus a S. Maria in ſuis ad Critices regulas animadverſionibus.

(9) Cui olim liber Pontificalis tributus: qua de re Ciampinius in ejuſdem Libri *Examine*.

§. II.

Conſtitutiones LINI.

F. Martinus *anno a Chriſto nato* 57., *alias* 71. *Annal. l.* 3. *cap.* 2. Honorius *lib.* 1. *cap.* 146.

Hic ex praecepto beati Petri Apoſtoli conſtituit, ut mulier in Eccleſiam velato capite intret. (1)

Marianus Scotus *in Chronicis* ſic ſcribit.

Linus Chorepiſcopus (2) ſub Petro Apoſtolo exteriora curavit

per

Digitized by Google

per annos undecim, menſes tres.

Damaſus *in libro Pontificali*.

Hic fecit ordinationes duas, Epiſcopos quindecim, Presbyteros decem & octo.

(1) Vel, ut Georgianus ſecundus codex habet, *ut Mulier in Eccleſiam niſi velato capite non intraret*. Id porro a Paullo Apoſtolo praeſcriptum certo ſcimus I. *Cor. XI*.

(2) Linum *Chorepiſcopum* fuiſſe ex Iſidoro Mercatore Marianus mutuatus eſt adverſus omnium veterum fidem, qui Linum in Apoſtolica Petri Cathedra Epiſcopum ſediſſe ſcribunt.

§. III.

Conſtitutiones CLETI.

Hic Pontifex primus invenitur in litteris ſuis poſuiſſe: *Salutem & Apoſtolicam Benedictionem*; (1) hic etiam Pontifex omnibus populis ſcribens approbat, & commendat peregrinationes ad Sanctos, & maxime ad limina S. Petri, aſſerens, quod validior eſt ad ſalutem S. Petri viſitatio, quam duorum annorum jejunium: & illos anathemate execratur, qui viſitationem Apoſtolorum impediunt, vel diſſuadent. (2)

(1) Haec ex Martino Polono promta ſunt; quem Leo quoque Urbevetanus ſequutus eſt, ſilentibus libri Pontificalis codicibus, immo & Georgianis Decretorum Liturgicorum Libris MſſT. Nullum certe Pontificem verbis illis uſum fuiſſe ante Johannem V., & Sergium V. deprehendit Mabillonius *de re diplom. lib. V. p.* 436. *& lib. VI. p.* 622. Papebrochius vero in *Propylaeo Maji* ante Leonem IX., vel ſaltem Gregorium VII. formulam iſtam non fuiſſe ſtabili uſu receptam exiſtimat.

(2) Nugae a Cleti temporibus prorſus alienae.

§. IV.

Conſtitutiones CLEMENTIS I.

Hic etiam ſtatuit, ut baptizatus, prout citius poteſt, confirmetur; quia aliter non eſſet perfectus Chriſtianus, qui Confirmationem non neceſſitate, ſed injuria, aut volenter omitteret.

Hono-

Digitized by Google

Honorius *lib.* 1. *Gemmae animae cap.* 89.
Radulphus *propoſ.* 23.

Clemens tradente Petro uſum ſacrarum veſtium ex lege ſumpſit.

Radulphus *Propoſ.* 23.

Dominus vobiſcum; Et cum Spiritu tuo. Pax vobis. Amen, Apoſtôlicus ordo & tradente Domino dici docuit, & Clemens Papa, ſive Anacletus dici conſtituit. (1)

Iſidorus.

Hic ſeptem Regiones (2) diviſit Notariis Romanae Eccleſiae; qui geſta Martyrum per ſuam quiſque Regionem ſollicite perquirerent. (3)

(1) Falſa haec omnia.

(2) XIV. erant Regiones Urbis, eaſque in VII. contraxit.

(3) Hinc Notarii hi *Regionarii* dicti.

§. V.

Conſtitutiones ANACLETI.

Fr. Martinus.

HIc conſtituit, ut Clericus nec comam nutriret, nec barbam. Hic Pontifex monuit omnes fideles per epiſtolam, ut Presbyteri prae caeteris honorentur; dicens, quod Deo ſacrificantes non debent vexari, ſed portari, & ab omnibus venerari; & quod Presbyteri, quando ſacrificant, teſtes ſecum habeant, maxime Epiſcopi, ut Domino perfecte ſacrificare probentur.

Radulphus *Propoſit.* 23.

Anacletus a B. Petro quintus, & Soter in ordine decimus tertius eorum decretis firmaverunt, ut Sacerdos ſemper vel tertius eſſet, (1) dum Miſſas celebraret. De conſec. diſt. 1. can. 61. *Hoc quoque ſtatutum eſt &c.* (2)

(1) Duobus ſcilicet ſibi adſtantibus, & reſpondentibus. Hoc decretum ab aliis Soteri tribuitur. Vide Couſtantium *p.* 83.

(2) Sumpta haec nomina ſunt ex ſubdititiis Anacleti Epiſtolis, quas Iſidorus Mercator confinxit.

§. VI.

§. VI.

Conſtitutiones EVARISTI.

Fr. Martinus.

HIc titulos in urbe Roma diviſit, (1) & ſeptem Diaconos conſtituit, qui cuſtodirent Epiſcopum praedicantem propter ſtylum erroris, qui poſſit imponi Epiſcopo ab aemulis; & ſic infametur Epiſcopus, & verbo divino detraheretur ab inſidiatoribus. (2) Conſtituit etiam, ut conjugium a parentibus publice ſponſetur, & demum a Sacerdote benedicatur ſolemniter. (3)

(1) Presbyteris. De Titulis vero ab Evariſto diviſis extat praeclara Antonelli Praeſulis diſſertatio.

(2) *Propter ſtylum veritatis* hoſce Diaconos conſtitutos fuiſſe Liber Pontificalis ait, vel confirmandum in teſtimonium veritatis ab Epiſcopo adſertae, ut hic innuitur; quamobrem hi Diaconi *teſtimoniales* appellati ſunt; vel addiſcendum in miniſterio praedicationis, ut Cl. Blanchinius interpretatur.

(3) Id oppido falſum.

§. VII.

Conſtitutiones ALEXANDRI I.

Fr. Martinus. Walafridus *cap.* 29. Author anonymus *lib.* 7. *cap.* 61. G. Durandus *lib.* 4. *cap.* 41. *num.* 2. Vincentius *lib.* 11. *cap.* 74.

HIc conſtituit aquam aſperſionis cum ſale benedici, & in habitaculis hominum aſpergi. (1)

F. Martinus. Iſidorus.

Hic ob memoriam Paſſionis Chriſti in Canone addidit: *Qui pridie, quam pateretur.* (2) Hic etiam ſtatuit, ut vino aqua miſceretur in Miſſa (3) ad deſignandam unionem Chriſti cum Eccleſia; & ut oblatio fieret ex azymo, & in modica quantitate, dicens: *haec oblatio quanto potior, tanto rarior.* (4)

(1) *Id* ipſum narrat liber Pontificalis; hincque Iſidorus materiem ſumpſit epiſtolae I., quam Alexandro ſuppoſuit.

(2) Georgianus Decretorum Codex II. id ita

id ita explicat, vel potius immutat; ut velit, Alexandrum inſtituiſſe, *ut Paſſio Domini in Miſſarum celebratione legeretur.*

(3) Omittit haec verba *in Miſſa* Leo Urbevetanus: ſed nonniſi de Miſſa intelligi hoc comma poteſt. Neque tamen id crediderim. Antiquius hoc eſt, & ex ipſa *Dominica traditione* profectum, ut docet S. Cyprianus *ep. 63. ad Caecilium.*

(4) Haec eadem Alexandro tribuit Leo Urbevetanus, Martinum utique ſequutus.

§. VIII.

Conſtitutiones SIXTI I.

Fr. Martinus. Albinus. Berno *cap.* 1. Micrologus *cap.* 11. Honorius *lib.* 1. *cap.* 89. Radulphus *propoſit.* 23. *de Canonum obſervantia.*

Hic conſtituit, ut diceretur in Miſſa: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* (1)

Fr. Martinus.

Hic conſtituit, ut corporale non fieret ex ſerico, ſed de puriſſimo lino contexto, non tincto.

Iſidorus.

Et ut mulier ſacra vaſa Altaris, & pallas non tangeret. Hic etiam conſtituit, ut quicumque Epiſcoporum vocatus ad Sedem Apoſtolicam fuiſſet, rediens ad Eccleſiam ſuam non ſuſciperetur, niſi in litteris papalibus. (2)

Idem.

Et myſteria ſancta (3) non tangerentur, niſi a Miniſtris.

(1) Mirum eſt, Iſidorum, qui poſtrema duo decreta epiſtolae ſecundae, quam ſub Xiſti nomine venditavit, inſeruit, de primo hoc ſiluiſſe. Confer Vignolium T. I. *libr. Pont. p.* 23.

(2) Intellige quae ſunt *formatae*, ut ait Auctor libri Pontificalis.

(3) *Sacrata*, lib. Pontific., & Leo Urbevetanus, ſeu vaſa ſacra. Vide Conſtantium *p.* 58. n. 5.

§. IX.

§. IX.

Conſtitutiones TELESPHORI.

Fr. Martinus. Albinus. Amalarius *lib.* 3. *cap.* 8. Rhabanus *lib.* 1. *cap.* 32. Walafridus *cap.* 22. Berno *cap.* 2. Micrologus *cap.* 2. *&* 46. Radulphus *de obſervantia Canonum propoſ.* 13. *&* 23. Honorius *in Gemma Animae lib.* 1. *cap.* 87. Platina. Iſidorus.

Hic conſtituit, ut Miſſam ante Tertiam nullus praeſumat canere; (1) item hymnum angelicum ante ſacrificium cantare, (2) & in Natali Domini tres Miſſas cum gloria in excelſis. (3)

Iſidorus.

Septem hebdomadarum jejunium ante Paſcha plene jejunandum, maxime Clericis, praecepit, dicens: *Sicut diſcreta debet eſſe vita Clericorum a laicorum converſatione; ita & jejunii debet eſſe diſcretio: has ergo ſeptem hebdomadas omnes Clerici a carne, & deliciis jejunent.* (4)

Iſidorus.

Tres autem Miſſas in Natali Domini Chriſti inſtituit, primam in pullorum cantu circa mediam noctem, quando Chriſtus in Bethlem naſci dignatus eſt: ſecundam circa auroram, quando Chriſtus in incunabulis eſt adoratus a Paſtoribus: tertiam in hora diei tertia, quando illuxit nobis dies redemptionis noſtrae.

---

(1) Id aegre ſibi perſuadeat, qui antelucanos Chriſtianorum coetus, & quae vel ipſis S. Leonis M. temporibus in uſu fuit, Sacerdotalem, vel Leviticam ordinationem, utique non ſine Miſſae celebratione peractam *poſt diem Sabbati ejus noctis, quae in prima Sabbati luceſſit exordiis* (*ep. S. Leon. XI. n.* 2.) norit, perpenderitq.

(2) Eratne Teleſphori aevo hymnus hic Angelicus *ab Eccleſiaſticis Doctoribus* ut ait Toletanum IV. Concilium *can.* 4. compoſitus? Ad ſummum, quae hic dicuntur, vera eſſe poſſunt, ſi *Angelici hymni* nomine ſola Angelorum verba intelligantur.

(3) Id hauſtum ex ſubdititia Iſidori Ep.

(4) Et hoc ad Iſidori merces ablegandum. Nam & ab ipſo Petro, caeteriſque Apoſtolis Quadrageſimalis jejunii inſtitutio profluxit, ut ſupra monuimus, & ſeptem hebdomadarum jejunium, a Septuageſima ducto initio, commentitium eſt, licet & in ſuppoſititio Ambroſii *de Septuageſima* ſermone, & in nonnullis Euſebiani Chronici editionibus idem praeceptum a Teleſphoro dicatur. Dixeris fortaſſe, Iſidorum ſolis Clericis tot hebdomadarum jejunium injunctum adfirmare. Verum quum is hujus confingendi praecepti occaſionem ſumpſerit ex libro Pontificali, ubi generatim dicitur: *hic conſtituit, ut ſeptem hebdomadas ante Paſcha jejunium celebrare-*

tur,

tur, hoc ipſum de ſolis Clericis pronunciatum, Iſidori effraenem quamdam ſive in cudendis, ſive in interpolandis quibuſlibet monumentis licentiam magis prodit.

§. X.

Conſtitutiones HYGINI.

Iſidorus.

HIc Clerum compoſuit, (1) & gradus diſtribuit. (2)

Hic conſtituit, ut unus patrinus, vel matrina ſuſcipiat levatum a fonte Baptiſmi: ſimiliter & in Confirmatione, & Catechizatione. (3)

Inſuper ſtatuit, quod, excepto Romano Pontifice, nullus Metropolitanus audiat cauſſam ſui Epiſcopi ſuae Provinciae, nec eum condemnet, niſi cauſſa in conſpectu Epiſcoporum comprovincialium ſuorum fuerit diligentiſſime ventilata. (4)

Scripſit omnibus fidelibus generalem epiſtolam de Deo trino & uno, & de Dei Filii incarnatione plenam fidem catholicam continentem. (5)

---

(1) Quod ad mores adtinet

(2) Hoc eſt, vel certa Clericis diſtribuit officia, ut interpretatur Blanchinius, vel ut Vignolio placuit, effecit, ut quisque in ſuo gradu atque ordine conſiſteret.

(3) Conſuetudo quidem adhibendi ſuſceptores ab ipſis Eccleſiae primordiis obtinuit; vix tamen eam ab hoc efluxiſſe decreto crediderim, quod Veteribus omnibus, ipſique libro Pontificali incompertum fuit. Videtur tamen hocce decretum, quod & Gratianus, & Ivo laudant, ex Theodori Cantuarienſis Poenitentiali *cap.* 4. non ſine aliqua interpolatione compoſitum.

(4) Fictitia iſthaec ſunt.

(5) Intellige epiſtolam ex Iſidori officina ad nos derivatam.

§. XI.

Conſtitutiones PII I.

Iſidorus.

HIc conſtituit haereticum venientem ex Judaeorum haereſi ſuſcipi, & baptizari. (1) Hic fecit ordinationes quinque. (2)

Hic

Hic ſtatuit, ut Paſcha Domini dominica die celebraretur. (3)

(1) Judaeos hoſce Cerinthum praeſertim, & Ebionem intellige, qui *legis caeremonias Chriſti Evangelio miſcuerunt; & ſic nova confeſſi ſunt, ut vetera non amitterent*, quemadmodum Hieronymus ait *ep.* 89. ad Auguſtin.

(2) *Per menſes Decembrios*, addit liber Pontificalis.

(3) Ex libro *Paſtoris*, ſeu Hermae haec prompta ſunt, apocrypho illo quidem, ſed antiquiſſimo, atque utili, ac a Veteribus ſaepe laudato. Hermae tamen locus de Paſchate ex libris Hermae, qui exſtant, excidit. Iſidorus hinc primum Pii epiſtolam confinxit. Neque tamen Pius licet ſubdititius negat, a Petro Romanam Eccleſiam id accepiſſe, ſed ait, Hermam ab Angelo idem edoctum fuiſſe, ut dubitantes corroboraret.

§. XII.

Conſtitutiones ANICETI.

Iſidorus.

HIc conſtituit, ut Clericus non nutriret barbam vel comam: & ut haberet coronam in modum ſphaerulae. (1)

Hic conſtituit, (2) ut Epiſcopus conſecrari non debeat, niſi ad minus a tribus Epiſcopis: nam & Apoſtoli, ſicut ipſe aſſerit, hoc ſervarunt. Si autem Archiepiſcopus eſt conſecrandus, omnes comprovinciales Epiſcopi debent adeſſe, ſicut omnes tenentur ei obedire.

Idem ſtatuit, ut ſi aliquis Epiſcopus habeat aliquid erga ſuum Archiepiſcopum, non alias eſt deferendum, niſi ad Primatem, vel ad Sedem Apoſtolicam.

Hic etiam ſtatuit, ut nulli Archiepiſcopi Primates vocentur, niſi illi, qui primas tenent civitates: quarum Epiſcopos Apoſtoli, vel ſucceſſores eorum regulariter Patriarchas eſſe conſtituerunt: ſed Metropolitani nominentur.

(1) Vetitum ab Aniceto Clericis *comam nutrire*, aſſerit etiam liber Pontificalis, & decretorum Georgianorum ſecundus Auctor. Quae de barba hic adduntur, a Martino quoque, & Leone Urbevetano in ſuum Chronicon illata, ex Iſidorianis fictitiis epiſtolis fortaſſe prodierunt.

(2) Ex his certe hoc; caeteraque; quae ſequuntur, decreta habuimus.

§. XIII.

Conſtitutiones S. SOTERIS.

Iſidorus.

Hic conſtituit, ut nulla Monacha (1) pallas ſacratas tangeret, nec incenſum poneret in ſancta Eccleſia, & ut velum portet.

Conſtituit etiam, ut legitima non habeatur uxor, niſi quae per ſacerdotem fuerit benedicta, & a parentibus ſolemniter fuerit tradita, & a Paranymphis cuſtodita; cavens multis periculis, quae ſolent circa matrimonium contingere. (2)

(1) Quod mulieribus generatim §. VIII. a Sixto I. vetitum fuit, idem hic *Monachae* a Sotere interdictum videmus. Liber Pontificalis idipſum habet, uno omiſſo velo. Sed praeter inſolens hoc aevo *Monachae* nomen, animadverto, Zachariam Papam a Bonifacio Moguntino interrogatum, num *Monachis, id eſt ancillis Dei*, quaedam in Eccleſia obire munera liceret, nonniſi Gelaſii in epiſtola ad Epiſcopos per Brutios, Lucaniam, & Siciliam conſtitutos id negantis verba adtuliſſe, quin Soteris, aut etiam Bonifacii I., cui idem Decretum tribuitur, meminerit. Vide Couſtantium *p.* 85. *ſeq.*

(2) Suppoſititia haec ſunt, atque Iſidoro digna.

§. XIV.

Conſtitutiones ELEUTHERII.

Iſidorus.

Hic firmavit, (1) ut nulla eſca, quae fieret uſualis, (2) a Chriſtianis repudiaretur, maxime fidelibus, quae rationabilis, & humana eſſet; quod Apoſtoli firmaverunt, ſuo decreto confirmavit, & renovavit.

Hic accepit a Lucio rege Britanno epiſtolam, ut Chriſtianus per ejus mandatum fieret. (3) Tunc Papa miſit duos religioſos viros, videlicet Fuganum, (4) & Damianum, qui regem praedictum, & populum baptizarent. Erant tunc in Britannia vigintiocto Pontifices Idolorum, quos Flamines vocabant, inter quos tres Archiflamines erant. Sed praedicti Sancti de mandato Apoſtolico, ubi erant Flamines, inſtituerunt Epiſcopos: ubi Archiflamines, Archiepiſcopos. Sed ſub Dio-

cletiano

cletiano omni fere religione extincta ad Idololatriam rediit.

Hic etiam beatus Pontifex ſtatuit, (5) ut nullus a ſuo officio dejiceretur, niſi primum eſſet accuſatus: aſſerens, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus Judam furem eſſe ſciebat, ſed quia non eſſet accuſatus, ideo nec etiam dejectus: & quidquid interim inter Apoſtolos egit, pro dignitate miniſterii ratum manſit.

Prohibuit etiam, ut abſente cujus cauſa ventilaretur, ſententia nullatenus proferatur.

---

(1) Huic Eleutherii Decreto occaſionem Encratitae, & Cataphryges praebuerunt, qui a pluribus eſcis ſuperſtitioſo ſeſe cultu continebant. Vide Couſtantium *p.* 90. §. 2. *n.* 2.

(2) Communis nempe, & uſui humano accommodata. Ex hoc Decreto Pſeudo-Iſidorus neſcio quam Eleutherii ad Galliarum Epiſcopos epiſtolam fabricatus eſt.

(3) Haec vera ſunt, & a Beda *lib. I. Hiſt. Gent. Anglor. cap.* 4. confirmantur: Quae de Flaminibus, atque Archiflaminibus ſequuntur, idoneum teſtem deſiderant, licet Martino, & Leoni credita.

(4) *Fugacium* alii appellant. Confer Alfordi Ann. Eccl. & Civiles Britannorum ad ann. 183. §. 4.

(5) Hoc, & ſequens Decretum Martini Poloni, & Leonis Urbevetani nititur credulitati.

§. XV.

Conſtitutiones VICTORIS.

Iſidorus.

Hic conſtituit ſanctum Paſcha dominica die celebrari, ſicut & Eleutherius, (1) a quarta decima luna primi menſis uſq. ad vigeſimam primam.

Hic ad Sacerdotum interrogationem de termino paſchali celebravit Concilium. (2)

Celebratum eſt autem propter hoc Concilium in Alexandria Palaeſtinae, cui interfuit ipſe Papa Victor, Narciſſus Patriarcha Hieroſolymitanorum, Theophilus quoque Caeſarcae Epiſcopus, (3) & Irenaeus Lugdunenſis Epiſcopus. (4) Ubi ſtatutum eſt, ut ſemper die Dominica Paſcha celebretur, obſervata decimaquarta luna Menſis Aprilis, uſque ad vigeſimam primam. Multi enim tunc Epiſcopi Aſiae, & Orientis cum Judaeis Paſcha celebrabant.

Hic conſtituit, ut neceſſitate cogente quicumque hominum (5) ſive in flumine, ſive in fonte, ſive in mari tantum, chriſtiana con-

feſſio-

feſſione credulitatis clarificata, baptizarentur.

---

(1) Alia Libri Pontificalis exempla habent, *ſicut & Pius*.

(2) Romae ſcilicet.

(3) *Caeſareae* ſcribi debuit; ſed Martini oſcitantia uti prius Leonem, ita Schultingium deinde decepit.

(4) Quid ad hoc Concilium Irenaeus? Scripſit ille quidem pacis cauſſa hac de controverſia ad Irenaeum; eum Palaeſtino interfuiſſe Concilio non credam.

(5) Ut ut eſt de hujus decreti veritate, cui tamen libri Pontificalis auctoritas favet; intelligendum illud praecipue de adultis videretur, licet etiam Victoris ſaeculo, atque adeo Apoſtolico; pueris quoque Baptiſma conferri conſueſſet.

§. XVI.

Conſtitutiones ZEPHYRINI.

Fr. Martinus.

Hic conſtituit in praeſentia omnium Clericorum, & Laicorum fidelium, ut omnes Chriſtiani annorum duodecim Euchariſtiam in die Paſchae accipere deberent. (1)

Iſidorus. Johannes Belethus *cap.* 42.

Hic etiam ſtatuit, ut Patriarcha, vel Primas, vel Metropolitanus contra accuſatum Epiſcopum ſententiam non proferant, niſi prius fulti auctoritate Apoſtolica: (2) & ut ordinationes Praesbyterorum, aut Levitarum tempore ſtatuto, & coram multis aſtantibus ſolemniter fierent de approbatis, & doctis viris. (3)

---

(1) Ita etiam Leo Urbevetanus: nihil tamen de hoc Decreto habet Liber Pontificalis, quem deinceps Anaſtaſii nomine deſignabo: immo vereor, ne falſum ſit, quum antiquitus vel ipſi infantes rationis uſu carentes Euchariſtiam acciperent.

(2) Vere Iſidorianum Decretum, atque adeo falſum.

(2) Hujus Decreti praeter Anaſtaſium meminit Decretorum Liturgicorum auctor ſecundus apud Georgium: hincque Iſidorus poſteriori e duabus epiſtolis, quas Zephyrino adſcripſit, illud inſeruit; quod tamen ad Apoſtolos potius, quam ad Zephyrinum, ſcitiſſime refert Couſtantius *p.* 112. *n.* 2. Addit ex Martino Leo Urbevetanus de Zephyrino aliud Decretum, quod a Schultingio omiſſum miror: *Et fecit ſtatutum in Eccleſia, ut omnia vaſa altaris eſſent vitrea, vel ſtannea*: qua de re adi Bonam *de rebus Liturg.* & Georgium *T. II. de Liturg. Rom. Pont. in diſquiſitionibus de Sacro miniſterio cap.* 3.

§. XVII.

§. XVII.

Conſtitutiones CALLIXTI I.

Iſidorus. Johannes Belethus *cap.* 134.

Hic conſtituit jejunia quatuor Temporum. (1)

(1) Alii tamen Codices habent: *Hic conſtituit jejunium die Sabbati ter in anno fieri*; ſeu rectius decreta Georgii Liturgica *p.* 438. *Inſtituit ter in anno in Sabbatis jejunium fieri ob gratiarum actionem, ſcilicet propter frumenti perceptionem, vini & olei juxta prophetiam (Zach. VIII. 19.)* Iſidorus utramque lectionem, nempe *ter*, & *quater*, quum in libri Pontificalis Codicibus deprehendiſſet, componere conatus eſt in epiſtola Callixto a ſe ſuppoſita. Sed de quatuor Temporum jejunio, ejuſque auctore, praeter Natalem Alexandrum *in Saec. II. diſſ. IV. art.* 2. conſule Tomo I. *Diſciplinae* Fleurianae *populi Dei p.* 186. & *p.* 200. Venetae ſecundae editionis diſſertationes duas, Muratorii alteram, alteram Fr. Ioh. Hyacinthi Sbaraleae.

§. XVIII.

Conſtitutiones URBANI I.

Johannes Belethus *cap.* 42.

Hic de regione via lata fecit miniſteria ſacrata omnia argentea, vel aurea, vel ſtamnea, eum prius eſſent vitrea.

Damaſus. (1)

Hujus tempore coepit primum Romana Eccleſia praedia poſſidere, de quibus ſanctus Urbanus Clericis, & Notariis, qui geſta Martyrum conſcribebant, ſumptus deputabat. Antea enim Eccleſia vivebat ad inſtar Apoſtolorum, pecunias tantummodo recipiens pro egenis. (2)

(1) Idipſum habent Martinus, & Leo. Sed Anaſtaſius aliter: *Hic fecit miniſteria omnia ſacrata argentea, & patenas argenteas XXV.* (pro quolibet nempe titulo) *poſuit.*

(2) Incertum.

§. XIX.

Conſtitutiones ANTERI.

Iſidorus.

Hic conſtituit, ut Epiſcopi poſſent de ſede transferri, (1) & ut geſta Martyrum ſciberentur per Notarios, & in Eccleſiae

aerarium reponerentur. Wicelius in *epitome Romanorum Pontificum*. (2)

(1) Id ex falſa Iſidori epiſtola tranſierat ante Wicelium in Martini & Leonis Chronica.

(2) Accuratius Anaſtaſius: *Hic geſta martyrum diligenter* a Notariis (quos antea S. Clemens inſtituerat) *exquiſivit, & in Eccleſia*, (ſcilicet archivo, vel Bibliotheca, non in aerario Wiceliano) *recondidit.*

§. XX.

Conſtitutiones FABIANI.

Iſidorus.

ISte diviſit regiones Diaconis, & fecit ſeptem Subdiaconos, qui ſeptem Notariis imminerent, ut geſta Martyrum in integrum colligerentur. (1)

Et ut omni anno in coena Domini chriſma conſecraretur. (2)

Fabianus iſte, cum de quodam loco reverteretur cum amicis ſuis, Papa defuncto, & cum de futuri Papae electione populus loqueretur, adfuit inter ipſos, exitum rei expectans; & ſubito candida columba ſuper caput ejus deſcendit de caelo dicens: *Romae Epiſcopus ordinaberis*. (3) Qui ſic divinitus electus poſt laudabilem vitam a Decio pro fide decollatus eſt. (4)

(1) *In integro fideliter colligerent*, Anaſtaſius Vignolii.

(2) Ex epiſtola Iſidori.

(3) Vide Euſebium *l. VI. hiſt. Eccl. cap.* 29.

(4) A. 253. XIV. Kal Februarias.

§. XXI.

Conſtitutiones CORNELII.

Martinus.

HIc conſtituit, ut Sacerdotes, ſi vellent, pro juſta cauſſa poſſent jurare. (1)

Iſidorus.

Hic rogatus a quadam matrona Lucina, corpora Apoſtolorum de catacum-

catacumbis levavit noctu, & poſuit corpus Pauli in via Oſtienſi, ubi decollatus eſt: Petri vero juxta locum, ubi crucifixus eſt, inter corpora Sanctorum in templo Apollinis in monte aureo Vaticano Palatio Neronis tertio Kalendas Julias. (2)

(1) Idem decretum habes apud Leonem Urbevetanum.

(2) Adi Vignolium ad Anaſtaſium T. I. p. 48.

§. XXII.

Conſtitutiones LUCII I.

Iſidorus.

Hic conſtituit, ut duo Presbyteri, & tres Diaconi ſemper ſint cum Epiſcopo, propter ſtylum erroris. (1)

(1) *Propter teſtimonium Eccleſiaſticum.* V. ſupra ubi de *Evariſto.*

§. XXIII.

Conſtitutiones STEPHANI.

Martinus. Albinus Diaconus. Amalarius *lib.* 2. *cap.* 16. Iſidorus.

Hic conſtituit Sacerdotes, & Levitas veſte ſacrata quotidiano uſu non uti. (1)

Demum Miſſam celebrans in ſua ſede decollatus eſt. (2)

(1) Vide Anaſtaſium, & utrumque decretorum Liturgicorum Auctorem apud Anaſtaſium.

(2) Ejus corpus cum Cathedra Piſas translatum fuit.

Digitized by Google

§. XXIV.

Conſtitutiones SIXTI II.

Martinus.

HIc conſtituit, ut Miſſa celebraretur ſuper altari, quod ante non fiebat. (1)

(1) Quis hoc credat?

§. XXV.

Conſtitutiones DIONYSII.

Iſidorus. (1)

HIc Parochias, & Caemeteria diviſit, & unicuique jus proprium ſtatuit: mandans, ut ſinguli terminis ſuis contenti eſſent, & alienos non uſurparent: hic in orbe diviſit Parochias, ſingulis ſingulos dans Presbyteros.

(1) *Ep. II.*

§. XXVI.

Conſtitutiones FELICIS I.

Iſidorus.

HIc conſtituit ſuper memorias Martyrum Miſſas celebrari. (1)

(1) Sed non primus conſtituit.

§. XXVII.

Conſtitutiones EUTYCHIANI.

Iſidorus.

HIc conſtituit, ut fabae primaę & fruges ſuper altari benedicerentur. (1)

Baro-

Baronius *tom. II. Annal. fol.* 659.

Et conſtituit, ut quicumque ex fidelibus Martyrem ſepeliret ſine Dalmatica, & (aut) colobio purpurato, nullatenus ſepeliret. (2)

(1) *Fruges ſuper altare, & fabae primae*, Leo Urbevetanus. Aſt Anaſtaſius (neque admodum diſſentit Gregorianus Auctor ſecundus): *fruges ſuper altare fabae tantum, & uvae benedici*, ex tot aliis terrae primitiis: in quem Anaſtaſii locum confer Vignolii adnotationem.

(2) Ante hoc Euthychiani decretum conſueverant Chriſtiani ſacra Martyrum corpora cum linteis ipſorum ſanguine reſperſis ſepelire. Verum Euthychianus vindicandorum Martyrum curam promovens caute praecepit, ut in ipſa eorum depoſitione certa martyrii indicia adderentur, Colobium, inquam, aut Dalmatica, non qualiſcumque, ſed purpurata, ut quae *purpuratos* Martyres involvere debebat. Quid porro Colobium, quid Dalmatica ſit, ex Onomaſtico noſtro intelliges.

§. XXVIII.

Conſtitutiones CAII.

Iſidorus.

Hic conſtituit, ut omnes ordines ſic in Eccleſia aſcenderent, ut ſi quis dignus eſſet, primo Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, deinde Epiſcopus ordinaretur. (1)

Hic conſtituit, Paganos, & Haereticos non poſſe accuſare Chriſtianos, aut vocem infamationis inferre.

Item: ut nemo Epiſcopum, aut reliquos Clericos apud Judices ſeculares accuſare praeſumat. (2)

Hic Romae regiones diviſit Diaconibus, (3) ut geſta Martyrum requirerent, & conſcriberent, ac etiam alia negotia pertractarent. Hoc ipſum ſtatuit fieri in omnibus urbibus populoſis; ita tamen, ut quaecumque difficiles quaeſtiones per ſingulas Provincias exortae fuiſſent, ſemper ad Sedem Apoſtolicam referrentur.

(1) Non indigemus teſte Iſidoro, quum idipſum Anaſtaſius tradat. Couſtantius multum ſeſe fatigat, ut hocce decretum, quo nonniſi antiqui ſuper ordinationibus Eccleſiae Romanae mores confirmantur, Cajo abjudicet.

(2) Duo iſta decreta, quae Martinus quoque, & Leo adferunt, ex ſuppoſititiis Iſidori epiſtolis ſumpta ſunt.

(3) Quae tertia Eccleſiaſtica regionum diviſio fuit. Clemens enim ſeptem Notariis; ſeptem Diaconibus, ſed totidem Subdiaconis, qui Notariis imminerent, conſtitutis, Fabianus diviſerat. Hujus inſtitutum, quod fortaſſe in deſuetudinem abiiſſet, Cajus innovavit. Caetera, quae ſequuntur, Iſidoro tribue.

§. XXIX.

§. XXIX.

Conſtitutiones MARCELLI I.

HIc conſtituit quindecim Cardinalatus (1) in Urbe Roma propter Baptiſmum, & ſepulturas hominum.

(1) Ita etiam Leo Urbevetanus; ſed ex Anaſtaſio dic. XXV. Titulos.

§. XXX.

Conſtitutiones EUSEBII.

Iſidorus.

HUjus tempore, ſicut ipſe in epiſtola ſua (1) ſcribit, inventa eſt ſancta Crux (2) Hieroſolymis. Et ideo ipſe inſtituit *inventionem ſanctae Crucis ſolemniter celebrari*.

(1) Ab Iſidoro conficta.

(2) Crucem Dominicam non Euſebio, ſed Silveſtro Pontifice Helena invenit. Vide meam *de Inventione Crucis* diſſertationem.

§. XXXI.

Conſtitutiones MELCHIADIS.

Iſidorus.

HIc conſtituit, ut nulla ratione ageretur jejunium die Dominica, vel die Jovis, quia eos dies Pagani quaſi *ſacrum jejunium celebrabant*. (1)

(1) Hoc Melchiadis decretum falſitatis arguunt Couſtantius *p.* 335. §. *V.*, & Lamius ad Leonis, qui illud quoque recitat, Chronicon *p.* 72.; hic quia *mos feria IV. jejunandi etiam in poſteriora tempora derivatus eſt*; ille, *quia etiam ante hujus Papae tempora fidelibus interdictum fuit die Dominica jejunium*. Sed Lamius hic certe extra chorum ſaltavit; quid enim ad interdictum die Jovis jejunium faciat feriae IV. jejunium ad poſteriora tempora derivatum, nemo, qui quidem ſui compos ſit, intelliget? Couſtantius vero non unum diem Dominicum, ſed

etiam

ètiam diem Jovis ſpectare debuiſſet; viſſet profecto, etſi pridem die Dominico jejunare Chriſtiani prohibiti erant, potuiſſe Melchiadem idem innovare interdictum, addito primum Jovis die.

§. XXXII.

Conſtitutiones SILVESTRI I.

HUjus praecepto, in Nicaea Bithyniae congregati ſunt trecenti octodecim Epiſcopi, qui expoſuerunt fidem Catholicam integram; hic multa alia decreta conſtituit.

Hic Sylveſter conſtituit, ut nullus laicus crimen Clerico audeat inferre.

Hic conſtituit, ut Diaconi Dalmaticis uterentur.

Iſidorus.

Item conſtituit, ut ſacrificium altaris non in ſerico, neque in panno tecto celebretur, niſi tantum in lineo ex terra procreato: ſicut Corpus Domini noſtri Jesu Chriſti in ſyndone linea ſepultum eſt.

Honorius *lib.* 1. *in Gemma Animae cap.* 81.
Radulphus *de can. obſerv. cap.* 23.

Kyrie eleiſon Sylveſter Papa de Graecis ſumpſit: quod Gregorius Papa ad Miſſam cantari inſtituit.

Honorius *lib.* 4. *Gemmae Animae cap.* 14.

Silveſter Papa inſtituit, ut quintae feriae ob multa myſteria, perinde ut Dominicae, celebriter feriarentur.

Iſidorus.

Hic conſtituit Chriſma ab Epiſcopo confici.

Et privilegium Epiſcopi, ut baptizatum conſignet propter haereticam ſuaſionem.

Ut baptizatum liniat Presbyter Chriſmate levatum de aqua propter mortis incertum.

Ut Diaconi Dalmaticis utentes in Eccleſia pallio lineo laevas contegant.

Ut nullus Clericus propter cauſſam quamlibet introiret in curiam, neque ante judicem cinctùm cauſſam diceret niſi in Eccleſia. (1)

(1) Confer Vignolium ad librum Pontificalem, ubi pleraque hujuſmodi decreta recitantur; an autem ea ex *Conſtituto* Silveſtri, ut Couſtantius exiſtimat, an aliunde hauſta, ignorare me fateor.

§. XXXIII.

Digitized by Google

§. XXXIII.

Conſtitutiones MARCI.

Iſidorus.

HIc conſtituit, ut Epiſcopus Oſtienſis, qui Papam conſecrat, pallio uteretur, & ab eodem Epiſcopus Urbis Romanae ordinaretur. (1)
Et ut Symbolum alta voce caneretur in Miſſa. (2)

(1) Vide Garnerium in appendice ad Librum diurnum diſſ. III.

(2) Ad falſa decreta hoc ablegabis; ſi lapis.

§. XXXIV.

Conſtitutiones JULII I.

Iſidorus.

HIc conſtituit, ut nullus Clericus ad cauſſam ducatur in publico, niſi in Eccleſiam, notitiamq. coram omnibus pro fide per Notarios colligeret, & ut omnia monumenta in Eccleſia per primicerium Notariorum conſilio celebrarentur, ſive ut cautiones, inſtrumenta, donationes, vel commutationes, vel traditiones, aut teſtamenta, vel allegationes, aut manumiſſiones Clerici in Eccleſia per ſcrinium ſanctum celebrarentur. (1)

(1) Ex Anaſtaſio, ad quem vide Vignolium, & Blanchinium.

§. XXXV.

Conſtitutiones FELICIS II.

Martinus.

HIc fuit Catholicus, (1) & conſtituit, ut Epiſcopus vocatus ad concilium veniat. (2)

(1) Conf·r de Felice, quae diſputata a me ſunt in diſſertatione *de commentitio Liberii lapſu*.

(2) Ex Iſidorianis epiſtolis.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Conſtitutiones DAMASI I.

Martinus.

Hic rogatu Hieronymi *Gloria Patri &c.* poſt pſalmos canere inſtituit. (1)

Iſidorus.

Hic etiam inſtituit, ut pſalmi die, noctuque canerentur, (2) & ut chori in duas partes diviſi alternatim cantarent. (3)

Hic rogatu Hieronymi pſalterium novum cantari inſtituit in Eccleſiis Gallicanis, & propter hoc Gallicanum vocatur a Romanis, pſalterio ſecundum LXX. remanente. (4)

Radulphus *de can. obſerv. propoſ. n. 3.*

S. Damaſus Papa, natione Hiſpanus, qui coepit anno Domini 370., (5) praecepit, ut Presbyter confeſſionem faceret antequam accedat ad Altare. Cenſuit praeterea ad Pſalmos cantari *Kyrie eleiſon*. (6)

Conſtituit etiam, Epiſtolas, & Evangelia a B. Hieronymo collectas, & ordinatas, ut in libro, qui *Comes* dicitur, (7) in Miſſa legi.

---

(1) Non tam facile, ut nonnulli faciunt, cum primis Couſtantius, hoc inter fabulas referrem. Adi quaeſo Cl. de Azevedo in ſuis diſſertationibus ſelectis. *P. II. Exercit. XXI. p.* 797.

(2) Neque hoc tam abſonum, ut Couſtantio viſum fuit. *Licet* enim Pſalmorum cantus multo in Eccleſia Damaſo antiquior fuerit, fieri tamen potuit, ut non ubique ab omnibus Presbyteris, Epiſcopis, & Monaſteriis ſanctus hic mos accurate ſervaretur. Hinc additum in libro Pontificali, fuiſſe hoc a Damaſo *per omnes Eccleſias conſtitutum*.

(3) Id falſum libens fateor. Ambroſius alterni cantus primus inſtitutor fuit a. 386., biennio ſcilicet poſtquam S. Damaſus deceſſerat. Vide Couſtantium *p.* 611. *n.* 11. *ſeqq.*

(4) Hieronymus amicorum ſuaſu, ſi vis etiam, Damaſi juſſu veterem, quam *Italam* vocant, Pſalmorum verſionem *curſim* emendavit; aliam poſtea ex integro Paullae, atque Euſtochii votis ſatisfacturus ſuſcepit, quae, quod in Gallias, finitimaſque Germaniae Eccleſias inducta fuerit, *Gallicanum Pſalterium* paſſim dicitur. Porro alia etiam de cauſſa a vero prorſus abeſt, Damaſum Gallis hujus pſalterii uſum praeſcripſiſſe: quid enim Pontificis, qui primam illam Pſalterii Hieronymianam emendationem Romae ſervari voluit, interfuiſſet, alteram Gallis adhibendam praecipere?

(5) Immo 366. aut 367.

(6) Nihil horum ad Damaſum ſpectat:

(7) De libro *Comitis* lege, quae dixi *Biblioth. Ritual. T. I. p.* 36.

§. XXXVII.

Conſtitutiones SIRICII.

Iſidorus.

Hic Manichaeos invenit, quos exilio deportavit, & conſtituit, ut non participent cum Fidelibus communionem. Et praecepit, ut ſiquis de eadem ſecta converſus rediret ad Eccleſiam, nullatenus communicaretur; niſi tantum relegationi monaſterii omnibus diebus vitae ſuae obnoxius teneretur; jejuniis, & orationibus maceratus, probatus ſub omni examine, uſque ad ultimum diem tranſitus ſui, & ita viaticum accipiat. (1)

(1) Confer Vignolium, & Couſtantium *p.* 708. *n.* 3. *ſeqq.*

§. XXXVIII.

Conſtitutiones ANASTASII I.

Martinus.

Hic conſtituit, ut qui careret aliquo membro, non poſſit fieri Clericus. (1)

Iſidorus.

Conſtituit quoque, ut nullus tranſmarinus ad Clericatus honorem ſuſciperetur, niſi quinque Epiſcoporum ſigillis deſignatum exhiberet chirographum, propter Manichaeos. (2)

(1) Undenam hoc hauſit Martinus?

(2) Veroſimilius quod Anaſtaſius ait, conſtituiſſe Anaſtaſium, *ut nullum Clericum tranſmarinum, niſi ſui Epiſcopi deſignaret Chirographum* (formatas litteras) *quis ſuſciperet, quia eodem tempore Manichaei inventi ſunt in Urbe Roma:* atque haec quidem deſunt in duobus Anaſtaſii perantiquis Codicibus apud Couſtantium *p.* 736. *n.* 15.: quum tamen alii Codices ea habeant, neque id cum Anaſtaſii temporibus pugnet, non video, cur veluti notha ſint expungenda.

§. XXXIX.

Digitized by Google

§. XXXIX.

Conſtitutiones INNOCENTII I.

Iſidorus.

HIc conſtituit Sabbatho jejunium celebrari, quia ſabbatho Dominus in ſepulcro jacuit, & diſcipuli jejunaverunt. (1)

Conſtitutionem fecit de Eccleſia, & de regulis Monachorum, (2) & de Judaeis, & Paganis.

Et multos Cataphrygas invenit, quos exilio relegavit.

Et Caeleſtinos haereticos (3) damnavit.

Iſidorus.

Conſtituit etiam, ut, qui natus fuerit de Chriſtiana, per Baptiſmum denuo naſci debeat. (4)

Hic quoque decrevit ad Miſſam Pacis oſculum dari. (5)

Hic ſtatuit oleo ad uſus Infirmorum ab Epiſcopo conſecrato uti, non Presbyteris tantum, ſed etiam omnibus aliis Chriſtianis.

---

(1) Vide ipſius Innocentii epiſtolam ad Decentium *cap. 4.*

(2) Lege *Monaſteriorum*, & Vignolium conſule.

(3) Intellige Caeleſtianos, ſeu Pelagiani Caeleſtii ſectatores.

(4) Hoc decretum ad Pelagianam refellendam haereſim, quae originis peccatum, & Baptiſmi neceſſitatem impie abrogabat, potiſſimum ſpectat.

(5) Hoc, & ſequens Decretum jure ab Anaſtaſio praetermiſſum fuit, quum primum illud inſtitutionem Innocentio tribuat vetuſtiſſimi in Eccleſia moris; alterum Eccleſiae praxi, & olei ad uſus infirmorum ſanctitati adverſetur.

§. XL.

Conſtitutiones ZOSIMI.

Martinus.

HIc conſtituit, ut ſervus nullo modo fieret Clericus. (1) Ut in Sabbatho Sancto Cereus benediceretur. (2) Ut nullus Clericus potum venderet. (3)

Iſidorus.

Hic conſtituit Diaconos laevas tectas habere de palliis linoſtimis,

 (4) &

(4) & per Parochias conceſſa licentia Catechumenis benedicere. (5)

(1) Meminit hujus decreti etiam Leo Urbevetanus; non tamen liber Pontificalis

(2) V. Onomaſticum. Caeterum fruſtra huic Decreto innituntur, qui Zoſimo veluti Auctori Cerei Paſcalis benedictionem tribuunt: is enim, ut eſt in libro Pontificali, *per parochias* conceſſit *licentiam Cereum benedici*, qui in majoribus tantum Baſilicis incendi ſoleret, ut Baronius animadvertit *ad ann.* 418. §. 76.

(3) Rectius in libro Pontificali apud Couſtantium *p.* 1006., ut *nullus Clericis poculum in publico propinaretur, niſi tantum in cellis fidelium maxime Clericorum.* Quamobrem & hic, & apud Vignolium pro *nullus Clericus*, legendum omnino *nullus Clericis*.

(4) Confer Onomaſticum.

(5) Quid hic *Catechumeni*? Ne dubites corrigendum *Cereum benedicere*, ut idem ſit hoc Iſidorianum Decretum, quod ſecundum illud Martini.

§. XLI.

Conſtitutiones BONIFACII I.

Iſidorus.

HIc decrevit, ut nulla mulier, vel Monacha ſacram pallam altaris contingeret, vel lavaret, aut incenſum poneret in Eccleſia, niſi Miniſter. (1)

Et ut ſervus, (2) aut obnoxius Curiae (3) non fieret Clericus.

(1) Xyſtus haec generatim *mulieribus*, Soter Monachae (*Virgini* diei ejus ſaeculo debuerat) interdixerat. Utrumque Bonifacius interdictum hic jungit.

(2) Quod de Servis ad Clerum non admittendis ſtatuiſſe Zoſimum vidimus, idem Bonifacius confirmat. Ipſos Libertos, niſi patroni Clerici eſſent, ab ordinibus arcet Illyberitanum Concilium can. 84. Vide Thomaſſinum *T. II. lib. I. cap.* 66.

(3) De Curialibus in Clerum non referendis confer Innocentii I. epiſtolam III. ad Toletanam Synodum *cap. V. n.* 9. Miror autem haec Decreta, quae in libro quoque Pontificali extant, fuiſſe a Couſtantio praeterita, quum alia in eodem libro memorata decreta non omittere ſolitus fuerit.

§. XLII.

Conſtitutiones CAELESTINI I.

Joannes Beleth. *cap.* 3. Albinus *cap.* 78. Amal. *lib.* 3. *cap.* 5. Rhabanus Maurus *lib.* 1. *cap.* 32. Walafridus *cap.* 22. Honorius *lib.* 1. *cap.* 87. *in Gemma Animae*. Platina *in Sixto primo*, *& Caeleſtino*. Berno *cap.* 1. Micrologus *cap.* 1.

HIc conſtituit, ut Pſalmus *Judica me Deus*, *& diſcerne &c.* diceretur ante Introitum Miſſae: & pſalmus David centeſimus quinquage-

quagesſimus ante ſacrificium pſalleretur, canendo ex omnibus antiphonatim, quod antea non fiebat; ſed epiſtola Pauli, & Evangelium dicebantur. Et ex hoc inſtituto excerpti ſunt Introitus de pſalmis, Gradualia, & ſimiliter Offertoria ante ſacrificium.

Albinus *c.* 78. Amalarius *lib.* 3. *cap.* 5. Rhabanus Maurus *lib.* 1 *cap.* 32. Iſidorus.

Officio Miſſae addidit Caeleſtinus papa, & conſtituit, ut ſemper pſalmi centum quinquaginta ante ſacrificium pſallerentur antiphonatim ex omnibus, quod antea non fiebat, niſi tantum epiſtola Pauli recitabatur, & ſanctum Evangelium, & ſic Miſſa celebrabatur. Quod nos ita intelligimus, quia ex omnibus pſalmis excerpſerit antiphonas, quae pſallerentur in officio Miſſae: nam antea inchoabatur Miſſa a lectione. Qui mos adhuc retinetur in vigilia Paſchae, & Pentecoſtes.

Plura habet Amalarius lib. 3. *c.* 5. *Rhabanus lib.* 1. *cap.* 32., *Walafridus cap.* 22. *Micrologus cap.* 1. *ſcribunt Caeleſtinum* 45. *poſt Beatum Petrum*.

Radulphus *de Canonum obſer. cap.* 23.

Caeleſtinus primus natione Romanus, qui coepit anno Domini 418. in ordine 41. conſtituit, ut pſalmi David centum, & quinquaginta ante ſacrificium canerentur antiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat. (1)

(1) Hoc idem Decretum exhibent Leo Urbevetanus, uterque Georgianus Decretorum Liturgicorum Auctor, & ante hos omnes liber Pontificalis. Quae vero ad recte illud explicandum conferre poſſunt, habes apud Bonam *Rer. Liturgic. lib. II. cap.* 3. §. 1.

§. XLIII.

Conſtitutiones SIXTI III., LEONIS I.; HILARII, ET SIMPLICII.

Conſtitutiones SIXTI III.

Martinus.

HIc de regione Caeliomontis conſtituit, ut nullus Clericus in Parochia alterius ordinari praeſumat. (1)

Conſti-

Conſtitutiones LEONIS I.

Martinus.

HIc addidit Canoni: *Sanctum Sacrificium, Immaculatam Hoſtiam*. (2)

Conſtitutiones HILARII I.

Iſidorus.

HIc conſtituit, ut nullus Pontifex ſucceſſorem ſibi conſtitueret. (3)

Conſtitutiones SIMPLICII I.

HIc conſtituit, ut nullus clericus inveſtituras a laico accipiat. (4)

(1) Abeſt a libro Pontificali hoc decretum, quod tamen non omiſit Leo Urbevetanus.

(2) Idipſum Anaſtaſius memorat. Addit primus inter Georgianos Auctores p. 435. *Leo Papa conſtituit, ut finito offertorio ſuper oblata incenſum in morte noſtri Redemptoris ponatur.* Secundus vero p. 440., *Leo*, inquit, *inſtituit, ut nulla mulier velum benedictum acciperet, niſi multa examinatione eſſet probata:* XL. *annorum*, addit Liber Pontificalis. *Inſtituit etiam ſuper ſepulcrum Beati Petri Cuſtodes, qui cubicularii dicuntur*. Nefas ſit omittere ejus Sacramentarium, de quo plura diximus *T. I. Bibl. Ritualis p. 41. ſeqq.*

(3) Ita & Leo Urbevetanus; ſed liber Pontificalis hac de re ſilet.

(4) Prorſus Iſidoriana haec ſunt, quae ambabus ulnis exceperunt Fr. Martinus, & Leo, licet ab Anaſtaſio omiſſa.

§. XLIV.

Conſtitutiones FELICIS III., ET GELASII I.

Conſtitutiones FELICIS III.

Platina.

HIc conſtituit Eccleſias ab Epiſcopo conſecrandas. (1)

Hic etiam conſtituit, quod accuſato dandae ſint induciae, ut ad reſpondendum praeparare ſe poſſit. Et quod accuſatores, & judices tales eſſe debent, qui omni careant ſuſpicione. (2)

Conſti-

Conſtitutiones GELASII I.

Martinus.

Hic fecit orationes, tractus, & hymnos (3) ſicut Ambroſius, & praefationem Miſſae compoſuit *Vere dignum, & juſtum eſt*, quotidiano uſui.

Gennadius *de Scriptoribus eccleſiaſticis cap.* 14.

Gelaſius libros Sacramentorum limato ſermone ſcripſit, & hymnos in ſimilitudinem Ambroſii Epiſcopi.

Baronius *tom. 6. Annalium*.

Et orationes, ſive collectas compoſuit.

Walafridus *de rebus Eccleſ. cap.* 22.

Gelaſius Papa in ordine 51. ait, tam à ſe, quam ab aliis compoſitas preces ordinaſſe. (4)

(1) Vide *de conſecr. diſt.* 1. *can* 10., de quo tamen ſilet Anaſtaſius.

(2) Nihil hoc de decreto Anaſtaſius.

(3) Hymnos Gelaſianos *in modum Beati Ambroſii* Georgianus quoque Auctor ſecundus memorat.

(4) Huc ſpectat Gelaſianus liber Sacramentorum, de quo actum *T. I. Bibl. Ritual. p.* 44. *ſeqq.*

§. XLV.

Conſtitutiones ANASTASII II.

Martinus.

Hic conſtituit, ut nullus Clericus praetermitteret ſuum officium ira, vel rancore, propter Miſſam. (1)

(1) Nullo id probabili Auctore dicitur.

§. XLVI.

Digitized by Google

§. XLVI.

Conſtitutiones SYMMACHI.

Berno *cap.* 2. Radulphus *propoſ.* 3. Iſidorus.

HIc conſtituit omni die Dominico, & in natalitiis ſanctorum *Gloria in excelſis &c.* canere, & quae ſequuntur poſt verba Angeli, alia addidit in eodem hymno.

Platina. Albinus *cap.* 78. Amal. *l.* 3. *cap.* 8.

Symmachus poſt Teleſphorum quadrageſimus quintus conſtituit, ut omni Dominica, vel Natalitiis Sanctorum *Gloria in excelſis Deo &c.* diceretur; idem hymnus caneretur.

Walafridus *cap.* 22. Iſidorus.

Legitur Symmachum 53. Romanorum Præſulem conſtituiſſe, ut omni Dominica, vel Natalitiis Sanctorum, *Gloria in excelſis &c.* dicatur.

Micrologus *cap.* 46.

Symmachus Papa in ordine quinquageſimus conſtituit, ut in diebus Dominicis, & Natalitiis Martyrum, hymnus *Gloria in excelſis &c.* dicatur. (1)

(1) Citari merebatur his omnibus antiquior liber Pontificalis. Sed de hymno Angelico vide infra Onomaſticum.

§. XLVII.

Conſtitutiones HORMISDAE ET ALIORUM PONTIFICUM AD S. GREGORIUM M.

Conſtitutiones HORMISDAE.

Martinus.

HIc Clerum compoſuit, & pſalmos erudivit. (1)

Conſti-

Conſtitutiones FELICIS IV.

Martinus.

HIc conſtituit, ut infirmi ante tranſitum ſuum Sancto Oleo debeant inungi. (2)

Conſtitutiones BONIFACII II.

Martinus.

HIc conſtituit, ut Clerici ſint diviſi a laicis in celebratione Miſſae.

Conſtitutiones AGAPITI I.

Martinus.

HIc conſtituit, ut Proceſſiones fierent in Dominico die.

Conſtitutiones VIGILII.

Martinus.

HIc ordinavit Miſſam celebrari in Eccleſia reſpiciens Orientem. (3)

Conſtitutiones PELAGII I.

Martinus.

HIc conſtituit, ut haeretici, vel ſchiſmatici per ſaeculares poteſtates punirentur.

Conſtitutiones JOANNIS III.

Martinus.

HIc reparavit, & reſtauravit caemeteria ſanctorum Martyrum.

Conſtitutiones BENEDICTI I.

Martinus.

HUjus tempore Hiſpani, & Franci de Paſcha celebrando diſſentiunt, Hiſpanis ſeptimo Kalendas Aprilis, Francis decimoquarto Ka-

Digitized by Google

to Kalendas Maji celebrantibus. Sed Francos bene celebraſſe per hoc divinitus patuit, quod fontes in Hiſpania, qui in Sabbatho ſancto Paſchae ad baptizandum ſponte ſolebant repleri, non Hiſpanorum, ſed Francorum Paſchate ſunt repleti. (4)

(1) Quid ſit *Pſalmos erudire*, ne ipſum quidem Martinum, ejuſque ſocium Leonem, qui haec narrant, intellexiſſe exiſtimarim.

(2) Itane? Eccleſia, ut infirmos oleo ſancto inungeret, Felicis IV. Decretum expectarit? Apage nugas.

(3) Non erat, cur Vigilius hac de re decretum ederet. Chriſtianos enim antiquos orientem verſus oraſſe; quin & Templorum frontem orientem ſpectaſſe, quis neſciat? Confer Bonam, Cabaſſutium, aliosque,

(4) Vide Baronium ad ann. 573. eadem ex Sigeberto narrantem.

§. XLVIII.

Conſtitutiones GREGORII I.

Martinus. Joannes Diaconus *in Vita ejuſdem Gregorii*.

Hic a Pelagio primo in Conſtantinopolim apocriſiarius directus, hortatu Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi libros Moralium, & in Job compoſuit.

Hic Doctor divinarum Scripturarum ſolertiſſimus inquiſitor manſuetus fuit.

Hic compoſuit homilias quadraginta Evangeliorum, Ezechielem expoſuit, Regiſtrum fecit, Paſtorale ſcripſit ad Joannem Epiſcopum Ravennatem, de ratione gubernandae Eccleſiae, Dialogorum libros quatuor ad Theudeſindam.

Radulphus *propoſ.* 23.

Kyrie eleiſon Sylveſter Papa de Graecis ſumpſiſſe dicitur, quod Gregorius Papa ad Miſſam inſtituiſſe dicitur.

Idem *propoſ.* 23.

S. Gregorius conſtituit, ut in feſtis Aſſumptionis, & Nativitatis Mariae Litania exeat a S. Adriano ad S. Mariam Majorem.

Merito terreſtris Angelus vocatur, quia caeleſtem vitam duxit in terris.

Iſidorus.

In canone addidit, *dieſque noſtros in tua pace diſponas*. Fecit etiam Miſſam

Miſſam ſupra Apoſtolorum corpora Petri, & Pauli jugiter celebrari a Papa, ſive a Cardinalibus.

Hic conſtituit per ſeptiformem Litaniam placare iram Dei. Septiformis vero dicta ideo eſt, quoniam tali modo ordinata eſt, fuitque:

In primo choro fuit omnis Clerus.

In ſecundo Abbates cum Monachis.

In tertio Abbatiſſae cum omnibus congregationibus ſuis.

In quarto omnes Infantes.

In quinto omnes Laici.

In ſexto omnes Viduae.

In ſeptimo omnes conjugatae. (1)

Hic primus fuit inter Pontifices, qui ſe *ſervus ſervorum Dei* inſcripſit.

Berno *cap.* 1.

Orationes, quas Collectas dicimus, a diverſis auctoribus compoſitae creduntur a Gelaſio Praeſule Romano, & a B. Gregorio Papa.

Radulphus *propoſ.* 23.

S. Gregorius multos Introitus ex pſalmis addidit, quia valde multi ab Ambroſio ſunt recepti. (2)

---

(1) De Litania *ſeptiformi*, quae & ſeptena, vide Onomaſticum.

(2) Illud potius Gregorio adſcribendum, quod Sacramentarium reformavit: Adi Bibliothecam Ritualem T. I. p. 46. & idem Onomaſticum.

§. XLIX.

Conſtitutiones PONTIFICUM SAECULI VII.

Conſtitutiones SABINIANI.

Martinus. Durandus *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 15.

Hic conſtituit, ut horae diei per Eccleſias pulſarentur. (1)

Conſtitutiones BONIFACII III.

Martinus.

Hic conſtituit, ut nitidus pannus ſuper altari poneretur. In aliis Chronicis habetur, quod hic Papa obtinuit, quod Romana Ec-

 eccleſia

cleſia Caput omnium Eccleſiarum eſſet apud Phocam, ut in ſequenti capite dicetur. (2)

Conſtitutiones BONIFACII IV.

Martinus.

Hic obtinuit ab Auguſto Phoca Imperatore, ut Eccleſia beati Petri Apoſtoli Caput eſſet omnium Eccleſiarum, quia Conſtantinopolitana primam omnium Eccleſiarum ſe ſcribebat.

Iſte Bonifacius Papa, & Chriſtiani templum, quod dicitur Sancta Maria Rotunda, ubi multoties a Daemonibus percutiebantur Chriſtiani, rogavit Imperatorem Phocam, ut condonaret ei hoc templum, ita mirabiliter dedicatum ad honorem Cybelis matris Deorum, & Neptuni Dei Marini in Kalendis Novembris, ut ipſe poſſet dedicare illud ad honorem beatae Virginis Mariae, & omnium Sanctorum, quod Caeſar ei conceſſit. Et ipſe Papa cum Romano populo in die Kalendarum Novembris illud dedicavit. Et ſtatuit, ut in ipſo die Romanus Pontifex ibi celebraret Miſſam, & populus accipiat ibi Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Jesu Chriſti, ſicut die Natalis Domini. Et in iſto die omnes Sancti, cum Virgine matre Chriſti Maria, & Spiritibus caeleſtibus, & omnis populus Chriſtianus habeat feſtivitatem. Et defuncti habeant per Eccleſias totius mundi ſacrificium ſequenti die pro redemptione animarum. (3)

Conſtitutiones BONIFACII V.

Martinus.

Hic conſtituit, ut fures Eccleſiarum eſſent anathematizandi. (4)
Et ut teſtamentum valeret juſſione Principis. (5)
Et ut Accolytus reliquias Martyrum non audeat levare. (6)

Conſtitutiones HONORII I.

Martinus.

Hic conſtituit, ut in omni ſabbatho ad S. Petrum procederent Litaniae a beato Apollinari (7) cum hymnis, & canticis omni populo concurrente.

Hic etiam Clerum ſalubriter erudivit.

Conſti-

Conſtitutiones THEODORI I.

Martinus.

HIc conſtituit benedictionem Cerei in Sabbatho Sancto. (8) Hic librum poenitentialem compoſuit. (9)

Conſtitutiones VITALIANI I.

Iſidorus.

HIc cantum Romanorum compoſuit, & organo concordavit. (10)

Conſtitutiones LEONIS II.

Martinus.

HIc conſtituit pacem dari in Eccleſiis totius Chriſtianitatis fidelibus poſt Agnus Dei. (11)

Hic fecit conſtitutionem, ut qui ordinandus fuerit Archiepiſcopus (12) nulla conſuetudine pro uſu pallii, aut diverſis officiis aliquid ſolvere Eccleſiae debeat.

Conſtitutiones SERGII I.

Martinus.

HIc conſtituit, ut Agnus Dei ter cantetur in Miſſa in fractione Corporis Dominici. (13)

---

(1) Campanarum inſtitutio hic Sabiniano tribuitur; quod Polydorus quoque Virgilius *lib. VI. de rer. Invent. cap.* 12, Genebrardus *in Chron. ad ann* 604., Panvinius, Ciaconius, aliique, ſed nulli freti probabili teſtimonio, crediderunt.

(2) A Phoca nempe Bonifacius obtinuit, ut Primatum, quem ſemper Eccleſia Romana ſuper omnes totius orbis Eccleſias tenuerat, Cyriacus Conſtantinopolitanus Patriarcha agnoſcere cogeretur. Vide Baronium ad ann. Chr. 606. *n.* 5. *ſeqq.* & Bellarminum *de Rom. Pont. lib. II. c.* 17. Obtinuit autem id a Phoca Bonifacius III., ut ex libro Pontificali, & Paullo Diacono *de geſtis Langobard. lib.* 18. *cap.* 37. diſcimus; non IV., cui Martinus, & qui illum κατα ποδα ſequitur, Leo Urbevetanus hoc adſcribit.

(3) Quod hic de defunctis additur; poſterioris aetatis eſt, atque a S. Odilone pie profectum.

(4) Longe aliud Conſtitutum Bonifacio Anaſtaſius tribuit, nimirum, *ut nullus trahatur de Eccleſia*, qui ad eam confugiſſet.

(5) Nempe ſi *ſecundum juſſionem*, legeſque Imperatoris confectum eſſet.

(6) Manibus deferre, & geſtare.

(7) Cujus Eccleſiam ipſe Honorius aedifi-

Digitized by Google

aedificaverat;

(8) Atqui id Zoſimo antea vidimus in his ipſis Conſtitutionibus tributum.

(9) Liber Poenitentialis non Theodori Papae eſt, ſed Theodori Cantuarienſis, de quo Anaſtaſius in *Vitaliano* agit *num.* 5.

(10) Nonnulli apud Ludovicum Creſollium *lib. III. Myſtagogi cap.* 27. ajunt, organa in Eccleſiis audiri coepta permiſſu Damaſi: ſed Platina, quem Bona magis probat, Vitalianum hujuſce rei auctorem facit. Vide Onomaſticum noſtrum, & Stephanum Durantem *lib. I. de ritib. Eccl. Cath. cap.* 13.

(11) Quod nec ajo, nec nego.

(12) Archiepiſcopum intellige Ravennae: quod a S. Gregorio M. in Synodo Romana pro omnibus Archiepiſcopis generali decreto ſancitum antea fuerat.

(13) Videntur Lamio *in not. ad Chron. Leon. p.* 121. iſthaec cum iis confligere, quae ſupra de Leone II. legimus. Atqui ridicula haec accuſatio eſt. Leonem II. conſtituiſſe, *Pacem dari in Eccleſiis poſt Agnus Dei*, dictum ſupra fuerat: hic Sergius fertur conſtituiſſe, *ut Agnus Dei ter cantaretur in Miſſa, in fractione Dominici Corporis*. Ubi conflictus? Finge, ante Sergium ſemel tantum in Miſſa dictum fuiſſe *Agnus Dei*, pacemque tunc datam: non potuit Sergius conſtituere *ut Agnus Dei ter* cantaretur, quin ejus conſtitutio cum Leonis II. decreto pugnaret?

§. L.

Conſtitutiones PONTIFICUM SAECULI VIII.

Conſtitutiones GREGORII II.

Martinus.

Hic conſtituit quintam feriam per totam Chriſtianitatem in Quadrageſima jejunari, (1) & Miſſarum celebritatem. (2)

Conſtitutiones GREGORII III.

Martinus.

Hic adjunxit in ſecreta: *Quorum ſolemnitas hodie in conſpectu glorioſae majeſtatis tuae celebratur Domine Deus noſter in toto orbe terrarum.* (3)

Synodum pene mille Epiſcoporum (4) Romae celebrando (5) venerationem ſanctarum imaginum confirmat, atque violatores generali ſententia anathematizavit.

Hic Papa Viennae Archiepiſcopatum inſtituit. (6)

Conſtitutiones ZACHARIAE.

Martinus.

Hic pacem cum Longobardis fecit, & Dialogorum libros de graeco in latinum tranſtulit. (7)

Radul-

Radulphus *propoſit.* 23.

Zacharias vir apoſtolicus in ordine 93. conſtituit, ne Sacerdotes ad celebranda Miſſarum ſolemnia cum baculo intrarent, nec velati capite altari aſtarent. (8)

Conſtitutiones PAULLI I.

Iſidorus.

HIc conſtituit divina officia celebrari ante horam ſextam in quadrageſima.

Conſtitutiones STEPHANI III.

Radulphus *propoſit.* 13.

STephanus tertius conſtituit, ut omni die Dominico, & in feſtivitatibus ſanctorum Apoſtolorum, & Martyrum dictus hymnus angelicus *Gloria in excelſis Deo &c.* ad Miſſam cantaretur.

Conſtitutiones HADRIANI I.

Martinus.

HIc in Synodo Romana, in qua fuerunt centum quinquaginta quatuor Epiſcopi, Religioſi, & alii Abbates, ac Praelati, Carolo regi dedit Hadrianus Papa, & Synodus jus eligendi Pontificem, & Sedem Apoſtolicam ordinandi, & inter Archiepiſcopos per ſingulas Provincias inveſtituras ab ipſo accipere; anathematizavitque omnes huic decreto rebelles, & juſſit bona eorum niſi reſipiſcerent publicari. (9)

---

(1) Melchiades, ne Criſtiani cum Paganis convenirent, conſtituerat, quadrageſimae tempore non ſolum die Dominico, ſed etiam feria V. a jejunio abſtinendum. Quum ergo jam Pagani deſiiſſent, Gregorius II. feriae V. per Quadrageſimam jejunium indixit. Mabillonius tamen *Comm. in Ord. Rom. p.* 33. *jejunii* nomine ſtationem intelligit, quam feriis quintis Gregorius adſignaverit.

(2) In Romana Eccleſia feria quinta aliturgica fuerat, ſeu Miſſa carens. Addidit igitur Gregorius & huic feriae Miſſae celebritatem.

(3) *Quam inſtitutionem*, inquit Anaſtaſius, in oratorio B. MARIAE intra Baſilicam Vaticanam a ſe extructo, *in tabulis lapideis conſcribere fecit*.

(4) Dele nongentos, & ſeptem. Adfuerunt enim huic Synodo, Anaſtaſio teſte, XCIII. ex Italia Epiſcopi praeter Romanae Urbis Presbyteros, & adſtantes Diaconos.

(5) Celebritatem Concilii auxit loci

Sancti-

Sanctitas: habitum enim Concilium fuit *coram ſacroſancta Confeſſione ſacratiſſimi corporis B. Petri Apoſtoli*, ut idem Anaſtaſius ait.

(6) Commentum hoc eſt. Si enim de Vienna Delphinatus hoc intellexit Martinus, Viennenſis iſthaec Eccleſia quinto jam ſaeculo Metropolis fuit: ſin autem de Vienna Auſtriae, id magis ridiculum. Nam anno ſolum 1480. poſt obtentas a. 1468. Paulli II., & 1475. Sixti IV. litteras, Viennenſis Epiſcopatus ſumpſit initium, neque ante annum 1722. Archiepiſcopalis ibi Sedes, Innocentio XIII. id elargiente, poſitus eſt.

(7) Immo de Latino in Graecum tranſtulit.

(8) *De Conſecr.* §. 1. *c.* 29. Nullus Epiſcopus.

(9) Nihil hoc decreto falſius, ut a doctiſſimis Viris pridem, ac nuperrime a Cl. Dioterich Argentoratenſi Profeſſore oſtenſum eſt.

§. L I.

Conſtitutiones PONTIFICUM SAECULI IX.

Conſtitutiones G R E G O R I I I V.

Martinus.

HIc ex aſſenſu Ludovici Imperatoris, & omnium Epiſcoporum inſtituit, ut feſtum omnium Sanctorum celebraretur Kalendis Novembris in partibus Franciae, & Germaniae, quod ex inſtitutione Bonifacii Papae Romani faciebant.

Conſtitutiones B E N E D I C T I I I I.

Martinus.

HIc conſtituit, ut Clerici ordinate, & honeſte incederent.

Conſtitutiones H A D R I A N I I I I.

Martinus.

HIc conſtituit, ut Imperator non intromitteret ſe de electione Papae. (1)

(1) Referunt hoc Decretum Leo Urbevetanus, Platina, Sigonius, Ciaconius, Mabillonius *Comm. in Ord. Rom. p.* 114. & Pagius confirmat ad ann. 884. §. 2. *& ad ann.* 885. §. 3.

§. LII.

§. LII.

Conſtitutiones URBANI II.

Martinus. Radulphus *Prop.* 20.

HIc celebravit Concilium apud Claromontem, in quo ſtatutum eſt, quod horae Beatae Virginis quotidie a Clericis dicantur; officiumque ejus diebus Sabbathi ſolemniter fiat. (1)

(1) Vide Bonam *div. Pſalmod. cap. XII.* §. 2., & Mabillonium *Praef. in Saec. V. Benedict.* §. 117.

§. LIII.

Conſtitutiones SEQUENTIUM PONTIFICUM AD ALEXANDRUM VI.

Conſtitutiones BONIFACII VIII.

Fr. Hieronymus.

JUbilaeus indicitur a Bonifacio Pontifice anno Domini 1300.

Idipſum in marmorea tabula, quae Florentiae extat in via dicta *della Pigna*, ita narratur: *Eodem anno* (1300.) *fuit a Papa Bonifacio ſollepnis remiſſio omnium peccatorum, videlicet culparum, & poenarum omnibus euntibus Romam indulta: multi ex Chriſtianis, & Tartaris ad dictam indulgentiam acceſerunt.*

Conſtitutiones PII II.

Fr. Hieronymus.

HIc catalogo Sanctorum annumeravit B. Catherinam de Senis Ordinis de Provincia B. Dominici, cujus officium ipſe compoſuit, & mandavit celebrandum, in quo etiam dicit, & approbat, hanc Seraphicam Virginem ſtygmata Domini Jeſu habuiſſe.

Conſtitutiones PAULLI II.

Fr. Hieronymus.

HIc primus mutavit ſigillum plumbeum, & coronam Papae, ſive mitram, quam in tribus coronis ſtatuit deportandam.

Conſtitutiones INNOCENTII VIII.

Fr. Hieronymus.

HIc Pontifex indulgentiam Plenariam indulſit viſitantibus Eccleſiam B. Dominici Bononiae in feſto ejuſdem anno Domini 1485.



INDEX

Digitized by Google

INDEX I.

ROMANORUM PONTIFICUM

juxta ordinem Conſtitutionum & Paragraphorum.

S. Petrus §. I.
Linus §. II.
Cletus §. III.
Clemens I. §. IV.
Anacletus §. V.
Evariſtus §. VI.
Alexander I. §. VII.
Sixtus I. §. VIII.
Teleſphorus §. IX.
Hyginus §. X.
Pius I. §. XI.
Anicetus §. XII.
Soter §. XIII.
Eleutherus §. XIV.
Victor I. §. XV.
Zephyrinus §. XVI.
Calliixtus I. §. XVII.
Urbanus I. §. XVIII.
Anterus §. XIX.
Fabianus §. XX.
Cornelius §. XXI.
Lucius I. §. XXII.
Stephanus I. §. XXIII.
Sixtus II. §. XXIV.
Dionyſius §. XXV.
Felix I. §. XXVI.
Eutychianus §. XXVII.
Cajus §. XXVIII.
Marcellus I. §. XXIX.
Euſebius §. XXX.
Melchiades §. XXXI.
Silveſter I. §. XXXII.
Marcus §. XXXIII.
Julius I. §. XXXIV.
Felix II. §. XXXV.
Damaſus I. §. XXXVI.
Siricius §. XXXVII.
Anaſtaſius I. §. XXXVIII
Innocentius I. §. XXXIX.
Zoſimus §. XL.
Bonifacius I. §. XLI.
Caeleſtinus I. §. XLII.
Sixtus III. / Leo I. / Hilarius / Simplicius } §. XLIII.
Felix III. / Gelaſius I. } §. XLIV.
Anaſtaſius II. §. XLV.
Symmachus §. XLVI.
Hormiſda / Felix IV. / Bonifacius II. / Agapitus I. / Vigilius / Pelagius I. / Johannes III. / Benedictus I. } §. XLVII.
Gregorius I. §. XLVIII.
Sabinianus / Bonifacius IV. / Bonifacius V. } §. XLIX.

Digitized by Google

Honorius I. Theodorus I. Vitalianus Leo II. Sergius	§. XLIX.
Gregorius II. Gregorius III. Zacharias Paulus I. Stephanus III.	§. L.
Hadrianus I.	§. L.
Gregorius IV. Benedictus III. Hadrianus III.	§. LI.
Urbanus II.	§. LII.
Bonifacius VIII. Pius II. Paulus II. Innocentius VIII.	§. LIII.

INDEX II. ALPHABETICUS

EORUMDEM ROMANORUM PONTIFICUM

quorum Conſtitutiones hic dantur, praemiſſo ſingulis paragraphorum, in quibus hae extant, numero.

A

		Creatus
§. XLVII.	Agapitus I.	535.
§. VII.	Alexander I.	121.
§. V.	Anacletus	103.
§. XXXVIII.	Anaſtaſius I.	398.
§. XLV.	Anaſtaſius II.	496.
§. XII.	Anicetus	167.
§. XIX.	Anterus	237.

B

		Creatus
§. XLVII.	Benedictus I.	574.
§. LI.	Benedictus III.	855.
§. XLI.	Bonifacius I.	418.
§. XLVII.	Bonifacius II.	530.
§. XLIX.	Bonifacius IV.	608.
§. XLIX.	Bonifacius V.	619.
§. LIII.	Bonifacius VIII.	1294.

C

§. XLII.	Caeleſtinus I.	423.
§. XXVIII.	Cajus	283.
§. XVII.	Callixtus I.	221.
§. IV.	Clemens I.	93.
§. III.	Cletus	80.
§. XXI.	Cornelius	254.

D

§. XXXVI.	Damaſus I.	367.
§. XXV.	Dionyſius	261.

§. XIV.

Digitized by Google

E

		Creatus
§. XIV.	Eleutherus	179.
§. VI.	Evariſtus	112.
§. XXX.	Euſebius	309.
§. XXVII.	Eutychianus	275.

F

§. XX.	Fabianus	238.
§. XXVI.	Felix I.	272.
§. XXXV.	Felix II.	255.
§. XLIV.	Felix III.	483.
§. XLVII.	Felix IV.	526.

G

§. XLIV.	Gelaſius I.	492.
§. XLVIII.	Gregorius I.	590.
§. L.	Gregorius II.	715.
§. L.	Gregorius III.	731.
§. LI.	Gregorius IV.	827.

H

§. L.	Hadrianus I.	772.
§. LI.	Hadrianus III.	884.
§. XLIII.	Hilarius	461.
§. XLIX.	Honorius I.	625.
§. XLVII.	Hormiſda	514.
§. X.	Hyginus	154.

I

§. XXXIX.	Innocentius I.	402.
§. LIII.	Innocentius VIII.	1484.
§. XLVII.	Johannes III.	560.
§. XXXIV.	Julius I.	336.

L

§. XLIII.	Leo I.	440.
§. XLIX.	Leo II.	682.
§. II.	Linus	65.

		Creatus
§. XXII.	Lucius I.	255.

M

§. XXIX.	Marcellus I.	304.
§. XXXIII.	Marcus	336.
§. XXXI	Melchiades	311.

P

§. L.	Paulus I.	757.
§. LIII.	Paulus II.	1464.
§. XLVII.	Pelagius I.	555.
§. I.	Petrus	40.
§. XI.	Pius I.	158.
§. LIII.	Pius II.	1458.

S

§. XLIX.	Sabinianus	604.
§. XLIX.	Sergius I.	687.
§. XXXII.	Silveſter I.	314.
§. XLIII.	Simplicius	467.
§. XXXVIII.	Siricius	385.
§. VIII.	Sixtus I.	132.
§. XXIV.	Sixtus II.	260.
§. XLIII.	Sixtus III.	432.
§. XIII.	Soter	175.
§. XXIII.	Stephanus I.	257.
§. L.	Stephanus III.	768.
§. XLVI.	Symmachus	498.

T

§. IX.	Teleſphorus	142.
§. XLIX.	Theodorus I.	642.

V

§. XV.	Victor I.	194.
§. XLVII.	Vigilius	540.
§. XLIX.	Vitalianus	657.
§. XVIII.	Urbanus I.	226.

Digitized by Google

	Creatus		Creatus
§. XLII. Urbanus II.	1088.	§. XVI. Zephyrinus.	203.
		§. XL. Zoſimus.	417

Z

§. L. Zacharias.	741.

INDEX III.

RERUM DE QUIBUS AGUNT
CONSTITUTIONES

Addito earumdem Paragrapho.

A

Acolyti 49.
Agnus Dei in Miſſa 49.
Altare 24. 31. 49.
Antiphonae 42.
Appellatio 12.
Aqua Sancta 7.
Archivum 34.

B

Baptiſmus 15. 39.
Benedictio frugum 27.

C

Campana 49.
Canon Miſſae 7. 43. 50.
S. Catharina Senenſis 53.
Cauſſae Eccleſiaſticae 14. 32. 34. 44.
Cereus Paſchalis 40. 49.
Chriſmatis annua conſecratio 20. 32.
Chriſtianorum Cauſſae 28.
Clerus, ejusque gradus, 10. Ordo 28. Mores 40. Diviſio a Laicis in celebratione Miſſae 47. V. *Cauſſae Eccleſiaſticae*.
Comitis liber 36.
Concilium 35.
Confeſſio ante acceſſum ad Altare 36.
Confirmatio 4. 32.
Corona V. *Tonſura*
Corporale 8.
Crucis Dominicae inventio 30.
Curiales 41.

D

Dalmatica 27. 32.
Defunctorum omnium Commemoratio 49.
Diaconi VII. Regionarii 6.
Ubique totidem conſtituendi 28.
Eorum habitus 32. 40.

Domi-

Dominico die jejunium interdictum 21.
S. Dominicus 53.
Dominus vobiſcum 4.

E

Ecclesiae conſecrandae 44.
Earum aſylum 49.
Epiſcopi Conſecratio 12.
Epiſcoporum Cauſſae 10. 12.
Translatio 19.
V. *Concilium*.
Epiſcopus praedicans 6. 22.
Epiſtolae Communicatoriae 6.
Formatae 8. 38.
Eſcae uſuales 14.
Euchariſtiae ſumptio 16.

F

Feria quinta 32. V. *Jejunium*

G

Gloria in excelſis. V. *Hymnus Angelicus*.
Gloria Patri 36.

H

Haeretici puniendi 47.
Ad Eccleſiam venientes quomodo ſuſcipiendi 11. 37.
Hierarchia apud Britannos conſtituta 14.
Horae B. V. 52.
Hoſtia 7.
Hymni 44.
Hymnus Angelicus 9. 46.

I

Jejunium Quadrageſimae 1. 9.
Quatuor temporum 17.
Quibus diebus interdictum 21.
Feriae quintae 50.
Sabbathi 39.
Imagines ſacrae 50.
Inveſtiturae a Laicis 43.
Irregolaritas ad Ordines 38. 41.
Jubilaeus 13. Annus 53.
Juramentum 21.

K

Kyrie eleiſon 32. 36. 48.

L

Litaniae 48. 49.

M

Martyres quo habitu ſepeliendi 27.
Martyrum Acta 19. 20. 28.
Reliquiae 49.
Matrimonium V. *Nuptiae*
Metropolitanorum nomen 12.
Eorum in Cauſſis Epiſcoporum auctoritas 10. 16.
Miniſterium ſacrum 9. 16. 41.
Miſſa ab Apoſtolis celebrata 1.
Diſpoſita. *ibi*. 36. 44. 48.
A Sacerdotibus celebranda duobus adſtantibus 5.
In altari 24. 32.
Super Memorias Martyrum 2. 6.
Aucta 8. 31. 42. 43. 48. 50.
Quota hora dicenda 9. 50.
Tres in Natali die Domini 9.
V. *Aqua*, *Canon*
Monachae vetita vaſorum ſacrorum contrectatio 13. 41.
Mulieres in Eccleſiam velato capite ingrediantur 2.

A Sa-

A Sacri Miniſterii contrectatione arcendae 8. 41.

N

Notarii 4. 19. 20. 34.
Nuptiarum benedictio 13.

O

Oleum ad uſus infirmorum 39. 47.
Ordinationes ſacrae 16. 43.
Organa 49.

P

Papae electio 51.
A quo ordinandus 33.
Ejus ſigillum plumbeum, & Corona 53.
Parochiae 25.
Paſcha, quo die celebrandum 11. 15. 47.
Patrini in Baptiſmo, & Confirmatione 10.
Pax in Miſſa 39.
Peregrinationes ad loca ſancta 3.
Primicerius Notariorum 34.
Proceſſiones 47. V. *Litaniae*
Pſalmorum Cantus 36. 41.
Ex qua verſione *ibi*.

Q

Quadrageſima, quota hora Miſſae in ea celebrandae 5.

R

Regiones Urbis 4. 20. 28.
Romana Eccleſia a S. Petro conſtituta 1.

S

Sabbathum V. *Jejunium*, *Litaniae*
Sacerdotum habitus 5. 12. 23.
Eorum veneratio 5.
Quomodo ad Altare accedere debeant, & illi adſtare 50.
Salutem, & Apoſtolicam benedictionem, a quo primum in Pontificum litteris ea poſita ſalutatio 3.
Sanctorum omnium feſtum 49. 51.
Scrinium. V. *Archivum*, *Notarii*.
Sedes Apoſtolica 12. 16. 28. 49.
Servi 40. 41.
Subdiaconi VII. in Urbe 20.
Succeſſoris vetita Pontificibus deſignatio 43.
Symbolum in Miſſa 33.

T

Tituli Urbis 6. 29.
Tonſura 1. 12.

V

Vaſa ſacra 8. 9. 13. 18.
V. *Miniſterium*
Veſtes Sacrae 4. 23.

ONOMA-

Digitized by Google

ONOMASTICON
RITUALE SELECTUM
AD USUM

cum Cleri, tum ſtudioſae Eccleſiaſticarum antiquitatum Juventutis.

AB

ABACUS, menſa, tabula &c., (barbare *Credentiam* vocant) in qua ſacra indumentorum, vaſorumque ad Miſſam maxime pertinentium ſupellex collocari conſuevit. Olim praeter intermedium altare in Sanctuario ipſo, non una, nec mobilis, ſed geminae hinc illinc menſae fixae fuerunt, quales etiam nunc marmoreae conſpiciuntur *Romae* in Sanctuario Eccleſiae ſanctorum Martyrum *Nerei*, & *Achillei*. In ea, quae ad laevam erat, & *Protheſis* a *Graecis* dicitur, reponebantur vaſa ſacra cum ſuis velis, ſimulque panis partim conſecrationi, ſacraeque Communioni, partim Eulogiis deſtinatus; in altera ſacra Epiſcopi, aut Sacerdotis ſacrificatoris veſtimenta. Vide PASTOPHORIUM, SECRETARIUM, & *Caerem. Epiſc. Lib. 1. cap. 12. §. 19.*

ABBAS, *Archimandrita*, *Coenobiarcha*, *Archimonachus*, cui ſubſunt Religioſi in Monaſteriis.

ABBATISSA, quæ feminis Deo ſacris praeeſt. Recte monuit VOSSIUS in *Etymologico* V. *Abare: Qui* Abbatiſſae *vocem probant ex* Hieronymiana *Regula Monacharum*, *ſcire debent*, *eam* Hieronymi *non eſſe*, *ſed hominis indocti*. Primum hujus vocis indubium monumentum praebet Capua-

ga Inſcriptio, quam MAZZOCHIUS recitat *T. I. Kal. Neap. p. 37.*

HIC REQVIESCIT IN
SOMNO PACIS IVS
TINA ABBATISSA
FVNDATRIX SANC
TI LOCI HVIVS QVAE
VIXIT PLVS MINVS
ANNOS LXXXV DEPO
SITA SVB DIE KALRVM
NOVEMBRIVM IMP
DN N IVSTINO PP AVG
ANN IIII PC EIVSDEM
INDICTIONE TERTIA

hoc eſt anno DLXIX., qui ab obitu S. *Scholaſticae* quinctus, & viceſimus circiter fuit.

ABLUTIO, quam INNOCENTIUS III. *de Myſt. Miſſae lib. 6. cap. 8. perfuſionem* appellat, in Miſſa fit, poſtquam Sacerdos Corpus, & Sanguinem ſumpſit, aliiſque impertiit. Ejus antiquus Ordo *Romanus* non meminit. Forte prius in Sacrarium projiciebatur. In antiquis certe praeſertim Monachorum Eccleſiis, ſingula altaria ab Epiſtolae latere parvam habebant piſcinam ad hunc uſum compararam. Quum tamen ablutionis ſumendae uſus obtinuit, ubi plures uno die Miſſae ab eodem Sacerdote celebrarentur, in ultima tantum ſumebatur, uti hodieque apud nos fit in die Dominicae Nativitatis. Extat hac de re Synodi *Colonienſis* a. MCCLXXX. decretum; immo S. *Petrus* DAMIANI l. v. ep. 18. ad UBERTUM Presbyterum ſcribit: *De celebrandis vero Miſſarum ſolemniis nos hanc conſuetudinis regulam in* DISCIPLINATIS *Eccleſiis & didicimus, & tenemus, ut calicem differamus in Miſſarum fine* PERFUNDERE, *ſi noſmetipſos eodem die ſacrificium denuo ſperamus offerre.* Alicubi etiamnum *ablutionem* vocant vinum, quod poſt communionem populo exhibetur. V. Lotio Manuum.

ABLUTORIUM (quae vox in lib. *Uſuum Ciſtercienſium* uſurpatur) locus eſt prope ſacrarium ad lavandas manus Sacerdoti, ac Miniſtris conſtitutus.

ABRASIO CAPITIS. V. Tonsura.

ABSCONSA, coeca laterna a verbo *abſcondo* ſic dicta; quod lumen, ſeu candela in ea abſconderetur. LANFRANCUS in Decret. c. IV. *Tunc accenſa candela in abſconſa, unus eorum in dormitorio debet circuire lectos omnium.* Vide in *Veteri diſciplina Monaſtica Guidonis diſciplinam Farfenſem* p. 93. &c.

93. & 94., uti & *Bernardi Ordinem Cluniacenſem* p. 247. Lignea erat apud *Hirſangienſes* Monachos ; quod ex WILHELMI *Conſtitutionibus* diſcimus *lib.* I. cap. 36. *ibid.* p. 411.

ABSIDA. V. Absis.

ABSIS, APSIS, fornicis curvatura, & aliquando integer fornix ſphaerae inſtar, ſeu potius hemiſphaerii. Olim dubitatum fuit, an *abſis*, an vero *abſida* diceretur: quod ex epiſtola XII. S. PAULLINI *ad Severum* diſcimus. Utrumque tamen Auctoribus uſurpatum. Nominis etymon docet ISIDORUS *lib.* XV. *Etymolog. cap.* 8. *Abſida*, inquit, *Graeco ſermone, Latine interpretatur lucida, eo quod lumine recepto per arcum reſplendeat.* PANVINIUS *abſidem* explicat *Eccleſiarum*, ut Itali dicimus, *tribunam*. In templo tamen, quod idem S. PAULLINUS Nolanus *cit. ep.* XII. deſcribit, tres abſides extabant. Totidem, vel etiam plures olim aliis in templis fuere. Vide ROSWEYDUM in eam PAULLINI epiſtolam, ubi etiam *Concham* leges, quae ipſa *Abſis* eſt. Ornabantur Abſidae picturis, itemque muſivo opere diſtinguebantur. Confer VIGNOLII Librum Pontificalem in *Leone* III., & *Gregorio* IV. T. II. pag. 256., & 333., ac T. III. p. 17. Abſidam ſumi aliquando pro Epiſcopali Sede plures adfirmant, locis quibuſdam S. AUGUSTINI in medium adlatis, in quibus *abſidae gradatae* memorantur. Negat tamen BALUZIUS ad REGINONIS *lib.* I. *cap.* 39. Vide quae ad HALITGARIUM adnoravimus *Bibliothecae Ritual.* T. I. p. 287. Hoc certum, *abſidas* has loco eminentiore fuiſſe. Hinc LEO *Marſicanus lib.* I. *cap.* 19. ait: *In Baſilicae abſida media* (quae una *Tribunae* noſtrae reſpondere poteſt, ut ſua ſtet ONUPHRIO auctoritas), *ad quam per octo gradus aſcenditur, altare conſtitui*.

ABSOLUTE adverbium eſt, quo in Eccleſiaſtico Officio monemur, incipiendum eſſe abſque ſalutatione, cantu, invitatione, vel benedictione, aut aliquid alicubi omittendum. Porro *abſolute* dicuntur ordinari Clerici, qui certo titulo carent, quo ordinari poſſint. Conc. *Londin.* a. MCXXV. *Nullus in Presbyterum, nullus in Diaconum niſi ad certum titulum ordinetur. Qui vero* ABSOLUTE *fuerit ordinatus, ſumpta careat dignitate.*

ABSOLUTIO, actio, qua quis certa verborum formula ſive a peccatis, ſive a cenſuris liberatur. Plures abſolutionis formulas MORINUS congeſſit in ſuis libris *de poenitentia*; tres *Gregorii* XI. temporibus uſitatas addidit BALUZIUS in Appendice *Actorum veterum ad* REGINON. n. 24. Quod ad Cenſuras attinet, abſolutiones interdum *relaxatoriae erant, nempe uſque ad tale tempus & non ultra*, ut legere eſt Tom. IV. *Anecd.* MARTENII *col.* 511. in Statutis Synodalibus *Eccl. Aeduenſis*.

Abſolutio quoque oratio illa appellatur, quae a Sacerdote circa cadaver, aut tumulum dicitur. Vocatur praeterea hoc nomine brevis illa oratio, quae ſingulis quibuſque nocturnis abſolutis recitatur, ſive ab *abſoluta prece*, ſive, ut GAVANTO placuit, ab ultimae & nobilioris verbis illis: *A vinculis peccatorum noſtrorum* ABSOLVAT *nos omnipotens &c.*

Aliter hac voce utimur in fine *Primae* ad ABSOLUTIONEM *Capituli*: Nimirum antiquitus apud Canonicos, uti & hodiedum apud Coenobitas, tempus celebrandi Capituli erat ſub finem *Primae* ad eam orationem: *Dirigere*,

gere, *ſanctificare &c.* „ qua, inquit BURIUS, petitur a Deo directio ad „ congregationem rite tenendam; quando ſcilicet in loco capitulari conve- „ niebant ad praedicationem, ſive lectionem convenientem officio feſti, quod „ celebrabatur, uti patet ex ſermonibus S. BERNARDI, & aliorum Pa- „ trum illo tempore habitis, vice cujus hodie adhuc legitur *lectio brevis*, „ ſicut fit ante Completorium, quando etiam ad homiliam ſive conferen- „ tiam ſolebant convenire; unde intelligi poteſt quid ſibi velit Rubrica, „ *ad abſolutionem Capituli.* „

ABSOLUTORIAE litterae, eae nempe, quibus Rom. Pont. Excommunicato abſolutionem nunciabat. Adi Concil. *Burdigal.* a. MCCLXII. *cap.* IV.

ABSOLVO, idem quod *dimitto*, *condono*. In ſtatutis Cluniacenſibus: *Ducunt eum* fratres in capitulo *inter manus, ſi eſt adeo infirmus, & petit veniam . . . . & contra illos confitetur, & abſolvit eum Prior, & cunctis reſpondentibus, Amen, ipſe cunctos, ſiquid contra eum deliquerint, abſolvit.* In ſtatutis S. LANFRANCI: *Illi diligenter illud in ſepulcro componant, & abſolutionem ſcriptam, & a fratribus lectam ſuper pectus ejus ponant, & operiant.* Ex quibus patet verbo *Confiteri*, ſeu *Confeſſionis*, & *Abſolutionis* nomine nonniſi conſuetam formulam, *Confiteor Deo omnipotenti*, & *Miſereatur tui omnipotens Deus &c.* deſignari.

ABSTENTIO apud Clericos aliquando ſumitur pro ſuſpenſione, unde

ABSTENTUS idem ſignificat, quod excommunicatus, ſeu ad tempus ſuſpenſus ab Eccleſiaſticis functionibus. *Adeipiat ſententiam, quam prior dixit, ut abſtentum a nobis ſciat.* S. CYPRIANUS epiſt. 38.

ACANONISTI, Canonum violatores. *Tales Acanoniſtos viros*, inquit HADRIANUS I. in epiſtola Codicis Carolini 94. T. I. *Cenn. edit. p.* 518.

ACATHISTUS ſolemniſſima Vigilia in Sabbato quinctae hebdomadae Quadrageſimae in honorem B. Virginis, non ad celebrandum ejus cum beato *Joſepho* Sponſo Bethloemiticum iter, uti *Franciſcus* JUNIUS opinatus eſt, ſed ad agendas pro CPOLITANA urbe a Barbarorum incurſibus non ſemel liberata Deiparae gratias a *Graecis* inſtituta: ea autem Ακαθιϛος dicebatur, ſeu *ſine ſeſſione*, quod tota illa nocte ſtando hymni, ac laudes Virgini canerentur.

ACCENDITE, vox Liturgica eſt, quae in quibuſdam *Gallicanis* Eccleſiis dum Candelae accenduntur, certis Feſtis diebus recurrentibus, aut a Diacono, aut ab Acolytho, aliove cani ſolet. Confer de MOLEON *Voyag. Liturgiq. p.* 26. 67. 87. 129.

ACCEPTIO, ACCEPTIONIS FESTUM, ita a *Gotho-Hiſpanis* Epiphania appellabatur. Vide Miſſale *Mozarab. pag.* 63. *col.* 1. & Orationale *Gothicum* a BLANCHINIO editum *p.* 51. *or.* 3. *& or.* 7. Ratio autem nominis inde fortaſſe petenda eſt, quemadmodum citatae orationes innuunt, quod hac die Chriſtus Dominus in Magis adoratoribus primitias gentium acceptavit.

ACCLAMATIONES. V. CANTIONES, LAUDES.

ACCUBITUS, ACCUBITA erant accumbentium ſedilia diſpoſita per aulam

aulam magnificentiſſimi aedificii, quod *Triclinium* vocabant frequentius, aliquando *Accubitum*; neque unum erat *Romae* praeſertim ad Vaticanum, & Lateranum. Ampliſſimum certe extructum a GREGORIO IV. ad princeps Patriarchium. *Fecit* (inquit Liber Pontificalis) *in Patriarchio Lateranenſi* (GREGORIUS) *Triclinium mirae magnitudinis decoratum cum abſida de muſivo &c.* Sed magnificentius poſteritas cenſuit, cui conſtruendo, amplificandoque vacarunt LEONES duo III. & IV., a quibus appellatum fuit *Leonianum*. Hujus reliquiae a *Nicolao* ALAMANNO in ſuis *Parietinis Lateranenſibus* illuſtratae, amplificandae gratia templi *Lateranenſis* areae fuerunt a. MDCCXXXVIII. penitus exciſae.

ACERRA fuit quondam parva ara, ut FESTUS docet, quae ante mortuum poni ſolebat, in qua odores boni adcendebantur. Arculam thurariam, quam hodie *Naviculam* dicimus, TERTULLIANUS *adv. Gent. cap. 9. Acerram* vocat: penſilis autem Acerra ipſum eſt thuribulum.

ACETABULUM, *Gregorio* de RIVES *in declarat. vocum difficil. in Eccleſ. hiſtor.* menſura eſt ſeſquicyathi (*un bicchiero e mezzo*); MACRO ſcutella. Occurrit *Acetabulum argenteum pondo centum triginta ſiclorum* in Teſtam. S. REMIGII *num. 7.*

ACHEROPITA, quae & *acheropyta*, *acheropſita*, *achiropicta*, *ancheropſita*, *antheropſita*, imago eſt Salvatoris non manu facta, a S. *Luca* Evangeliſta, ut fertur, deſignata, Angelico dein officio perfecta, atque in *Lateranenſi* Oratorio, *Sancta Sanctorum* nuncupato, adſervata. Hujus imaginis prima occurrit mentio in Libro Pontificali VIGNOL. *edit. T. II. p. 94.*, ubi de *Stephano* II. Hanc in graviſſimis Urbis calamitatibus Summi Pontifices, comitante magna populi frequentia, indicta publica ſupplicatione per Urbem deferre conſueverunt. Confer VIGNOLIUM in S. *Leone* IV. T. *III. Libr. Pontific. p.* 78., PANVINIUM *de VII. Urbis Eccleſ.*, ubi de Oratorio SANCTA SANCTORUM, & MACRUM in *Hierolex*. Alia ejuſmodi Imago (B. tamen Virginis, non Salvatoris) in charta *Tancredi Siculorum* Regis apud UGHELLIUM in Archiep. ROSSANENS. memoratur.

ACOLYTHUS. Antiquitus a Chriſtianis hoc nomine vocabantur ii ſacrorum miniſtri, qui quum ipſi ſacris non operarentur, ab illis tamen non excludebantur, dicti *Acolythi*, quaſi non prohibiti, ſive admiſſi; ab *α* privativo, & *κολύω*, *prohibeo*. Eorum miniſterium erat diverſum a Diaconorum, & Subdiaconorum ſacris communicantium munere. *Acolythi* miniſtrabant Epiſcopis, & Presbyteris in his, quae ad ſacra facienda pertinent, in parandis mappis, & altaribus, luminibuſque adcendendis, & in iis ferendis, quibus in ſacris faciendis uſus eſt. Aetas Acolythatus ordini ſuſcipiendo a SIRICIO in *ep.* ad HIMERIUM *Tarracon.* adſignatur *adceſſus adoleſcentiae*, nempe annus viceſimus; quo in ordine quinque annis (ZOSIMUS poſtea quatuor tantum praefixit in *ep.* ad HESYCH. *Salonit.*) perſtare quiſque debebat. Veſtis Acholythorum olim fuit planeta, quae iis in ipſa eorum ordinatione juxta Ordinem *Romanum* tradebatur; in *Africa* tamen ex Conc. *Carthag.* IV. *Can. 6.* dum ordinabantur, ab Archidiacono ceroferarium cum cereo, & urceolum vacuum adcipiebant. In *Romana*

Eccle-

Eccleſia, in qua CORNELIUS Papa in *ep.* ad FABIUM *Antioch.* Acolythos duos omnino & quadraginta exſtitiſſe teſtificatur, tria olim fuiſſe genera Acolythorum, quorum alii *Palatini*, alii *Stationarii*, alii *Regionarii* vocabantur, ARINGHIUS, & PANVINIUS opinantur. MABILLONIUS tamen duo tantum Acolythorum genera in *Romana* Eccleſia ſtatuenda eſſe docet, ut alii ſcilicet *Regionarii* eſſent, alii *Titulares*. *Regionarii* Diaconis, & Pontifici, *Titulares* Presbyteris titularibus inſerviebant. *Palatini* Acolythi, MABILLONII ſententia erant Baſilicae *Lateranenſis* Acolythi; *Stationarii* vero ex regionariis adſumpti. Inter praecipua Acolythorum *Romanorum* Pontifici die Dominico celebranti adſtantium munera, erat initio ſaeculi V. Euchariſtiam in Miſſa ab ipſo Pontifice confectam ad titulares Urbis Eccleſias deferre; cujus moris illuſtre teſtimonium in INNOCENTII I. ad *Decentium* epiſtola exſtat. Item in *Romana* Eccleſia ſolemnis Miſſae initio Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini ex praecedentis diei ſacrificio ſervatum *in capſa* deportare, ac ſuper altare imponere Acolythorum erat. Vide Ordinem Romanum inter *Mabillonianos* primum *num.* 8. Acolythi hodie cum ceroferariis paſſim confunduntur. V. SEQUENS.

ACTA SANCTORUM. Collecta olim Martyrum acta a Notariis Romae *Clementis* I. & *Fabiani* Romanorum Pontificum juſſu ex Libro Pontificali, cujus hac in re auctoritatem in diſſertatione de *Notariis Eccleſiaſticis* T. I. mearum Italicarum diſſertationum ad Eccleſiaſticam hiſtoriam pertinentium vindicavi, compertum habemus. Legebantur autem in ſacris conventibus. Hinc illud FERREOLI ſub annum DLIII. Ucetienſis Antiſtitis: (*Regul.* I. 118.) *Geſta Martyrum, ideſt Paſſiones ſanctorum Fidelium, quae quorumdam compaginata ſtudio, & ſermone digeſta ſunt, tempore, quo nobis diem migrationis eorum anni meta curſu ſuis legibus repraeſentat, recenſeri in Oratorio audientibus cunctis omnino decernimus.* In Galliis, & in Africa ante Miſſam legebantur. Praeterea Gallicano, & Mozarabico ritu in Praefatione, quae Gallis *conteſtatio*, Mozarabibus *inlatio* dicebatur, hujuſmodi Actorum compendium quoddam exhibebatur. Romae tamen Saeculo quincto non legebantur in Eccleſiis. Teſtem habemus luculentiſſimum GELASIUM in decreto ann. CCCCXCVI. *Geſta*, inquit, *ſanctorum Martyrum* (ſcilicet recipienda).... *Sed ideo ſecundum antiquam conſuetudinem, ſingulari cautela in ſancta Romana Eccleſia non leguntur, quia & eorum, qui conſcripſere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis ſuperflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur, ſicut cujuſdam Quirici, & Sulitae, ſicut Georgii, aliorumque hujuſmodi paſſiones, quae ab haereticis perhibentur compoſitae. Propter quod, ut dictum eſt, ne vel levis ſubſannandi oriretur occaſio, in ſancta Romana Eccleſia non leguntur.* „ Quia tamen, inquit Cl. Daniel PAPEBROCHIUS *in Reſponſ. ad Exhibit. error. artic.* XVII. *n.* 7. „ non prohibuit eadem Ec-
„ cleſia talium lectionem, multae ejuſmodi Paſſiones, & Vitae remanſe-
„ runt, & multae novae prioribus acceſſerunt, in uſu aliarum Eccleſia-
„ rum: quarum ſaltem unaquaeque habere curabat ſibi privatim proprio-
„ rum Sanctorum legendas. Et harum quidem variae, & valde antiquae
„ collectiones inveniuntur; per ordinem tamen anni digeſtae nullae ante
„ ſaeculum X., aut etiam XII., quando Canonici Regulares, & *Ciſtercienſes*

„ Mona-

,, Monachi, in ſuis quique Eccleſiis, & Abbatiis, ejuſmodi legendaria plu-
,, ribus ac grandibus tomis coeperunt deſcribere, etiam *Romae*, ut colli-
,, gitur ex iis, quae adhuc inveniuntur in *Lateranenſis* Baſilicae, olim a Re-
,, gularibus poſſeſſae, archivo, & mos talis etiam ad Metropolitanas, aliaſ-
,, que nonnullas nobiliores Eccleſias tranſiit. Atque ex hoc tempore credi
,, poteſt, caeteras quoque Romanas Baſilicas idem fuiſſe imitatas, ac deni-
,, que Pontificii Sacelli Praefectos pro ejuſdem Sacelli Clero inſtituiſſe, ut
,, ad pauca quaedam ipſi propria feſta breves Lectiones hiſtoricae compo-
,, nerentur, vel ab aliis compoſitae reciperentur: quarum numerus paulla-
,, tim crevit pro numero creſcentium feſtorum, bona ſemper, ut dixi, fi-
,, de, etſi rerum praeteritarum ſcientia, diſcernendique facultate non ſem-
,, per pari. ,, Hactenus Vir ſummus. Vide RUINARTIUM Praef. Gen. in Acta ſincera Martyrum. Vide heic quoque PASSIONARIA, LEGENDA, MARTYRUM ACTA.

ACTIO. Canon ſic dictus, quia in eo *conficiuntur Sacramenta Dominica*. Vide *Walafridum* STRABONEM *de Reb. Eccleſ.* cap. *XXII.* Hinc preces Canonis in Sacramentario *Gelaſiano Canon Actionis* inſcribuntur, & in noſtris Miſſalibus occurrit *infra* (ſcilicet *intra*) *Actionem*, ſcilicet *intra Canonem*.

ACROASIS. V. AUDITIO, POENITENTES.

AD ACCEDENTES. In officio *Mozarabum* apud AGUIRRE T. III. *Conc. Hiſp.* p. 267. reſponſorium eſt, quo tempore fideles ad ſacram Synaxim adcedunt, a Choro canendum: *in eo vero*, ut ibid. legitur in *ord. off. Goth.*, *monentur Fideles, qui ſunt communicaturi, ut accuratiſſime perpendant, quem cibum ſuſcepturi ſint.*

ADDEXTRO ,, unde Addextratores, inquit MORETUS *de Presbyt.*
,, *p.* 220., ſonat a lateribus ſtare incedentium, maxime Principum vecto-
,, rum equis, quos *dexterarios*, *magnoſque* vocant litterae Regis EDUARDI
,, III. Tom. *VI. Collectionis Anglicanarum chartarum* RIMERI *pag.* 124. *col.*
,, 1. *Unus egregius miles de genere* Rhodenſium *eleganter indutus cum chiro-*
,, *tecis in manibus de camera Pontificis ſumptis dextrat, & ducit eum per froe-*
,, *num*, ait Caeremoniale *Ambroſianum*, Archiepiſcopum *Mediolanenſem* re-
,, praeſentans equitantem Dominica Palmarum &c. apud PURICELLUM
,, *de monum. Baſilicae Ambroſ. p.* 57. *n.* 52. *Joh.* VILLANUS deſcribens *Etru-*
,, *ſco* ſermone pompam equitantis ad S. PETRUM LUDOVICI BAVARI
,, *lib.* 10. *hiſtor. cap.* 56. inquit: *Era addeſtrato da quattro Capitani Senatori,*
,, *e Cavalieri.* Hinc quotquot aliquando Pontifices incedentes, equitanteſ-
,, que comitabantur, *Addextratores* dici potuerunt. Sed apud Card. CEN-
,, CIUM tit. 19. num. 42., ubi de Presbyterio Scholarum Urbis, ſpecia-
,, lem conflabant Laicorum ſcholam, quos *Judices* fuiſſe vult RASPONUS,
,, *ab utroque latere incedentem Pontificem comitantes*; ego potius ſtabuli Prae-
,, fecti, ſeu Mareſchalli majoris miniſtros, ſocioſve crederem. Porro de
,, judicibus non heic agitur, quorum presbyterium alio loco jam adnota-
,, verat CENCIUS, & officia, quae *addextratorum* horumce propria dicit
,, idem Author tit. 20. num. 43. p. 196., ut a conditione Mareſchalli,
,, ejuſque miniſtrorum nihil, ita multum abhorrent a conditione Judicum,

,, Erant

„ Erant autem, cuſtodire regnum occaſione coronationum &c. *addextrare*
„ per viam Pontifices euntes, ac redeuntes e quacumque ſtatione, (propter
„ quae, ut monet CENCIUS, *comedebant cum D. Papa*) nec non *addextra-*
„ *re* Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates ad Pontificem pro *conſecratione*
„ accedentes &c.

ADONAI, Dei nomen *Hebraeis* familiare, latine *Dominus*.

ADMINICULATOR ab adminiculando, ideſt adjuvando dictus. Septimus erat ex *Romanae* Eccleſiae primis officialibus, idem ſcilicet, qui NOMENCLATOR, ejuſque meminit LIUTPRANDUS *hiſt. lib. VI. c. 6.* Hic pro viduis, pupillis, & egenis, adflictis, & captivis procurabat: quod munus hodie pauperum advocatus facit.

ADORATIO a S. JOHANNE DAMASCENO *Orat. I. de Imaginib. fol.* 457. *pag.* 2. univerſe definitur: *Submiſſionis, & honoris nota*; & alibi *Orat. 3. de Imag. fol.* 472. *pag.* 2. *Animi cedentis, ideſt ſubmiſſi, atque humilis ſignificatio*; hoc eſt honoris, & ſubmiſſionis exhibitio, qua ſcilicet unus alium veneratur, ut ſibi ſuperiorem, eique in recognitionem ipſius excellentiae ex animo ſe ſubmittit. Tribus proinde actibus adoratio completur, atque perficitur. Primus actus eſt mentis, quo adprehendimus perſonae alicujus dignitatem, ſeu excellentiam. Alter eſt voluntatis, quo ex adprehenſione talis excellentiae, illi nos perſonae interius ſubmittimus, & aliquod exterius praeſtare volumus, quo proteſtemur illius excellentiam. Tertius actus eſt exterior nota ſubmiſſionis, qua e. g. caput aperimus vel inclinamus, manus vel pedes deoſculamur, genua flectimus, totum corpus in terram proſternimus, aliudve ſubjectionis ſignum exhibemus. Ex his tribus actibus, ſecundus, qui eſt voluntatis, nempe ſubjectionis, & ſubmiſſionis adfectus, eſt maxime proprius, & eſſentialis adorationis, ut notarunt Patres, laudati in Concilio *Nicaeno* II. *Actione IV. pag.* 333. *& pag.* 344. *col.* 1. *P. I. Tom. III. Concilior.* LEONTIUS Epiſcopus *Neapoleos Cypri* Lib. 3. Apologiae pro Chriſtianis: *In omni*, ait, *ſalutatione, & adoratione intentio ipſa requiritur, & exputatur*. Et S. GERMANUS P. CP. epiſtola ad THOMAM Epiſcopum *Claudiopolitanum*: *Non enim*, inquit, *ſimpliciter deſignata inſpicere oportet, ſed undique* (al. *ubique*) *rerum intentio probanda eſt*. Ratio autem eſt, quia primus actus mentis poteſt eſſe abſque adoratione; tertius vero exterior, etiam cum irriſione, ut fuit in impiis illis militibus, qui Chriſtum ſpinis coronatum, *ponentes genua adorabant*, MARC. XV. 19. Adorationis generatim ſumptae duas ſpecies deſignat laudatus *Johann.* DAMASCENUS. *Altera eſt*, inquit, *adoratio, quam Deo, qui natura ſolus adorandus eſt, latriaque dicitur* (ſupple *exhibemus*): *altera, quam propter ipſum Deum exhibemus vel amicis, & ſervis illius, vel quibuslibet Dei locis &c.* Majoris vero claritatis, & diſtinctionis gratia adoratio a ſcholaſticis Theologis dividitur in *Latriam*, *Duliam*, *& Hyperduliam*. Ceterum non ſemel apud Eccleſiaſticarum rerum Scriptores *adorandi* verbum, atque *adorationis* nomen, ubi etiam de vivis perſonis, ſed ſacra dignitate, aut ſanctimonia ſpectabilibus agitur, uſurpatum invenies ad honoris, ſeu venerationis teſtificationem. Sic S. PAULLINUS *Nolae Epiſcopus Nat.* IX. ait:

Ecce

Ecce Sacerdotis reditum ſatiatus ADORO
Suſcipiens humili metantem in pectore Chriſtum.

Huc etiam ſpectat illud Libri Pontificalis de JUSTINO Auguſto *T. I. Vignol. edit. pag.* 191. *Humiliavit ſe pronus in terram, &* ADORAVIT *beatiſſimum* JOHANNEM *Papam.*

ADVENTUS *Domini.* Olim haec vox pro ipſo natali Domini die adcipiebatur; rempus vero, quod fauſtiſſimum hunc diem antecedebat, Veteres *ante Nativitatem*, vel *ante Natale Domini* vocare conſueverunt. Adventus tamen ad deſignandum, uti a multis ſaeculis mos eſt, rempus, quo ad feſtum illum diem recolendum comparamur, quincto ſaltem ſaeculo uſurpari coepit, quemadmodum ex quibuſdam ſeu MAXIMI, ſeu CAESARII ſermonibus a GRANCOLASIO *in Breviar. Rom. lib. II. cap.* 4. animadverſum eſt. In *Gallias* medio quincto ſaeculo, ut apud GREGOR. *Turon. lib.* 10. *hiſt. c.* 3. videre eſt, Adventus celebrandi conſuetudinem PERPETUUS *Turonenſis* Epiſc. primns invexit; hinc ad alias Eccleſias propagata eſt. Quo rempore *Leonianum* Sacramentarium *Romae* perſcriptum fuit, nondum *Romana* Eccleſia fuerat hunc morem amplexa; ſed GELASIO Pontifice jam ſuſceperat, ut ex hujus Sacramentario conſtat. Varia porro in temporis ſpatio, quod Nativitati Domini velnti praeparatio praemittendum erar, adſignando Eccleſiarum diſciplina fuit. Sex hebdomadas *Mozarabes, Ambroſiani, & Gallicani* numerabant; *Romana* vero Eccleſia quinque ſub GELASIO, quatuor ab octavo ſaltem ſaeculo hodiedum retinet. Dixi *ſaltem*; num enim S. GREGORIUS M. auctor fuerit, ut quatuor tantum hebdomadis Adventus conſtaret (quod aliqui putant) incomperta res eſt, quum *Gregoriani* Sacramentarii Codices alii quatuor, alii quinque adventui hebdomadas tribuant. Confer ANTONELLIUM in *Miſsale vetus Romanum p.* 2. *ſeqq.* Ceterum Adventus aliis olim nominibus appellabatur, praeſertim vero *Quadrageſima ante Natale Domini*, ut in Calendario ante RATOLDI *Corbejenſis* Sacramentarium praefixo, & *Quadrageſima* B. MARTINI dicebatur, quod Adventus a feſto S. MARTINI die inchoaretur, eoque temporis intervallo ad natalem Domini celebritatem pluribus, paucioribuſve pro vario Eccleſiarum uſu diebus Chriſtifideles jejunarent. Vide, praeter citatum GRANCOLASIUM, MARTENIUM *de Ant. Eccleſ. ritib. lib. IV. cap.* 10., & MABILLONIUM *de Liturgia Gallic. p.* 98. *ſeqq., & infra* V. QUADRAGESIMA S. MARTINI. *Romae* Dominica III. de Adventu, quae Dominica *de Gaudete* dicebatur, Stationem habebat ad S. PETRI, ut a *Romano* Canonico *de Baſilica* S. PETRI *cap.* 53. diſcimus. A Starione tamen Dominica Adventus IV., aut Natali Domini proxima (ſeu quincta, dum quinque, ut indicavimus ex GELASIANO Sacramentario, in Adventu Dominicae numerabantur) antiquitus vacabat; unde *Dominica vacans* vocari in veteribus Libris ſolet, nec niſi XII. Saeculo inclinante Statio eo die inſtituta fuit, ut ex ſilentio BENEDICTI Canonici, CENCII, & *Petri* MANLII conjicit VEZZOSIUS ad THOMASII *Tomum IV. p.* 30. Quare autem antiquitus Statione haec Dominica vacaret, ea mihi veroſimilior ratio videtur fuiſſe, quam ex FRONTONE PP. *Maurini T. III. Oper.* S. GREGORII *M. col.* 43. *Pariſ. edit.* ſumpſere, immo & MICROLOGUS *de Eccl. obſervat. cap.* 29. multo

antea adtulerat; omiſſam videlicet fuiſſe illis Dominicis diebus Stationem; quum veſpere praecedentis Sabbati Sacri Ordines magno labore conferebantur, Officiumque per multam noctem protrahebatur. In *Hiſpania* cooperiuntur in Adventu imagines moeſtitiae cauſſa. Saeculo etiam IX. apud aliquas Eccleſias omittebatur Hymnus Angelicus, & *Te Deum laudamus* in Dominicis Adventus, ut AMALARIUS teſtatur in *Supplemento* edito a MABILLONIO T. *II. Analector*. In aliis tamen Eccleſiis *Gloria in excelſis* dicebatur: ſic in ordinatione WILLEBERTI *Catalaunenſis* Epiſcopi eodem IX. Saeculo celebrata fuit Miſſa Dominicae de Adventu Domini cum Hymno Angelico. Ad ſaeculum uſque XII. in Eccleſia *Romana* vetus mos celebrandarum cum laetitiae notis, veſtibus albis, Hymno Angelico ad Miſſam &c. Dominicarum *de Adventu*, Cl. THOMASIO perduraſſe videtur. Repugnat tamen VEZZOSIUS *l. c. pag.* 20. Nunc aliquod tantum laetitiae ſignum eadem *Romana* Eccleſia admiſcet; quare etſi Hymnus Angelicus, & *Te Deum laudamus* omittitur, non tamen *Alleluja* relinquitur. Quin etiam ea laetitia praecipue Dominica III. oſtenditur: permittitur enim Diacono, & Subdiacono, ut tunicellis ea die induantur; Cardinales vero a violaceis coloribus feriantur, & roſaceis utuntur. Immo antiquitus ea Dominica ipſemet Summus Pontifex ſolemniter Miſſam celebrare conſueverat.

ADVIGILIUM, Laudes, quibus Vigiliarum Officium, ſeu Matutinum claudimus. Vide BOLLANDIANOS *Tom. V. Maji p.* 55.

ADVOCATOR. Vide mox V. Advocatus.

ADVOCATUS Eccleſiae. A multis retro ſaeculis magna, atque eximia dignitas cenſetur eſſe Advocatorum, vel Subadvocatorum, hoc eſt Protectorum alicujus Eccleſiae: ita olim a BENEDICTO VIII. coronatus fuit HENRICUS PIUS Imperator, praevia data reſponſione in atrio Baſilicae *Vaticanae*, quod advocatus, patronus & defenſor foret Eccleſiae *Romanae*. Olim tamen Defenſores Eccleſiae *Romanae* ab Advocatis, quos etiam *Advocatores* vocabant, alii erant. Eorum mentio fit in *Ordine Romano* inter *Mabillonianos* primo *pag.* 6. Vide *Defenſores*, & quae nuper T. I. *Biblioth. P. Ferraris* de his adnotavi.

ADYTUM, locus templi ſecretior, ad quem nullis eſt aditus, niſi Sacerdotibus.

AEDITUUS, Cuſtos aedis ſacrae, Sacriſta. *Infantibus ad Eccleſiam intrantibus Aedituus primum ſignum ſonet*, Concordia DUNSTANI *cap.* 1. Sed S. PAULLINO *ep.* 6. Oſtiarius eſt, eccleſiaſticus ordo; ait enim: *ab* AEDITUI *nomine & officio optavi ſacram incipere ſervitutem*.

AER. Tribus velis *Graeci* Sacra tegunt: uno diſcum, altero calicem; tertio, eoque majori utrumque ſimul: hunc vero *Aerem* vocant, quia per modum aeris circa terram expanſi dona ambit.

AERA. Unde hoc nomen ductum ſit, in diſceptationem cadit. ISIDORUS *lib. V. c.* 36. ab aere adcerſit; quod ſcilicet ſub *Auguſto* univerſus orbis aes reddere profeſſus eſt Reipublicae *Romanae*. Alii vero (atque hi quidem verius) ex tabellionum, aut librariorum oſcitantia derivant. Quum enim Veteres annum hoc modo in Actis publicis conſignarent: *Annus erat Auguſti Caeſaris* ex. gr. *quinctus*, ac ſubinde compendii cauſſa idi-

pſum

pſum ſiglis A. ER. A. CAES. exprimerent, poſtea ſingularias illas A. ER. A. in unam vocem tabelliones contraxerunt. Quo errore latius ſerpente, quaevis annorum ab aliquo veluti capite deducta ratio primum ab *Hiſpanis*, inde a ceteris Chronologis *Aera* vocari coepit. Tres porro apud liturgicos Scriptores Aerae celebriores ſunt. Prima *Hiſpanica* eſt, quae ab anno V. C. DCCXVI. ante Chriſtum XXXVIII., APPIO CLAUDIO PULCRO, & NORBANO FLACCO Coſſ., ſumitur. Nam, *Hiſpania* in *Caeſaris* OCTAVIANI poteſtatem a. ſuperiore DCCXV. per *Domitium* CALVINUM Proconſulem redacta, a Kalendis Januarii a. DCCXVI. Aeram ſuam *Hiſpani* duxere. Quare ſi annis Aerae Chriſtianae, de qua mox, annos XXXVIII. addideris, annum Aerae *Hiſpanicae* habebis; contra ſi ex Aera *Hiſpanica* totidem detraxeris, Annum Chriſti vulgarem invenies. Altera Aera eſt vulgaris, ſeu Chriſtiana, quae etiam ab Auctore ſuo *Dionyſio* EXIGUO Abbate *Dionyſiana* dicitur, eaque tempus, quod vulgo Natale Chriſti creditur, deſignamus, quum tamen verus annus Chriſti natalis quatuor, aut quinque fortaſſe & ſex annis illud anteceſſerit.

Tertia demum Aera eſt *Diocletiana*, quae & *Aera Martyrum* appellatur, a Chriſtianis *Aegyptiis* uſurpata: initium autem ſumit a die 29. Auguſti a. Aerae Chriſtianae CCLXXXIV. quo DIOCLETIANUS Imperium auſpicatus eſt.

AGAPE, epulum erat, quod ſumpta Euchariſtia Chriſtiani mutua inter ſe caritate celebrare conſueverant. Nominis etymon explicat TERTULLIAN. *Apolog.* cap. XXXIX. *Coena noſtra de nomine rationem ſui oſtendit: vocatur enim ἀγάπη id quod dilectio penes* Graecos *eſt*...... *ſiquidem inopes quoque refrigerio iſto juvamur*. Triplex porro Agaparum genus NAZIANZENUS indicat celebri illo diſticho:

Non epulum NATALE *adiens cum pluribus*, *aut quod*
FUNEREUM *eſt*, *vel quod* CONNUBIARE *petens*:

Ad Natalitias Agapas, quae in natalibus Sanctorum diebus agebantur, refer quas in dedicatione Eccleſiarum habitas fuiſſe ex S. GREGORIO M. diſcimus *lib. I. ep.* 4. ad PETRUM Subdiac. Ad eas nonniſi qui Eccleſiaſtica communione gauderent, admittebantur. Nequid vero minus ſobrium, honeſtumque in illis contingeret, Praeſides cavebant, quos Epiſcopos locorum fuiſſe, aut certe Preſbyteros pronum eſt conjicere. Temporum tamen lapſu a primaeva caritate ac puritate quum paullatim defeciſſent, illas Concilia, ut *Laodicenum* Can. 28., *Carthag.* III. cap. 30., *Antiſiodor.* Can. 9., vel Epiſcopi, quemadmodum teſte S. AUGUSTINO *lib. VI. Conf. cap.* 12. *Mediolani* S. AMBROSIUS, abrogarunt. In GELASIANO Sacramentario *T. VI. Thomaſ. Oper. p.* 591. exſtat Miſſa *pro his, qui agape faciunt*, nempe qui pauperes convivio reficiunt. Saepe tamen, praeſertim in *Vitis Patrum*, Agape uſurpatur pro eleemoſyna, ſeu parte aliqua, quae ex caritate egenti datur. Eodem ſenſu accepit TERTULLIANUS *ad Martyres cap.* 2., *quae juſta ſunt*, inquiens, *caro non amittit per curam eccleſiae, & agapen fratrum*. CASSIANUS quoque Coll. XXIV. *cap.* 12. *agapen alienae operationis* opem vocat largitionis alienae.

AGAPETAE, dictae etiam *devotae ſyniſactae*, *ſubintroductae*, Virgines erant Deo ſacrae, quae ſpiritalis ſolatii obtentu vel cum Clericis habita-

 bant,

bant, vel cum Monachis familiariter verſabantur. Eas Patres, cumprimis S. CYPRIANUS pluribus epiſtolis, S. HIERONYMUS ep. XXII. ad Euſtoch. *de cuſtodia Virginit.*, S. *Johannes* CHRYSOSTOMUS duabus orationibus vehementer inſectati ſunt; Concilia, ut *Ancyranum* Can. 19. & *Nicaenum I.* Can. 3. damnarunt; Imperatoriae ipſae leges, cujuſmodi eſt XLIV. *Cod. Theod. lib. 16. tit. de Epiſc. Eccleſ. & Cleric.*, coercuerunt.

AGENDA. Sacrificium Miſſae. Conc. *Carthag.* (vulgo II. a. CCCXC.) *Quiſquis Presbyter inconſulto Epiſcopo* AGENDA (ſeu potius, ut BONA emendat, AGENDAM) *in quolibet loco voluerit celebrare, ipſe honori ſuo contrarius exiſtit.* Agenda autem dicta ab agendo Miſſam. Hinc S. AUGUST. *ep.* 118. ritum Sacrificii *ordinem agendi* vocat. Etiam Preces publicae pro mortuis *Agendae* paſſim appellabantur. In inquiſitione, quam REGINO *lib. I.* Epiſcopo praeſcribit, *n.* 89. jubetur Epiſcopus inquirere, an Presbyter bene ſciat *legere, aut memoriter enuntiare ordinem, & preces in exequiis, atque* AGENDIS *Defunctorum.* In quem locum vide BALUZII adnotationem. Ritualia quoque *Agendae* aliquando inſcribuntur. Vide noſtrae *Bibliothecae Ritualis* Volumen primum *pag.* 153.

AGIOS, Sanctus. In hymno antiquo Adventus: *Te deprecamur Agie*; ideſt Sancte. Ita in Officio Paraſceves: *Agios o Theos, Agios iſchiros, Agios athanatos, eleiſon imas*; quod eſt: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere nobis.*

AGNI *Benedictio.* Non eſt recens conſuetudo benedicendi carnes Agni in Paſchate. In Sacramentario *Bobiano* extat *Benedictio ad Agnum benedicendum in Paſcha.* Eſt in ordine *Romano* apud HITTORPIUM *benedictio Agni in Paſcha.* In Miſſali quoque *Mozarabum pag.* 193. occurrit *Benedictio Agni in illaria Paſchae.* MICROLOGUS *cap.* 54. *obſervat, quod juxta* Romanam *auctoritatem Agnus in Paſcha benedicitur, non ad altare, ſed ad communem menſam.* Unde adparet, quam inepta fuerit illa *Graecorum* contra *Romanam* Eccleſiam adcuſatio, quod tempore Paſchali Agnum ſimul cum Corpore, & Sanguine Chriſti in ara more *Judaeorum* offerrent.

AGNUS *Dei.* Confracta hoſtia, ſequitur deprecatio ad Chriſtum Agnum Dei peccata mundi tollentem. SERGIUS I. P., teſte ANASTASIO, *ſtatuit, ut tempore confractionis Dominici Corporis, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, a Clero & populo decantaretur*, quum ante illum fortaſſe a ſolis Cantoribus cantaretur. Certe in *Pameliano*, aliiſque antiquiſſimis *Gregoriani* Sacramentarii exemplis Rubricae ad Miſſas adſignant *Agnus Dei.* In liturgia quoque CHRYSOSTOMI Sacerdos diviſurus ſanctum Panem, dicit: *Frangitur, & dividitur Agnus Dei Filius Patris.* Ter pronunciandum *Agnus Dei* (quod veteres aliquot ordinis *Romani* Libelli, & Sacramentorum Codices ſilent) diſerte teſtatur *Honorius* AUGUSTODUN. Tertia quoque vice olim addebatur *miſerere nobis*; quod etiamnum ſervat *Lateranenſis* Eccleſia; ſed paullatim mos obtinuit, ut diceretur: *dona nobis pacem.* In Eccleſia *Ambroſiana* numquam in Miſſa dicitur *Agnus Dei*, niſi in Miſſis pro Defunctis, & tertio *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, additur: *dona eis requiem ſempiternam, & locum indulgentiae, cum Sanctis tuis in gloria.* *Gallicanae* Eccleſiae alio a nobis loco eam precationis formam uſurpabant. Nam in

Miſſali

Digitized by Google

Miſſali *Gothico*, ubi Miſſa Feria V. in Coena Domini, haec eſt oratio poſt ſecreta: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, reſpice in nos, & miſerere nobis, factus nobis ipſe hoſtia, qui Sacerdos; ipſe praemium, qui Redemptor; a malis omnibus, quos redemiſti, cuſtodi*. Haec eadem legitur in Miſſale *Gallicano* veteri in Miſſa Feriae IV. Paſchatis, & eſt collectio ante orationem *ſuper munera*.

Non omittenda heic cerea Numiſmata, quae AGNUS DEI vulgo appellantur. Caeremoniarum, quibus conſecrantur, *Walafridus* STRABO S. GREGORIUM M. auctorem facit. Immo eorum meminit antiquus ordo *Romanus*, in quo multa ſunt A GELASIO profecta. Olim AMALARIO teſte infra octavam Paſchae diſtribuebantur, ac varie variis temporibus conſecrabantur. „ Sed hodie, inquit MACER in *Hierolexico*, Papa ſolet haec
„ numiſmata cerea primo anno ſui Pontificatus benedicere, deinde in quo-
„ libet ſeptennio ad octavam Paſchae. Rev. tamen Sacriſta auxilio Clerico-
„ rum, & Religioſorum ea ante annum praeparat, ac Pontifex in Feria tertia
„ Paſchae indutus amictu, alba, cingulo, ſtola, & mitra aquam benedicit,
„ infundens balſamum, & chriſma, dicitque aliquas preces in Caeremo-
„ niali praeſcriptas, deinde linteo praecinctus, cum Cardinalibus ſimiliter
„ adſiſtentibus, immergit illa in aqua benedicta, ac extracta, extenduntur
„ ſupra munda mantilia, ut exſiccentur, ibique Papa ea denuo benedicit.
„ Poſtea in capſis reponuntur, & conſervantur uſque ad Sabbatum in Al-
„ bis, quo die, dicto in Miſſa *Agnus Dei*, & peracta Communione, tunc
„ Subdiaconus accedit ad ferendum pollubrum his numiſmatibus refertum
„ praecedente Cruce, & ad portam Sacelli Pontificii perveniens, alta voce
„ haec verba intonat: *Pater ſancte, iſti ſunt Agni novelli, qui adnunciave-*
„ *runt vobis Alleluja; modo veniunt ad fontes, repleti ſunt caritate, Alleluja*;
„ Eadem verba replicat in medio Sacelli, & tertio tandem ante ſolium
„ Pontificium: quae poſtmodum Papa Cardinalibus primo diſtribuit, qui
„ intra eorum mitras ea recipiunt, & ſucceſſive donantur Epiſcopis, aliiſ-
„ que Praelatis..... Virtutes vero hujus *Agnus Dei* in his verſibus referun-
„ tur, quos una cum tribus ſimilibus numiſmatibus *Graecorum* Imperatori
„ dono miſit URBANUS V.

Balſamus, & munda cera cum Chriſmatis unda,
Conficiunt Agnum; quod munus do tibi magnum,
Fonte velut natum per myſtica ſanctificatum.
Fulgura deſurſum depellit, & omne malignum
Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis, & angit.
Praegnans ſervatur ſimul, & partus liberatur.
Dona defert dignis, virtutem deſtruit ignis.
Portatus munde, de fluctibus eripit undae;
Morte repentina ſalvat, Satanaeque ruina:
Siquis honoret eum, retinet ſuper hoſte trophaeum:
Parſque minor tantum tota valet integra quantum.
Agne Dei miſerere mei, qui crimina tollis.

Vide CATALANUM ad Caeremon. S. R. E. *lib. I. tit. VII. cap. 5.*, & Clariſſ. Praeſulem *Stephanum* BORGIAM in *opuſc. Card.* VALERII.

ALBA;

Digitized by Google

ALBA; PODERIS; vulgo CAMISIA (Graecis *Sticharium*) eſt, inquit ISIDOR. *lib.* 19. *Orig. cap.* 21., *tunica Sacerdotalis linea corpori adſtricta uſque ad pedes deſcendens.* Ejus meminit etiam HIERONYMUS *ep.* 128. ad FABIOLAM. Olim Alba aureis limbis, ſeu faſciis exornari ſolebat. Interdum linea non erat, ſed ſerica. ANASTASIUS in Vita BENEDICTI III. memorat *camiſias albas ſigillatas holoſericeas cum chryſoclavo.* Vide & LEONEM *Oſtienſ. Chron. Caſſin. lib.* 3. *cap.* 74. Olim Diaconi, Subdiaconi, atque adeo ceteri inferiores Clerici ſola Alba induti miniſtrabant. De Diaconis exſtat Canon 4. Concilii Carthag. IV. De Subdiaconis diſertum eſt S. GREGORII teſtimonium *lib.* VII. *ep.* 64. ad *Joh.* SYRACUSANUM; de Lectoribus conſtat ex Conc. *Narbon.* a. DLXXXIX. Verum GEORGIUS Albam a Subdiaconis, aliiſque Miniſtris adhibitam, aliam a Presbyterorum camiſia fuiſſe cenſet *de Liturg. Rom. Pont. lib. II. cap. II.*, ipſamque illam (licet talarem) quae poſtea ſuperpelliceum appellari coepit. Vide Superpelliceum.

ALBAE PASCHALES, veſtes albae, quas Neophyti Sabbato Sancto poſt Baptiſmum induebant, deferebantque ad *Octabas Paſchae*, quae & vocabantur Dominica *ad albas deponendas.*

ALBATI, Neophyti albis induti. ALCUINUS ad diem Octavarum Paſchatis: *Hodie* ALBATI, *qui in Sabbato Sancto baptizati fuerunt, veſtibus albis exuuntur.*

ALBUM, matricula Eccleſiae.

ALITURGICI DIES. Vide Dies.

ALLELUJA (videas apud ſequioris aevi auctores non ſemel id nomen declinari) vox ad ſignificandum *laudate Dominum*, a DAVIDE primum *Pſ.* 104. adhibita, & ſupernarum Virtutum exemplo *Apoc.* 19. confirmata, a nobis toto fere anno uſurpatur, ſi novem hebdomades exceperis a Septuageſima ad Paſcha. Olim tamen non una erat Eccleſiarum in ejus vocis uſu diſciplina. Vide praeter S. AUGUST. *ep.* 119. *cap.* 17. & in *Pſ.* 106., ac S. GREG. M. *lib.* 7. *ep.* 63., Ven. THOMASIUM *Praef. in antiquos libros Miſſar. Rom. Eccleſ. T. V. Vezzoſ. edit. p. XXV.* Alleluja antiquis temporibus ſignum laetitiae erat, quemadmodum hodieque apud *Graecos*, de quo *Sebaſt.* PAOLI conſulendus *p.* 216. *Diſſ. de Ritu Eccleſ. Nerit.* Hinc *Galli & Mozarabes* Alleluja in Miſſis quoque Defunctorum canebant, uti & *Graeci*, apud quos in ipſa Quadrageſima canitur. *Romae* quoque S. HIERONYMI aevo Alleluja in Defunctorum exequiis Chriſtiani canebant, ut qui ſpem certam de reſurrectione haberent, caroſque ſuos pie ac laudabiliter curſum ſuum in Eccleſiae Catholicae pace confeciſſe laetarentur. Adi LESLAEUM in *Miſſ. Mozarab. p.* 618. Idem HIERONYMUS docet, Alleluja ſignum fuiſſe, quo Monachi ad ſacros conventus vocabantur. Nautas Alleluja reſponſantibus ripis decantaſſe, ſcribit Sidonius *lib. II. cap.* 10.

ALLELUJARE, verſiculis, reſponſoriis, idque genus aliis precibus *Alleluja* addere. In veteri *Antiſſiodorenſi* Breviario: *Reſponſoria ad horas allelujantur propter praeſentiam corporum.*

ALLELUJATICE. GUIDO diſc. farf. cap. 12. *In Laudibus vel horis canatur* ALLELUJATICE *de Reſurrectione, atque Adſcenſione*, addito ſcilicet, & in-

& inſerto verſiculis ALLELUJA.

ALMUTIA, ALMUTIUM, indumenti genus, quo Eccleſiatum Canonici, & Beneficiarii in Choro utuntur. Caput olim, & ſcapulas per hyemem tegebat; eratque ab origine pileus quidam ſubſutus, quem *capucium foderatum* appellabant, & ex ejus aucta longitudine, atque latitudine effluxerunt integrae Almutiae, pelles ſcilicet in ſcapulas, & in pectus deſcendentes. Concilium *Ravennatenſe* anni MCCCXIV. Almutiarum meminit, quae ad aures extendebantur. Hoc deinde Almutium, ſeu capucium in collum devolutum fuit ob aeſtum, & tranſverſum ſuper humeros extenſum. Confer GRANCOLASIUM *in Breviar. lib. I. cap.* 47.

ALLOCUTIO, Epiſcoporum ſermo, Concio. Extat hoc nomen non ſolum in *Laodiceno* Canone 19., ſed etiam in Miſſali FRANCORUM apud MABILLONIUM de *Liturg. Gallic. p.* 302., ubi *allocutio ad Subdiaconum ordinandum*; & *p.* 303. ubi *allocutio ad populum in ordinatione Diaconi*.

ALPHABETUM, quod Epiſcopus in Eccleſiae conſecratione baculo paſtorali pavimento ejuſdem cinere conſperſo inſcribit. Olim non ſolum *Latine*, & *Graece*, uti nunc fit, ſed etiam *hebraice*, ut MENARDUS adnotavit, deſcribebatur. In Pontificali EGBERTI *Eboracenſis*, aliiſque Libris apud MARTENIUM *de ant. Eccleſ. ritib. lib. II. cap.* 13. *n.* 13. duplex *latinum*, in *Remenſi* vero Pontificali S. REMIGII duplex *Graecum* delineandum praeſcribitur. Alphabetum quoque litteras *hebraicas* ſignificat, quae JEREMIAE lamentationibus hebdomada ſancta in nocturnis *tenebrarum* praemitti ſolent. Sic conſuetudines S. BENIGNI, MARTENIO teſte, *de ant. Monach. ritib. lib.* 3. *cap.* 13., *eas ſine cantu, & ſolitis* ALPHABETIS legendas edicunt.

ALTARAGIUM. Oblationes poſitae ſuper altare. *Aſſignabatur ſexta pars illius aeſtimationis in obventionibus Altaragiorum*, *Matth.* PARIS in vita S. GUILLELMI.

ALTARE, menſa, in qua conficitur, & diſtribuitur Euchariſtia: *Aram Dei* TERTULLIANUS vocat *lib. de orat. cap.* 14. *& lib. I. ad uxor. cap.* 7. *Sedem vero Domini Noſtri* Optat. MILEVITAN. Erant autem olim altaria nunc lignea, ut ex S. ATHAN. *ep. ad ſolitarios* conſtat, nunc argentea, ut in vita SIXTI III. apud ANASTASIUM legimus; lapidea alibi, & marmorea. Diverſae quoque erant altarium ſtructurae: nam aliquando uni columnae, aliquando duabus, aliquando etiam quatuor menſa lapidea ſuperjacebat; nonnulla autem quadro ſuperpoſita aedificio tumuli formam referebant, tamquam Martyrum ſepulcra; atque haec proprie altaria quaſi altae arae dicebantur. Vide BONAM *lib. I. cap.* 20. §. 1., & doctiſſimum Praeſulem *Stephanum* BORGIAM in praeclaro opere, quo *Vaticanam Confeſſionem* B. PETRI nuperrime illuſtravit *p.* XLIV. *ſeqq.* Vide etiam CIBORIUM. In his altaribus oltiolum ſaepe patebat, unde ſolemnioribus diebus Fidelium oculis, cultuique exhibendae producebantur Sanctorum Reliquiae: cujuſmodi ANGILBERTUS Mediol. Epiſc. in aede *Ambroſiana* ante medium ſaeculum nonum fieri curavit. Vide OSCULUM.

ALTARE CAPITANEUM, ſive *Cardinale*, erat primum altare in apſide, ſeu fronte Baſilicae pone majorem aram locatum. MARTENE *de antiqu. Monach. ritib. lib. II. cap.* 5. Eodem ſenſu accipe AUTENTICUM *Altare*, cujus

cujus meminit Breviarium *Sariſberienſe* ann. MDLVI. his verbis: *Miſſa de Vigilia Nativitatis ſi venerit in Dominica, dicitur poſt Sextam in Choro ad authenticum altare*.

ALTARE PRIVILEGIATUM illud eſt, in quo Miſſa *de Requiem* celebranda conceditur iis ipſis diebus, quibus non liceret ad juvandas, atque adeo liberandas, ſi Deo placuerit, Defunctorum animas, peculiaribus additis Indulgentiis. Hujuſmodi altarium origines licet a GREGORIO XIII. repetendae non ſint, quum ſimilia Altarium privilegia JULIUM III. ann. MDL. conceſſiſſe aliqui adfirment, antiquis tamen exemplis carent, nec ſatis BIELI fidendum ajenti a PASCHALI I. ſub noni ſaeculi initia Pontifice Eccleſiam S. *Praxedis* hocce privilegio donatam fuiſſe.

ALTARE UNIGENUM, ſeu *Ara unigena*. *Graeci* unicum tantum altare in ſingulis habent Eccleſiis, & unius tantum altaris meminerunt Patres, & Hiſtorici *Graeci*, unigenamque hanc Aram vocat TYRIUS orator *in Panegyrico Encaeniorum Templi a* PAULLINO *Epiſcopo aedificati*, ut apud EUSEBIUM *lib. X.* ſuae hiſtoriae. Tamen in Sepulcri Dominici Eccleſia, referente ARIULFO Epiſcopo *Gallo*, qui loca ſacra inviſit ſaeculo ſeptimo, altaria erant quinque, & in Baſilica S. MARIAE in Valle *Joſaphat* altaria quatuor. Eadem unius altaris diſciplina primis Eccleſiae ſaeculis in Occidente viguit. Vide ROSWEID. ad PAULLIN. *ep. XII. pag.* 894. Ceterum ſaeculo VI. *Burdigalae* in Baſilica S. PETRI altare duplex erat, uti nos docet *Gregorius* TURONENSIS Epiſcopus in libro primo *de gloria Martyrum, capite trigeſimo tertio*. Saeculo dein octavo numerus Altarium auctus; adeo ut CAROLUS M. in Capitulari edito anno octingenteſimo quarto ad *Theodonis villam* mandaverit *de altaribus, ut non ſuperabundent in Eccleſia*.

ALTARE PORTATILE. Quid illud olim latinis fuerit, docent HINCMARI *Rhemenſis* Capitula edita anno ſui Epiſcopatus XII. *Nemo Presbyterorum in Altario ab Epiſcopo non conſecrato cantare praeſumat. Quapropter ſi neceſſitas popoſcerit, donec Eccleſia, vel Altaria conſecrentur, tabulam quiſque Presbyter, cui neceſſarium fuerit, de marmore, vel nigra petra, aut litio honeſtiſſimo, ſecundum poſſibilitatem, honeſtam adfectatam habeat, & nobis ad conſecrandum adferat, quam ſecum, quum expedierit, deferat, in qua ſacra myſteria ſecundum ritum Eccleſiaſticum agere valeat*. Ordo *Romanus* haec altaria *Tabulas itinerarias* vocat; uti & BONIFACIUS VIII. *cap. ult. de privileg. n. 6. Altaria viatica*.

ALTARERIUS, ALTARARIUS, ALTARISTA, Cuſtos Altaris; quo nomine *Cubicularii, & Manſionarii Scholae Confeſſionis*. S. PETRI poſt annum MCCCXXII. appellari coeperunt. Ac SIXTUS quidem IV. ann. primum MCCCCLXX. id munus ad dignitatem evexit, alicui tantum ex Canonicis per Romanum Pontificem conferendam. Vide *Tom. II. Bullar. Vatic. Baſil. p.* 206. *ſeqq.* Facultatem autem habet ab INNOCENTIO VI., & URBANO V. conceſſam ejuſdem Baſilicae cum aqua ab Epiſcopo reconciliandae, ſi forte illam ſanguinis effuſione, aut pollutione violari contingat. Idem, quod olim Aſſiſi ſeu Beneficiati, aut Manſionarii praeſtabant, ex SIXTI IV. diplomate apud TORRIGIUM *de Cryptis Vaticanis p.* 529. *ſec. edit.*, nunc facit, ſinguliſque diebus, vel ſaltem qualibet hebdomada ejuſdem

Baſili-

Digitized by Google

Baſilicae altaria viſitare tenetur.

ALTITUDO *ritus*. Ritus major, ut primae, vel ſecundae claſſis, ſeu, ut ajunt *Ambroſiani*, *ſolemnis*. *Quod ſi in die Dominico evenerit aliqua feſtivitas........tunc illa celebratur, ſicut conſuetudo, & altitudo ejus exigit.* Ord. Caſſin.

ALTIUS *inclinare*, ideſt profundius, ſubmiſſius. *Qui dum per Chorum tranſit* (ideſt ille, qui textum Evangelii defert) *omnes altius inclinant illi.* Ord. Caſſin.

AMA, AMULA, & etiam cum adſpiratione HAMA, HAMULA, vas, quo ſacra vini oblatio continetur. *Amulas* ſimiles *urceolis* fuiſſe, PAPIAS docet. De *Amula oblatoria* in charta *Cornutiana* mentio fit, & in *Romanis* Ordinibus. Hae *amulae* quandoque *argenteae*, quandoque *aureae* erant. *Aureas* enim, & *argenteas amas*, & *amulas* frequenter memorat vulgatus ANASTASIUS. Eas quoque pretioſis lapidibus exornatas ex S. GREG. M. diſcimus *lib. I. ep.* 42. ad PETRUM *Sicil. Subdiac.*, ubi *amulas onychinas*, onychis ſcilicet lapillis inſertis ornatas, memorat. Hodie etiam Amula *Italis* dicitur vulgo vaſculum vitreum ad uſum aquae & vini, & praeſertim in Sacrificio Miſſae. Aliquid tamen inter *Amas*, & Amulas olim intererat; hae minores erant, illae majores. Atque amulae quidem pro vino a fidelibus ad altare tradendo adhibebantur: amae pro hoc vino oblato in ipſas infundendo, quod denuo in Calicem Sacerdotis pro Sacrificio fundebatur. Ideo ad ſtationes, quo populus frequentior conveniebat, quum major eſſet vini oblatio, plures ex hiſce amis deferebantur, quae interdum argenteae, quales GREGORIUS IV. feciſſe in ejus Vita dicitur, aliquando etiam aureae. Vide BERLENDIS *de Oblation. p.* 112. *latinae primae edit.* 1743.

AMBO, Eccleſiae ſuggeſtum, (*pulpitum, id eſt tribunal Eccleſiae* CYPRIANUS *vocat ep.* 34. *Pamel. edit.*) in quo praeter lectiones ſacras etiam diptycha recitari, ſermones ab Epiſcopis haberi, Capitula Synodorum legi conſueverant. Ex eodem loco fidei profeſſionem emitti ſolitam ab his, qui ad fidem convertebantur, conſtat ex AUGUSTINO *l.* 8. *Conf. c.* 2. In eo quoque ſtabant Cantores, graduale, & reliqua cantaturi. In quibuſdam Eccleſiis duo erant Ambones, unus in Aquilonari parte pro legendis epiſtolis, alter in Auſtrali pro Evangelio. Tres *Romae* conſpiciuntur in Eccleſia S. CLEMENTIS, duo in cancellis dexteris, unus ſcilicet pro Epiſtola verſus altare, ſecundus pro legendis Prophetiis verſus populum, tertius in ſiniſtris paullo altior, & ornatior pro Evangelio. Ubi unus tantummodo eſſet Ambo, in inferiori ejus loco epiſtola, in ſuperiori Evangelium legebatur. Vide DICTERIUM.

AMBROSIANUS *Ritus* a S. AMBROSIO non tam auctore, (quod primus prodidit *Walafridus* STRABO) quam reformatore, atque amplificatore vocatus eſt. Is certe, PAULLINO in ejus Vita, & S. AUGUSTINO *l. IX. Confeſſ.* teſtibus, in occidente primus ſtatuit, ut Antiphonae, Pſalmi, Hymnique *ſecundum morem* orientalium *partium canerentur*. Hymnos quoque plures compoſuit, qui apud alias quoque *latinas* Eccleſias diu viguere. Ceterum hujus ritus vetuſtatem ſatis patefacit ejus a ceterarum *latinarum* Eccleſiarum moribus, cum in Horis Canonicis perſolvendis, tum in ſacra Li-

turgia peragenda diverſitas, de qua vide BONAM, & MURATORIUM *Antiquit. Italicarum diſſ. LVII.* Illud quoque exploratum eſt, S. BENEDICTUM plura ex ritu *Ambroſiano* coopraſſe, ut ſcribit AMALARIUS *in ſupplem. de divin. Offic.* Hinc in regula Sanctiſſimi Abbatis ſaepe *Ambroſiani* occurrunt in divino officio dicendi, nempe *Hymni:* Reſponſoria vero *Ambroſiana* in Calendario *Corbejenſi* apud MARTENE *lib. III. de ant. Monach. ritib. c. 26.*, uti & in Mſ. S. MARTIALIS *Lemovicenſis*. Quid? quod Monachos Abbatiae *Molunenſis Ambroſianum ritum exercuiſſe* teſtatur ARNOLDUS de KNISTON *Ciſtercienſis* Monachus *l. X. de eventibus Angliae*.

AMEN, *Hebraea* vox eſt ſignificans *ita eſt*, vel *ita ſit*, eſtque eorum, quae dicta ſunt, adfirmatio. Eccleſia vero adjiciendo *Amen*, morem ſequitur *Judaeorum*, qui Sacerdoti precanti reſpondebant *Amen*. Qua voce profitetur populus ſe probata, & rata habere, quae a Sacerdote dicuntur; hinc nos ea utimur ad finem Collectarum, & Orationum. Eadem de cauſſa lecto Evangelio fideles olim dicebant *Amen*, uti BELETHUS, & DURANDUS teſtantur; quod etiam in *Mozarabum* Miſſa praeſcribitur. *Graeci*, & alii *Orientales* verba conſecrationis elata voce pronunciant, & populus reſpondet *Amen*. Idipſum olim in uſu apud *Latinos* fuit. Vide TERTULL. *lib. de ſpectac. cap. 25.*, & AMBROS. in *lib. de iis, qui initiantur*. Communicantes quoque, ubi Sacerdos dixerat Corpus Chriſti, reſpondebant *Amen*: qui mos etiamnum *Pariſiis* ſervatur. Vide HIERON. *ep.* 62. ad THEOPHIL., AUGUST. *lib.* 12. *contra* FAUSTUM *cap.* 10., LEON. *M. Serm. 6. de jejun. VII. Menſ.*, alioſque a me citatos in notis ad MALDONATUM T. III. *Bibl. Rit. p.* 81.

AMICTUS, *primum*, inquit AMALARIUS *l. 2. c. 17.*, *veſtimentum noſtrum*, (Sacerdotum) *quo collum undique cingimus*. Hujus initia ad octavum ſaeculum Le BRUNIUS perperam detrudit. Confer quae in hanc rem nuper diſputavit Eques clariſſ. *Hannibal* de ABBATIBUS OLIVERIUS in exquiſitiſſimis de S. TERENTIO Martyre diſquiſitionibus Italice *Piſauri* vulgatis *pag.* 134. Venantius FORTUNATUS *lib. 2. epigr.* 3. de Amictu canit:

Et textis Crucibus magnificatur opus.

Hinc porro fit, amictum Cruce jam tunc in medio fuiſſe inſignitum. Olim in *Romana* ipſa Eccleſia, quemadmodum etiam nunc apud *Ambroſianos*, & apud Canonicos *Lugdunenſes*, amictus poſt albam, & cingulum *Orientalium* more ſumebatur. Verum undecimo ſaeculo, ut ex *Vallicellano* ejus ſaeculi Miſſali GEORGIUS arguit, *Romae* conſuetudo obtinuerat amictus ante albam adcipiendi. Pluribus amictus nominibus deſignatur, uti *Ephod* in Miſſa *Illyrici*, *Humeralis* apud HONORIUM *in Gemma Animae*, *Superhumeralis* in Miſſa RATOLDI, *Ambolagii*, ſeu potius *Anabolagii*, vel *Anaboladii* in Ordine *Romano*. *Graecum* eſt extremum hoc nomen: *Graeci* tamen hodie amictu non utuntur. Olim in *Romana* Eccleſia Amictus Diaconi Card. ſtrictior erat amictu Card. Presbyteri. Vide de hac, & ceteris veſtibus Sacerdotalibus MACROS *in Hierolexico*, SAUSSAJUM *in Panoplia Sacerdotali p. I.*, GEORGIUM *Tom. I. de Liturg. Rom. Pont.*, BONAM *lib. I. Rer. Liturg. cap.* 24. & SALAM in eumdem.

AMPHI-

AMPHIBALUM, albae planetae genus, qua Epiſcopi feſtis diebus utebantur. S. REMIGIUS *Remenſis* Antiſtes in ſuo teſtamento ann. DXXXIII. *futuro Epiſcopo Succeſſori ſuo* AMPHIBALUM *album Paſchalem* reliquit. Ea autem cum capitio erat, cujuſmodi *Caſula proceſſoria*, qua Epiſcopi, quum ad publicas ſupplicationes procederent, utebantur. Quare in Vita S. BONIFACII Epiſc. legimus: *Lacrymarum ei gratia in ſacro non deerat officio, ut Amphibali ſummitas, quo caput tegebatur, ex profuſione earum madida videretur*, non quod Amphibalum amictus eſſet, ut nonnemo explicavit, ſed quod Amphibalum capitio, quo caput tegebatur, eſſet inſtructum.

AMPULLAE olim manibus ab Acolytho portabantur; qui mos etiam ſaeculo XVI. viguit, ut ex *Paridis* de CRASSIS *lib. I. de Caerem.* cap. XIII. CATALANUS recte arguit; nunc ex Caeremoniali Epiſcoporum ab Acolytho *ſuper aliquo parvo bacilli* diſpoſitae ſunt deferendae. Vide Ama.

AMULA. Vide Ama.

ANABOLADIUM, *Anabolaſium*, *Anabolae*, *Anagolagium*, & *Ambolaſium*, amictus. S. AMBROSIUS *lib. de Benediction. Patriarch.*, ubi nos Geneſis 49. legimus: *Lavabit in ſanguine uvae pallium ſuum &c.* legit: *Anaboladium ſuum*. Vide Ordines Romanos apud MABILLONIUM tertium *pag.* 54. & quintum *p.* 64.

ANACHORETAE ſunt, ut ait ISIDORUS *lib. I. de Eccleſ. Offic. cap.* 15., *qui jam coenobiali converſatione perfecti includunt ſemetipſos in cellis, procul ab hominum conſpectu remotis, nulli praebentes acceſſum, ſed in ſola contemplatione divina viventes*. Vide BARONIUM *ad ann.* 328. *n.* 26.

ANAGNOSTES, *Graecorum* Liturgicus Liber, quo ſacrae ex utroque Teſtamento Lectiones continentur. Vide dicta *T. I. Biblioth. Ritual. p.* 17.

ANALABUS. Analabum recenſet S. DOROTHEUS *Doctr. I. de renunc.* inter habitus Monachales, aitque in Crucis modum poni ſuper humeros. Eum explicatius deſcribit P. Daniel PAPEBROCHIUS in Actis Sanctorum Junii *Tom. II. Junii, die 9. in notis ad Vitam S. Juliani litt. C. pag.* 177. „ Analabus, *inquit*, latinis *Scapulare*, quamdam Crucis formam habebat „ antiquitus, & etiam nunc habet apud Minimos *S. Franciſci* de PAULA, „ humeros cum parte brachiorum tegens, atque ante pectus, & ad dorſum „ defluens..... Hic autem fere ſolus amictus conſtituebat parvum habitum „ Monachorum, & ſolus pueris, ac tyronibus dabatur. „

ANALOGIUM idem ſignificat, quod *Ambo:* ſic autem nuncupatur, quia in eo verbum Dei legitur, & adnunciatur. *Tribunal Analogii* vocat S. GERMANUS in Miſſae *Gallicanae* expoſitione. Vide & GREGORIUM *Turonenſem de mirac. Martyr. lib. I. cap.* 94. Ceterum *Analogium* dici etiam poſſet ſedes illa, ſeu pluteus, in quo vel liber Evangeliorum, vel Lectionarium ad legentis commoditatem collocatur, nobis *Leggio*.

ANAPHORA *Graece*, *Latine* Miſſa, ſic dicta, quia Sacrificium ſurſum Deo offertur, vel quia adſtantes Sacrificio ſurſum corda ad Deum tollunt. *State cum reverentia, ſtate cum tremore illa elevationis hora .... Anaphora enim dicitur, quia ſurſum ad Deum fertur*. ANASTASIUS Sinaita Orat. *de Sinaxi*.

ANATHEMA penultima longa per *η.*, latine *ſepoſitum*, ſubintellige do-

 narium,

narium, quod ad Dei honorem ſeponitur, & quod nefas inde amovere. Penultima vero brevi per ε., ſignificat *devotum*, uti dicunt Poetae, *diris caput*: hinc apud Eccleſiaſticos Scriptores pro excommunicatione, & excommunicato ſumitur. Hinc *anathematis verbum*, de quo in Vita *S. Hadriani I.* apud ANASTASIUM, pro excommunicationis ſententia; & *anathematis obligatio*, nempe obligatio ſub excommunicationis poena ibidem in Vita *Stephani III. T. III. lib. Pontif. p. 181. & 153.*

ANAK, urcei genus in ſacro miniſterio apud *Gallos* olim uſitatum. De eo S. GREGORIUS *Turonenſis lib. II. de glor. Martyr. cap. 7.*

ANCILLA Dei, Virgo, ſeu mulier Deo ſacra. In Conc. *Rom.* ſub GREGORIO II. *Si quis Monacham, quam Dei ancillam appellamus, in conjugium duxerit, anathema ſit.* Vide etiam S. GREGORIUM M. *lib. I. ep. 23. 42. & 46, & lib. II. ep. 59.* In Inſcriptionibus S. PAULLI apud MARGARINUM *num.* 201. occurrit GAUDIOSA ANCILLA DEI, & num. 243. ANCILLAE DEI MONASTERII S. STEPHANI POSITI AD S. PAULLUM. *Pro velatione Ancillarum Dei* Evangelium, quod legendum erat, indicatur in veteribus *Capitularibus* apud THOMASIUM T. V. *Vezzoſ. edit. p. 515., & in Lucenſi, ac Florentino* a me vulgatis *T. I. Biblioth. Ritual. p. 214. & 237.* Nonnumquam tamen id nominis feminis tribuitur, quae domi ſuae quum degerent, ſanctioris vitae leges ſervabant, & vulgo *bizzoche* dicuntur. Hujuſmodi fuit, quemadmodum animadvertit Cl. Abbas GALLETTUS in opere inſcripto: *Gabio antica Città di Sabina p. 35., bona illa ancilla Dei*, quae ann. DCCXLVII. Farfenſibus Monachis *pro mercede, & abſolutione animae ſuae, & viri ſui* Guerolfi, & filiorum ſuorum plura dono dedit ſita *in fundo Fornicata*.

ANDRONA, locus in Eccleſiis adſignatus pro maſculis, & mulieribus: mos enim erat dividendi feminas a viris in Eccleſiis, qui & nunc *Mediolani*, & praeſertim in ruralibus Eccleſiis. *Dum quemdam pauperem in anguſtis Andronarum receſſibus a veſpilionibus inveniri mortuum contigiſſet.* JOHANNES Diaconus in Vita S. GREGORII *l. 2. c. 29.*

ANGELICA *Salutatio.* Vide Ave Maria.

ANGELICUS HYMNUS. Vide Gloria in excelsis, Trisagium.

ANGELUS *Domini.* Juſſerat, jam ſaeculo XV. ineunte, Concilium *Colonienſe*, ut quotidie ad ſolis ortum Campanae ſignum ederetur. Quin LUDOVICUS XI. *Galliarum* Rex ſtatuit, ut *Ave Maria* ad Campanae ſonitum meridie recitaretur, quemadmodum Veſpere jam more receptum erat; unde idem quoque mane fieri ſolebat. Verum tamen ex Concilio *Senonenſi* ſaeculo XIV. celebrato, his temporibus nondum addebatur *Angelus* Salutationi Angelicae. Hic enim ritus in Eccleſia *Xantonenſi* primum receptus, a JOHANNE XXII. adprobatus fuit, conceſſa decem dierum Indulgentia iis, qui dato eo ſigno Salutationem Angelicam recitarent, atque Incarnati Verbi myſteria religioſe venerarentur; quam laudabilem conſuetudinem iiſdem conceſſis Indulgentiis in Urbem poſtea invexit. Aucta hinc, & in univerſum Chriſtianum orbem paullatim propagata eſt. BENEDICTUS XIII. conceſſit recitantibus ſemel in die *Angelus Domini* cum Salutatione Angelica flexis genibus centum dierum; & ſemel in menſe Com-

munione

munione refectis Indulgentiam plenariam; quod BENEDICTUS XIV. confirmavit; *Nicaeno* tamen Canoni inhaerens juſſit, orationem illam a veſperis cujuslibet Sabbathi uſque ad integram Dominicam ſequentem a ſtantibus recitari; ac inſuper tempore Paſchali loco illius orationis Antiphonam *Regina Coeli* a ſtantibus dicendam ſuffici.

ANIMETTA, palla eſt, quae calicem tegit, ſic dicta, quod quaſi anima in plicato Corporali includitur, ſervaturque. Vide *Joſephum* VICECOMITEM *lib. VII. cap.* 5.

ANNALE in *Gallia* feſtum primae claſſis vocatur, ut & *ſemiannale* feſtum ſecundae claſſis.

ANNATAE, penſiones, ſeu reditus primi anni ex obtentis, quae vacabant, beneficiis Eccleſiaſticis. Earum origines expoſui, atque aequitatem adverſus Febronium primum in *Antifebronio*, deinde in *Antifebronio vindicato* defendi.

ANNI CIRCULUS. Quamquam dictio haec *de anni circulo, vel per anni circulum* barbara, & a linguae *latinae* nitore aliena videatur, antiquiſſima tamen in ſacris libris Liturgicis eſt, qua ſignificentur ea, quae ſtatis anni diebus, ac temporibus in celebratione Sacrorum ſunt dicenda, ac peragenda. Apud *Occidentales* occurrit haec formula in Hymno, JESU *Redemptor omnium*, AMBROSIO tributo, quem nunc etiam in Natali Domini legimus, ubi habetur:

Teſtatur hoc praeſens dies
Currens per ANNI CIRCULUM.

Gregorius quoque TURONENSIS *lib. X. hiſtor. c.* 31. de S. PERPETUO ait: *Hic inſtituit jejunia, vigiliaſque, qualiter per* CIRCULUM ANNI *obſervarentur*. FELIX quoque *Toletanus* in *lib. de Script. Eccleſ.* de ſuo deceſſore S. JULIANO agens, *librum Miſſarum memorat de toto circulo anni in quatuor partes* ab eo diviſum. *Cloveſhovienſe* vero II. in *Anglia* Concilium idem explicat *Can.* 13. his verbis: *per gyrum totius anni*. ANNI Eccleſiaſtici initium omnia fere Capitularia Evangeliorum, & Epiſtolarum, & plures Sacramentariorum Codices a Vigilia, ſeu a die Natalis Domini ſumunt. Sunt tamen Antiphonarii, & Gradales Libri ſatis vetuſti, qui ab adventu Domini more nunc apud *Romanam* Eccleſiam uſitato annum auſpicantur. Idem anni initium exhibet Miſſale *Gallicanum* MABILLONII, & vetus Miſſale *Romanum* Monaſticum Lateranenſe ANTONELLII. Immo & a Paſchate annum aliquae Eccleſiae inchoabant, ut ex Canone XVIII. Concilii TURONENSIS II. conjicit MABILLONIUS *de Liturg. Gallic. p.* 420.

ANNIVERSARIUM, annua Commemoratio unius, aut plurium Defunctorum, vel ex annuo legato, vel ex pia liberalitate proveniens. Dicitur etiam *Annuale*, quia ſingulis annis certa die celebratur &c., vel quia poſt annum ab obitu fieri conſuevit.

ANNIVERSITAS, annua commemoratio Epiſcopi defuncti, vel ejus conſecrationis. *Sed & ne* MAURI *quondam Epiſcopi Anniverſitas celebretur &c.* ANASTASIUS *Bibliothec.* in LEONE II. *T. I. lib. Pontif. p.* 289.

ANNOTINUM CHRISMA. Ordo Romanus BENEDICT. apud MABILLON. *p.* 138. *In Sabbatho Sancto mane ſurgit Archidiaconus, & miſcitat oleum,*

oleum, *& chriſma* ANNOTINUM *in cera munda &c.*

ANNOTINUM PASCHA. *Romani*, inquit MICROLOG. *de Eccleſ. obſerv. cap. LVI.*, *Annotinum Paſcha, quaſi Anniverſarium Paſcha dicunt, quia antiquitus apud illos, qui in priore Paſcha baptizati erant, eadem die in ſequenti anno conveniebant, ſuaeque regenerationis anniverſarium diem cum oblationibus ſolemniter celebrabant.* In aliquibus Sacramentariis Mſſ. poſt Dominicam in Albis Miſſa particularis adſignatur cum hoc titulo: *Miſſa in Paſcha Annotinum.* Quo ritu *Paſcha Annotina apud Farfenſes* celebraretur, docet GUIDO *Diſcipl. Farſ. cap. 7. n. 49. Vet. diſc. Monaſt.*

ANNULUS. *Epiſcopo* (inquit S. ISIDOR. *lib. 2. de offic. cap. 5.*) *dum conſecratur, datur annulus propter ſignum Pontificalis honoris, vel ſignaculum ſecretorum. Graeci* tamen, & *Orientales* Epiſcopi non ante ſaeculum XII. annulo uſi ſunt. ALCUINUS, AMALARIUS, & RHABANUS annuli non meminerunt, fortaſſe quod, quum Epiſcopi tum ſemper deferant, peculiare ejus ſolemniter celebraturi ornamentum non habuerant. In quarto Concilio *Toletano* Can. 27. ſancitur, ut Epiſcopo injuſte depoſito, tamquam ſuae dignitatis ſignum, reſtituatur annulus. Ejus uſus Abbatibus per privilegium conceſſus fuit: quare INNOCENTIUS III. uſum Annuli concedens FULCONI *Corbejenſi* Abbati, ad eumdem ſcribit: *Inter ceteros ſiquidem ſacramentales ornatus Praelatis Eccleſiarum conceditur annulus, qui eſt ſignaculum fidei &c.*

ANNULUS *Piſcatoris*. De eo in Brevi CLEMENTIS IV. ad Nepotem ſuum, quod refert PANVINIUS ad PLATINAM, haec habentur: *Non ſcribimus tibi, nec familiaribus noſtris ſub Bulla, ſed ſub Piſcatoris ſigillo, quo* Romani *Pontifices in ſuis ſecretis utuntur.* Ad quae notat CIACCONIUS: „ Ultimis verbis iſtius Epiſtolae deſignantur ſigilla duo, quibus
„ Pontifices Romani utuntur: unum in ſacris juſſionibus publicis, quas *Bul-*
„ *las* vocant, (nota quod Bullae ipſa ſint ſigilla) idque plumbeum eſt; al-
„ terum in privatis ad quoſcumque litteris: habent enim in Annulo Piſca-
„ toris effigiem in navicula poſiti, & retia laxantis, ideſt PETRI, qui Pi-
„ ſcator quum eſſet, ad Apoſtolatum a Chriſto vocatus fuit. Defuncto
„ Pontifice, rumpi ſolet hic annulus, uti & plumbum; qui mos fortaſſe a
„ LEONIS X. obitu primum coepit. Vide CATALANUM *Tom. I. Comm.*
„ *in Caerem S. R. E. pag.* 72.

ANNUNCIATIO. Calendarium FRONTONIS habet: *Adnunciatio Domini*; Romanum parvum ADONI praemiſſum: *Annunciatio Dominica*: ſic etiam BEDA genuinus, & quaedam HIERONYMIANA apographa; immo & in Kalendario *Neapolitano* inſculptum vidimus: *Annunciatio Domini Jeſu*. Verum in Martyrologio *Hieronymiano Lucenſi* FLORENTINII ſcribitur: *Adnunciatio* S. MARIAE *de Conceptione. In Corbejenſi* DACHERII eſt *Annunciatio* S. MARIAE *per Angelum. Hiſpanis olim Feſtivitas Dominicae Matris, aut Feſtum S. Virginis* MARIAE, ut ex Concilio *Toletano* 10. *cap I.*, & ex Codice Legum *Wiſigothorum lib.* 12. *tit.* 3. *leg.* 6. colligitur. Quibus haec feſtivitas in toto *Gothorum* Imperio die 15. Kal. Januarii ſacra celebritate ſervari praecipitur. Feſtivitatem hanc Annuntiationis, ſive *Incarnationis* Filii Dei praeceſſiſſe Decretum Concilii *Toletani* X., ex ipſius Concilii verbis patet: *Invenitur enim*, inquiunt Patres *Toletani*, *in multis* Hiſpaniae *partibus*

hujus

Digitized by Google

hujus ſanctae Virginis feſtum non uno die agi. Quare, quum dies ipſa Annunciationis Angelicae cadat frequenter in Quadrageſimale, & nonnumquam in tempus Paſchale, quo feſtivae ſolemnitates non celebrantur, ſtatutum fuit, ut, ſublata omni varietate, *ſolemnitas Dominicae Matris die XV. Kal. Januariarum omnimodo celebretur*, eamque non minori ſolemnitate frequentari volunt, quam ipſa Chriſti Nativitas, quod, inquiunt, non ſine exemplo ſtatutum eſt: *in multis namque Eccleſiis a nobis & ſpatiis remotis, & terris hic mos agnoſcitur retineri*. ,, Nihilominus ſuſpicor, inquit LESLAEUS *ad Miſſ.* ,, *Mozar. pag. 83.*, Myſterium Annunciationis peculiari feſtivitate coli coe- ,, piſſe non diu ante initium ſeptimi ſaeculi: quae enim antiquiora pro ea ,, citantur teſtimonia, vel dubia ſunt, vel conjecturis tantummodo nituntur. ,, Concilium *Trullanum* anno DCXCII. celebratum *Can. 5.* ſtatuit: *Ut in* ,, *omnibus ſanctae Quadrageſimae Jejunii diebus, praeterquam Sabbato, & Do-* ,, *minica & ſancta Annunciationis die fiat praeſanctificatorum ſacra Liturgia*. ,, Quibus evincitur, feſtum Annunciationis in *Oriente* tempore Quadrageſi- ,, mae celebratum eſſe. *Romae* pariter die 25. Martii feſtum Annunciatio- ,, nis celebrabant. At de hac ſolemnitate ſilent Calendaria *Bucherianum*, & ,, *Chartaginenſe*; unde videtur, S. AUGUSTINI aevo in *Africa* nondum agi ,, conſueviſſe.

ANTHOLOGIUM, ſeu *Horilogium*, opus *Graecum* eſt in duodecim menſes tributum, quo officia in Domini N. J. C., B. Deiparae Virginis, & reliquorum celebrium Sanctorum ſolemnitatibus apud *Graecos* per totum annum decantari ſolita continentur. Vide noſtram Bibliothecam Ritualem *T. I. p. 91.* Exſtat praeterea *Anthologium Novum* ex omnibus pene divinorum officiorum voluminibus in *Graecorum* uſum ab ARCUDIO decerptum, editumque *Romae* MDXCVIII. 4. De hoc ibidem egi *p. 92.*

ANTIMENSIA, *Graecis*, qui altaria portatilia non habent, loco menſae ſunt, ſeu altaris; ſunt autem quidam panni conſecrati, quibus *Orientalis* Eccleſia utitur, dum liturgiam in altari non conſecrato celebrari contingit. Exſtat horum conſecratio in Euchologio *Graecorum*. Antimenſiis Praefectum *Graeci* habebant, cujus totum officium erat Communicantes ad Euchariſtiam comparare. Plura de Antimenſiis dabunt *Chriſtianus* LUPUS *3. p. Synodor. in diſſ. de Actis* LEON. IX. *cap. 13.*, & RENAUDOTIUS *T. I. liturgiar. Oriental. pag. 182.*

ANTIPEMTUM. De LEONE III. haec ANASTASIUS *T. II. p. 276.* *Fecit aquamanus antipemto deauratas, paria duo penſantia ſimul libras XIIII.* *Antipemtum* in hunc locum VIGNOLIUS interpretatur *Vas ad aquam effundendam lavandi manus gratia*. Sed fallitur heic Vir doctus. *Hoc de aquamanibus recte, verum antipemtum aliud quid erat ab hiſce aquamanibus antipemto deauratis*. Corruptum ANASTASII locum eſſe MACER in Hierolexico exiſtimavit; nec fortaſſis male: ſed quam adhibuit reſtituendi rationem, ea prorſus abſona eſt. *Legendum*, inquit, Antipente *ex* Graeco *αντ* oppoſitum, & *πεντε* quinque, *ideſt quinque vaſis alia quinque oppoſita*. Monſtra haec ſunt: *paria duo fuerunt; qui ergo de quinque vaſis* Lexicographo noſtro venit in mentem cogitare? Ego vero non difficile adſentiar, locum medica manu indigere, & quum apud eumdem ANASTASIUM ſaepe ſaepius *aquamaniles*,

& aquae-

& aquaemanilia occurrant de argento, (vide quae GEORGIUS hanc in rem congeſſit exempla *T. I. p. LXXXIV.*) heic quoque *de argento* legendum eſſe cenſerem. Quod ſi id non placet, dicam *antipemto* extimam, ſeu anteriorem horum vaſorum partem denotari, qua tantummodo *deaurata* fuerint.

ANTIPHONA eſt cantus Eccleſiaſticus alternus, quum a duobus choris Pſalmi, & Hymni alternis vicibus concinuntur. Quae vero in Eccleſiaſticis Officiis Antiphonae appellantur, Pſalmi cantum per duos choros antecedunt. Hinc a nonnullis Antiphona dicitur praeludium ad cantum, *&* *levare Antiphonam* (quod legitur apud ECKEARDUM) ſignificat vocem ad cantum componere. Antiphonarum uſus major eſt in horis Canonicis, quam in Miſſa. In hac tamen ſuus quoque locus Antiphonis eſt, nempe tum in *Introitu*, qui etiam *Antiphona*, & *Antiphona ad introitum* vocatur in Ord. *Rom.* I., tum in Offertorio, ut ex S. GREGORII M. Antiphonario conſtat, *ubi Antiphona ad offerenda*, ideſt ad offertorium praeſcribitur. Ex Pſalmis plerumque Antiphonae deſumptae ſunt, vel ex aliis ſacrarum litterarum locis. Paucae in Introitu aliunde ſunt ductae, ut, *Salve ſancta Parens; Gaudeamus omnes in Domino*, eaſque irregulares DURANDUS appellat. Antiphona, quae *Communio* dicitur, non poſt ipſam Communionem, ut in pleriſque Eccleſiis modo fit, ſed tempore ipſius Communionis cum ſuo Pſalmo cantabatur; cujus moris locuples pro *Africana* Eccleſia teſtis eſt S. AUGUSTINUS *Retract. lib. II. cap.* 11. In divino autem officio antiphonae aliquae hiſtoricae ſunt, quae ex hiſtoria myſterii, ſeu Sancti, cujus Feſtum celebratur, carptim delibatae per ſingulos Pſalmos, ſeu Cantica diſtribuuntur; aliquae etiam mixtae quodammodo dici poſſunt, quae ſcilicet vel ex Pſalmis, vel ex alio Scripturae Sacrae libro deſumptae, paucis verbis additis, vel mutatis, vel tranſpoſitis ad rem myſterii, ſeu Sancti traducuntur. Quum autem, ut diximus, Antiphonae ad vocis modum Pſalmis dandum ſolum inſtitutae fuerint; hinc nullae ſunt in minoribus horis trium ante Paſcha dierum, quia recitari tantum, non cani ſolent. Nullae quoque habentur in iiſdem horis per Paſchatis hebdomadam, quia earum cantus nihil aliud fere eſt, quam vera Pſalmodia. Eſt & aliud Antiphonarum genus, quae ſcilicet in B. MARIAE Virginis honorem ad Completorii finem recitari ſolent. Hallucinatus videri poſſet SIGONIUS tradens, GREGORIUM IX. juſſiſſe Antiphonam *Salve* decantari: nam in nullo Breviario ante decimi ſexti ſaeculi annum vigeſimum proſtat. In ſuum illam inſeruit Cardinalis S. *Crucis*, ſeu GUIGNONIUS; ex eo autem S. PIUS V. ipſam in *Romanum* officium tranſtulit. WADINGUS tamen in medium profert epiſtolam, adulto jam ſaeculo decimotertio, a *Johanne* PARMENSI Fratrum *Minorum* Generali conſcriptam, in qua mentio habetur quatuor Antiphonarum, hodierno uſu receptarum in fine officii ad Laudem B. MARIAE Virginis. Earum quoque meminere Mſſ. ſtatuta Capituli *Floriacenſis* Abbatum *Floriaci*, & Prioris & Conventus, *de Regula c.* 4. apud MARTENE *de antiq. Monach. ritib. cap.* 12. his verbis: *In fine Completorii loco Antiphonarum, quae dicuntur de* B. MARIA, *videlicet*: Completi ſunt, & ecce completa ſunt, *debet alia Antiphona, ſcilicet* Alma Redemptoris, *aut* Salve Regina, *ſeu quaelibet alia Antiphona ad libitum Cantoris ſingulis*

Digitized by Google

gulis diebus in Conventu ſolemniter celebrari. Quin de hujuſmodi Antiphonis intelligendum eſt Decretum Capituli Generalis *Anglorum* Monachorum anno MCCCCXLIV. *Northamptonae* celebratum, & a MARTENE ibidem relatum. Omnium celeberrima harum Antiphonarum ea eſt, quae dicitur *Salve Regina*. Illam S. LUDOVICUS *Galliarum* Rex, referente NANGIO, quotidie poſt Completorium recitari curabat: *In fine Completorii ſpecialis Antiphona Beatae* MARIAE *alta voce cantabatur*. Concilium etiam apud *Pennamfidelem in Hiſpania*, ineunte ſaeculo decimo tertio habitum, jubet *Can. 13., ut in laudem S. Virginis ſingulis diebus poſt Completorium, canatur* Salve Regina *alta voce cum verſu* Ora pro nobis &c. *& Oratio* Concede nos famulos &c. Verum *Carthuſiani* non in fine Completorii, ſed ad Veſperas dicunt eamdem Antiphonam; *Carmelitae* in fine cujuſque horae; *Ciſtercienſes* toto anni tempore; *Cluniacenſes* vero numquam recitant. Fratres *Praedicatores* ſingulis diebus proceſſionem ineunt poſt Completorium, canentes in honorem Beatae Virginis hanc Antiphonam. Auctorem Antiphonae *Salve Regina* GAVANTUS adſignat PETRUM *Compoſtellanum* ex DURANDO, vel *Hermannum* CONTRACTUM ex TRITHEMIO: ſed longe probabilius eſt, eam fuiſſe compoſitam circa medium ſaeculum undecimum ab HERMANNO. Reliquarum Antiphonarum Auctor ignoratur: nam fidem omnem detrectamus traditioni, cujus meminit SIGONIUS *lib.* 2. *Regni* Italici, & quae docet, Antiphonam *Regina Caeli laetare* ab Angelis fuiſſe inventam. Nonnulli Antiphonam *Alma Redemptoris* laudato Hermanno CONTRACTO tribuunt; at nihil heic certi. Hoc certum ex Decreto S. R. C. 11. Januarii 1681., quod innovatum, confirmatumque fuit 10. Januarii 1693. & 4. Aprilis 1705. *Occurrente Feſto Purificationis* B. M. V. in Dominicis *Septuageſimae, vel ſimilibus aliis privilegiatis ita, ut illius Officium ex hoc contingat transferri, non eſſe ob id protrahendam etiam recitationem Antiphonae* Alma Redemptoris; *ſed die ſecunda Februarii poſt Completorium, illa dimiſſa, ſumendam eſſe Antiphonam* Ave Regina Caelorum: quod idem ſervandum, ubi feſtum Purificationis ratione octavae diutius perſeveret.

ANTIPHONATIM canere, idem eſt quod alternis vicibus canere.

ANTIPHONISTA, qui Antiphonas cantat, vel praeintonat. *Primo hebdomadarios Officii: ſecundo cantores: tertio ſuccentores: quarto Antiphoniſtas*. Caeremon. S. JUSTINAE.

ANTIPHONARIUS, ANTIPHONARIUM, volumen continens totius anni Antiphonas, ordinatum in *Romana* Eccleſia a S. GREGORIO M., ut ſcribit BERNO *cap.* 1., & adverſus Cl. GALLICCIOLIUM probavimus in Appendice ad MALDONATI Tractatum. Duplex autem *Antiphonarii* genus erat, aliud ad Miſſam, aliud ad curſum, ſeu horas Canonicas pertinens. Conſule praeter THOMASIUM, & GEORGIUM in diſſ. *de Libris Liturgicis Eccleſ. Rom., Bibliothecae noſtrae Ritualis Tom. I. p.* 29. *&* 101. Vide etiam heic GRADALE.

APEX. V. MITRA.

APOCRISIARIUS, (latine *Reſponſalis*) ita vocabatur antiquitus Summi Pontificis Legatus, quem hodie *Nuntium Apoſtolicum* dicimus: ab ἀποκρίνομαι, quod eſt *cum judicio reſpondeo*. Ita S. GREGORIUS SABI-

NIANUM Diaconum ſuum, qui ipſi in Papatu ſucceſſit, appellat *Reſponſalem ſuum*, quo munere ſe idem GREGORIUS functum fatetur *lib. 3. Dialog.*, & JOHANNES Diaconus in Vita ipſius narrat, quod GREGORIUS pro reſponſis Eccleſiaſticis ad urbem *Conſtantinopolim* a PELAGIO Praeſule deſtinatus fuerit. Vide HINCMARUM *ep. 111. ad Epiſcopos quoſdam Franciae cap. 13. ſeqq.* Generatim tamen, ut ait JUSTINIANUS *Novella VI., Apocriſiarii vocantur, qui ſanctiſſimarum Eccleſiarum negotia curant.* Erant & Apocriſiarii *Coenobiorum*, qui ſcilicet Coenobiorum negotia gerebant, ut apud MOSCHUM *cap. 88.* In Monachorum tamen ritibus ex MARTENIO Apocriſiarius interdum idem erat, qui principalis Sacrarii Cuſtos, ſeu Sacriſta, quemadmodum in BERNARDI *Ordine Cluniacenſi P. I. cap. 51.*, & in S. WILHELMI *Conſtitutionibus Hirſaugienſibus lib. II. cap. 34.*

APOLOGIA, prolixa quaedam precatio, qua Sacerdos celebraturus excuſat ſe, & purgat, quod peccator & indignus ad Sacramenta accedere praeſumat. Plures hujuſmodi Apologias edidit MENARDUS, unam BONA *lib. II. cap. 1.* §. 1. Obſervat porro MENARDUS, eas olim legi conſueviſſe ante Offertorium, quum, peracta Miſſa Catechumenorum, incipiebat Miſſa Fidelium: In Miſſa tamen *Illyrici*, & in Codice *Chiſiano*, de quo idem BONA *lib. I. cap. 12.*, pleraeque dicuntur ante Introitum, & dum *Gloria in excelſis*, & Graduale cantantur.

APOPHORETA. Theca, arca, capſa &c. *Oſſa evellens ex cineribus nuperrime defunctorum hominum, ſicque impoſitis in diverſis Apophoretis venditabat apud plurimos pro Ss. Martyrum, & Confeſſorum Reliquiis.* RADULPH. Tungr. *l.* 4. *cap. 3.*

APOSTOLATUS, ideſt Epiſcopatus. SIDONIUS *Apollin. lib. VI. ep.* 4. ad LUPUM *Tricaſſinum* Epiſcopum: *Officium, quod incomparabiliter eminenti Apoſtolatui tuo debetur.* ENNODIUS MARCELLINO Epiſc. *His ergo ſervitia Apoſtolatui veſtro debita repraeſentans.* Vide SAVARONEM ad citatam SIDONII epiſtolam *p. 388.*

APOSTOLI. Dimiſſoriae Epiſcopi litterae cuipiam Clerico, vel Laico in alienam Dioeceſim proficiſcenti datae, ut vel ordinibus initiaretur, vel ad majores ordines promoveretur, aut etiam in alterius Eccleſiae catalogum referretur. Apoſtoli etiam dicebantur teſtimonia ab Epiſcopali ſententia appellanti conceſſa, *in quibus*, inquit Concilium *Lugdunenſe* a. MCCXLV., *appellationis cauſſam Judex exprimebat.*

APOSTOLICA Sedes, *Romana* Κατ᾽ Ἐξοχὴν. Pro Epiſcopali tamen Sede a veteribus uſurpatur: ſic *Tricaſſinam* Sedem SIDONIUS *lib. 6. ep.* I. *Apoſtolicam* appellat.

APOSTOLICUS. Ita primum Epiſcopi omnes veluti Apoſtolorum ſucceſſores promiſcue appellati. Poſtmodum vero ſoli Romano Pontifici ob ſingularem ſuae Sedis praeſtantiam, ſanctique PETRI Apoſtolorum Principis, cujus ſucceſſor eſt, dignitatem, hoc nomen inhaeſit. Vide RUPERTUM *lib. I. de divin. Offic. cap.* 27. Hinc ea vox aliquando ſignificat rem aliquam ad ipſum Romanum Pontificem pertinentem: unde ANASTASIUS in HADRIANO II. ſcribit: *Cum Apoſtolicis infulis celebrantem.* Sic etiam *Apoſtolicum* Sacrarium dicitur *Romanorum* Pontificum gazae conditorium, quod

Ordo

Ordo *Romanus* primus *Veſtiarium Dominicum*, ſecundus *Dominicale veſtiarium* vocat.

APOSTOLICAE Litterae, quae item *Brevia Apoſtolica* vocamus, epiſtolae ſunt a *Romano* Pontifice Apoſtolica auctoritate ſcriptae.

APOSTOLICUM, Liber Epiſtolas in Miſſis legendas continens.

APOSTOLIUM, *Graeci* vocabant Templum in honorem Apoſtolorum extructum. SOZOM. *lib. 8. hiſt. Eccleſ. cap.* 17.

APOSTOLUS, Lectio ex Apoſtolo. Sic Conc. *Remenſe* Can. 4. ait, Subdiaconi miniſterium eſſe Apoſtolum legere. Vide *Bibliothecam* noſtram *Ritualem* T. I. p. 17. & 35. Vide etiam ſupra Apostoli.

APPAR *donationis*, exemplum ſcilicet donationis autographo par. ANASTAS. in HADR. I. *T. I. Vignol. edit. p.* 194.

APPARITIO *Domini*. Vide Epiphania.

APPALLAREA. *Poſuit etiam* (SERGIUS) *in abſida Baſilicae ſuprāſcriptae ſuper Sedem* APPALLAREAM *argenteam penſantem libras* CXX. ANASTAS. *T. II. p.* 311. Sunt qui APPALLAREI & APPALLAREAE nomine cochlear deſignari velint, alii diſcum. Verum quid haec ad Sedem, ſuper quam SERGIUS APPALLAREAM poſuiſſe dicitur? Umbellam potius cum VIGNOLIO heic intelliges, quae Sedi Epiſcopali ſuperimponeretur.

APPELLUS, ſeu *Appellum*, ab appellando, ſeu vocando ſic dictum; erat ſignum, quo Monachi convocabantur, ſeu congregabantur. *Si debeat aliquis infirmus ungi, vel viſitari, eat Conventus in chorum, & ſonet appellum.* Conſuetud. Lyrens.

APSIS. Vide Absis.

AQUA modiciſſima vino ante Conſecrationem admiſcetur, ex Eccleſiae ad Chriſti exemplum imitandum id praecipientis inſtitutione. Benedicitur autem aqua, (exceptis Miſſis Defunctorum) non vinum; qua de re S. CYPRIANUS in *epiſt.* ad CAECILIUM. Olim Sacerdos aquam non benedicebat, ſed in Calicem ad modum Crucis infundebat. Vide BENEDICTUM XIV. *lib. II. de ſacr. Miſſae Sacrific. cap.* 10., & CATALANUM *in Caerem. Epiſcop. T. II. pag.* 104.

AQUA BENEDICTA. Praeter aquam regenerationis, (quam Fideles in aedibus, in vineis, in agris ſpargere ſolebant) & aquam, quam in conſecratione Eccleſiarum benedicebant, cujus meminere VIGILIUS *ep. ad* PROFUTURUM *n.* 2., & GREGORIUS M. *ep.* 71. *lib.* 9., mos conſecrandi aquam ad malos daemones averruncandos, ad eorum vires cohibendas, ad praeſtigia diſſipanda, ad morbos pellendos, & ad ea omnia amovenda, quae Fidelium incolumitati oberant, aut quieti, jam inde a ſaeculo quarto, & fortaſſe antea (certe in libro Pontificali ex veteri quadam traditione benedicendae aquae ritus S. ALEXANDRO I. tribuitur; de quo vide Cl. VEZZOSIUM *T. VI. Thomaſian. Oper. p.* 209.) in Eccleſia obtinuit. Hanc aquam aut *benedictam*, aut *ſanctam*, aut *exorcizatam*, aut *adſperſionis*, aut *ſparſionis*, aut *adſperſoriam* appellabant, & apud *Gotho-Hiſpanos* & *Gallos ſalisſparſum*, & *ſalisſparſio* dicta eſt, eamque recentiores Grammatici, vocabulo latino potius, quam Eccleſiaſtico, *luſtralem aquam* dixere. CYPRIANUS in Vita S. CAESARII *Arelatenſis, Mab. ſaec. I. Benedict. p.* 667. *n.* 21.,

refert

Digitized by Google

refert, ſanctum hunc Epiſcopum adſperſione aquae benedictae ab aedibus ELPIDII Diaconi malum daemonem fugaſſe. Et S. BRAULIO *Caeſaraugustanus* Archiepiſcopus in Vita S. AEMILIANI CUCULATI, *Mab. ibid. p.* 211. *n.* 24., ſcribit, AEMILIANUM a viro quodam nobili rogatum, uti malum daemonem, qui aedes ſuas infeſtas habebat, orationibus expelleret, ſalem exorcizaſſe, & aquae commiſcuiſſe *more Eccleſiaſtico*, eumque adſpergendo, daemone in fugam acto, Aedes ab omni immundi ſpiritus moleſtia immunes reddidiſſe. Singulis diebus Dominicis conſecrabatur. In quadam Homilia LEONIS Papae IV. de Cura Paſtorali, quae extat *Tom. IV.* Concil. *pag.* 34. legitur: *Omni die Dominica ante Miſſam, aquam benedicite, unde populus adſpergatur; & ad hoc proprium vas habete.* In Capitulis HINCMARI *Remenſis* ann. DCCCLII. c. 5. *Ut omni die Dominico quiſque Presbyter in ſua Eccleſia, ante Miſsarum ſolemnia Aquam benedictam faciat in vaſe nitido, & tanto miniſterio convenienti, de qua populus intrans Eccleſiam adſpergatur.* PURICELLIUS in Monument. Baſilicae *Ambroſianae* pag. 1155. *Presbyter ille, qui habet ſeptimanam ex illis Monachis, qualibet die Dominica vadit reveſtitus in chorum* B. AMBROSII, *& ibi facit aquam ſanctam, & dat de illa, & projicit ad altare* B. AMBROSII *in circuitu, & poſtea dat de illa Abbati. Mozarabes* quoque in Concilio *Compoſtellano* anno MXXXI. *cap.* 3. decreverunt, ut Presbyteri *omnibus diebus Dominicis* ſalisſparſionem *facerent.* In *Gelaſiano* Sacramentario non ſolum exſtant orationes duae, quibus benedictio *Aquae ſpargendae in domo* continebatur, ſed etiam oratio *ad conſparſum faciendum.*

AQUAMANILE, *Aquaemanilis*; *Aquamanulis*; *Aquamanualis*, *Aquamanus*, & *Agmanilis*, pelvis, unde aqua poſcentibus miniſtratur; ſeu etiam vas illud, in quo aqua conſervatur pro lotione manuum Sacerdotum, & Miniſtrorum. Ex Concil. Carthagin. IV. Subdiaconus in ſua ordinatione ſuſcipit de manu Archidiaconi ſcyphum aquae cum *Aquamanili*, & manutergio: ad ipſum enim ſpectabat aquam ad miniſterium altaris praeparare, ipſamque lavandis manibus Epiſcopo, Presbyteris, & Diaconis praebere. Hujuſmodi vaſcula ſaepe argentea erant, aut auro oblita, variiſque caelatis figuris ornata. Confer GEORGIUM in diſquiſitionibus *de Sacro Miniſterio cap.* 12.

ARA. Vide ALTARE, quod TERTULLIANUS ſub finem libri *de oratione*, *Aram Dei* appellat. Aliquid tamen *aram* inter, & *altare* diſcriminis ſtatuit Ordo *Romanus* inter MABILLONIANOS *XI. p.* 163.

ARCA, Gazophylacium, in quo fidelium oblationes ad Eccleſiaſticorum ſubſidium traditae recondebantur. Hac voce utitur TERTULL. *Apol. c.* 39.; item PRUDENTIUS in hymno de S. LAURENTIO Nolan. *menſam*; S. CYPRIANUS in lib. de *oper. & eleem. corbonam*; *ſacculum Eccleſiae* S. GREGORIUS *lib.* 1. *ep.* 42. Vide P. BERLENDIS de *oblationib. p.* 1. §. 6. *pag.* 180. Alio ſenſu ea vox in monumentis Baſilicae Ambroſianae a PURICELLIO editis *pag.* 1037. uſurpatur. *Item dixit, quod conſuetudo eſt* Mediolanenſis *Eccleſiae, quod Decumani omnes, aut pars major, qui ſunt de numero centum, veniunt ad Eccleſiam majorem, antequam Miſſa major ibi incipiatur in Dominicis diebus, & praecipuis feſtivitatibus ad portandam arcam, &*

Ideam

Ideam &c. Idea porro erat Imago B. Virginis MARIAE, quam geſtatoriae *Arcae* impoſitam Miniſtri ſuppoſitis humeris bajulabant ab Eccleſia hyemali, ideſt S. MARIAE, ad aeſtivam, ideſt S. THECLAE, cujus *Arcae* ſimul & *Ideae* lapideam effigiem nunc quoque videre eſt prae foribus Eccleſiae S. MARIAE *Beltradis*. Quid? quod *Arca* interdum pro Ara ponitur. Vide MABILLONIUM *de Liturg. Gallic. p.* 42. Item pro Martyris tumulo, ut apud Anaſtaſium *T. II. p.* 232. in S. HADRIANO; vel pro tumba illa honoraria inſtar lecti, aut feretri, quam loculis Sanctorum corpora includentibus deſuper imponi IX. ſaeculo moris erat, ut a MAZZOCHIO animadverſum video *T. I in Kal Neap. p. XXXIV.*

ARCARIA, Arcarii, de quo mox, officium. Utitur hac voce liber Pontificalis in AGATHONE *T. I. p.* 286.

ARCARIUS ab arca pecuniarum, quas colligebat, & conſervabat, dictus eſt, qui tributorum, & vectigalium exactioni praeerat; item arcae, ubi oblationes ſupponebantur, praefectus. In Vita S. AGATHONIS apud ANASTASIUM, is dicitur *ultra conſuetudinem Arcarius Eccleſiae Romanae effectus*, ipſo ſcilicet ſui Pontificatus tempore; quod ita interpretarer, Arcarii nempe munus, quod antea exercuerat, ſibi ſervaſſe jam Pontificem factum. Vide tamen Cl. GALLETTUM in Opere *del Primicerio p.* 112., qui inter Arcarios DOMETIUM DIAC. in veteri lapide memoratum referens MURATORIUM ſapienter refellit, opinantem ANNAM Diaconiſſam DOMETII *Germanam*, in eodem lapide indicatam, ejus uxorem fuiſſe, quum ſoror fuerit. Hoc Arcarii nomen, inquit BERLENDIS *de oblat. p.* 181., Eccleſiam mutuatam fuiſſe crediderim a domo Auguſta, apud quam hoc munus vigebat. *Amiantus Auguſtae* Liviae *Arcarius* legitur in quodam antiquo lapide ab *Antonio Franciſco* GORIO viro praeſtanti relato *de libert. Columbario num* 133., & in alio apud FABRETTUM *cap.* 2. *pag.* 237. *num.* 181. *Andragathus Caeſaris ſervus Arcarius XX. hacr.*

ARCHIACOLUTUS, Acolytarum caput, ſeu major. STEPHANUS *Archiacolutus cum omnibus acoluthis &c.* LUITPRAND. *lib.* 6. *cap.* 6.

ARCHICHORUS, qui Choro praeeſt. Meminit *Archichori* BERNARDUS *in Ordine Cluniacenſi p.* 162. & 221. *Vet. diſc. Monaſt.*

ARCHICLAVUS, ſacri Theſauri cuſtos, quem *Cimeliarcham Graeci* nuncupant. SIGEHARDUS Monachus *Sanmaximianenſis* in hiſtoria Miraculorum S. MAXIMINI Epiſcopi *Trevirenſis* circa ann. DCCCCLXII. ſcripta WANBERTUM Archiclavum *Monaſterii* S. MAXIMINI memorat. Frequentiſſime vero *Archiclavi* dignitas in monumentis Eccleſiae *Turonenſis* S. MARTINI obvia eſt, uti CANGIUS obſervavit. Epiſcopi ipſi aliquando *archiclavi* dignitate ornati ſunt. In conceſſione GUILLELMI Comitis *Pictavorum* Monaſterio S. HILARII *Pictavienſis* ann. DCCCCLVI., EBOLUS *Epiſcopus Lemovicenſis* ejuſdem monaſterii S. HILARII *archiclavus* dicitur. Idem EBOLUS in aliis ejuſdem Monaſterii chartis *Claviger* S. HILARII nuncupatur. Hinc idem eſſe *Clavigerum*, quod *Archiclavus*, GEORGIUS arguit in diſquiſit *de ſacr. miniſt. pag. XLV. Archiclavi*, & *Clavigeri* nomen ſacris Theſaurariis tributum paſſim Principi Apoſtolorum PETRO adſcribitur. Epitaphium LIUTPRANDI Regis *Langobardorum* in Baſilica S. PETRI

in Caelo

in Caelo aureo apud *Ticinum* metrice ſcriptum, S. PETRUM *caeleſtem clavigerum* vocat. In donatione vero Villae *Cluniacae*, quam WILLELMUS Comes fecit ad conſtruendum monaſterium Ss. Apoſtolorum PETRI, & PAULLI ann. DCCCCX., S. PETRUS dicitur *Archiclavus totius monarchiae Eccleſiarum*.

ARCHIDIACONUS, primus Diaconorum, cui ceteri Diaconi ſuberant. Nempe ex VII. Diaconis, qui ad *Romanae* Eccleſiae mores antiquitus in aliis quoque erant, primus, vel antiquior cum Epiſcopi, cleri, populique conſenſu electus Archidiaconus erat; *Romae* autem *Diaconus Cardinalis*, ideſt principalis appellabatur. Unus igitur tantum, inquit PANVINIUS, vetuſtiſſimis temporibus erat Diaconus Cardinalis, ut ex actionibus Synodi (utinam certo genuinae!) *Romanae* ſub S. SYLVESTRO Papa celebratae liquet, qui & *Archidiaconus*, & *Diaconus circumluſtrator*, & *perſcrutator* vocabatur, cujuſmodi S. LAURENTIUM fuiſſe ferunt. Archidiaconorum munera ſic deſcribit S. ISIDORUS *Hiſpalenſis in ep.* ad LUDIFRED. Epiſc. *Archidiaconus imperat Subdiaconis, & Levitis, ad quem pertinent iſta miniſteria, ordinatio veſtiendi altaris a Levitis, cura incenſi, & ſacrificii neceſſaria ſollicitudo. Quis Levitarum Apoſtolum, & Evangelium legat, quis preces dicat, ſeu reſponſoria in Dominicis diebus, aut ſolemnitatibus decantet &c. Ipſe denuntiat Sacerdoti* (Epiſcopo) *in ſacrario jejuniorum dies, atque ſolemnitatum, & ab ipſo publice in Eccleſia praedicantur. Quando vero Archidiaconus abſens eſt, vicem ejus Diaconus ſequens adimplet*. Illuſtriora alia erant in Romana Eccleſia Archidiaconi munera. Nam tertio ſaeculo, ac deinceps, dum ſacrae Pontificum Romanorum gazae praefectus fuit Veſtararius, de quo infra ſuo loco, Archidiaconus Eccleſiae Romanae Cimeliarcha erat; quod Cl. GEORGIUS non abſurde ex PRUDENTIO colligit, ubi de S. LAURENTIO canit:

Clauſtris ſacrorum praeerat
Caeleſtis arcanum domus
Fidis gubernans clavibus
Votasque diſpenſans opes.

Praeterea Archidiaconus Romano Clero jus dicebat Pontificis nomine. Hanc in rem Ordo I. Romanus apud MABILLONIUM iſthaec habet *pag.* 3. *Quorum Diaconorum* (Regionariorum) *ſi quando quiſpiam moritur, donec loco ejus alius ſubrogatur, illius regionis acolythi archidiacono obediunt; quia omnes acolythi, cujuſcumque regionis ſint, cauſſa eccleſiaſtici officii ad miniſterium ejus pertinent. Quod etiam de ſubſequentibus ordinibus intelligendum eſt, ſervata unicuique poſt eum proprii gradus Archidiaconi* (praerogativa) *in ſui ordinis miniſterio ſubditis: ut ſiquis verbi gratia vim paſſus fuerit ſive ab eccleſiaſtico, ſeu a quacumque militari perſona, ſi a ſui ordinis primo ejus cauſſa ad effectum minime pervenerit, habeat Archidiaconus, ideſt Vicarius Pontificis cauſſam, qualiter ſubditorum ſibi querelas abſque notitia poſſit explicare Pontificis*. Archidiaconorum igitur ordo, & gradus olim alius non erat, quam Diaconorum. „ Quare, „ *inquit* SIRMONDUS *ad* SIDON. *ep.* 25. *lib. IV.*, quum presbyteri fie„ bant, Archidiaconatu defungebantur; quod ex antiquis omnibus hiſtoriis „ perſpicuum eſt. Ideo Canones, qui ordines ſacros Archidiaconis indicunt, „ non alium quam diaconatum praeſcribunt. Synodus *Arvernica* URBANI „ II. Can. 11. *Ut nullus fiat Decanus in Eccleſia, niſi Presbyter, nullus Archidia-*

,, *chidiaconus niſi Levita*. Laxata exinde diſciplina, uſus obtinuit, ut Archi-
,, diaconatus etiam Presbyteris deferretur. ,,

ARCHIEPISCOPUS. ,, Nomen *Archiepiſcopi* ex ipſa ſua etymologia
,, nihil aliud ſignificat, quam primum inter Epiſcopos, & propterea nonni-
,, ſi primis Epiſcopis quondam fuit adtributum. Nullibi ante ſaeculum IV.
,, legitur. Et quidem occurrit ſemel apud ſanctum ATHANASIUM in ca-
,, talogo, quem MELETIUS ALEXANDRO Epiſcopo dedit. Et S. EPI-
,, PHANIUS *haer. 68.*, quae eſt *Meletianorum*, illud ſaepius ALEXANDRO
,, *Alexandrino* tribuit. Utrum vero vel Epiſcopi *Alexandrini*, eo quod ip-
,, ſorum jura vel maxime controverterentur, hoc nomen ſibi ipſis adtribue-
,, rint, vel EPIPHANIUS ex uſu illorum temporum adſumpſerit, aut de
,, novo excogitaverit, nolumus decidere. Verum longe uſitatior fuit vox
,, iſta in Saeculo V., & praeprimis adtributa fuit *Romanis* Pontificibus CAE-
,, LESTINO & LEONI, CYRILLO *Alexandrino* & JOHANNI *Antioche-*
,, *no*, FLAVIANO *Conſtantinop.*, aliiſque. Ut paucis totum abſolvamus,
,, primitus *Archiepiſcopi* vocabantur Patriarchae, Exarchi, & poſtea Prima-
,, tes, qui alios ſub ſe habebant Metropolitas, & ſingulariter Vicarii Sedis
,, Apoſtolicae, & hoc ad ſaeculum uſque VI. Ab hoc ſaeculo uſque ad
,, ſaeculum VIII. aliis inſignioribus Metropolitis *Tyrio*, *Nicopolitano*, *Corin-*
,, *thio*, *Ravennatenſi*, *Aquilejenſi* adtributum legimus. At poſt haec tempo-
,, ra promiſcue uſurpari coepit de omnibus Metropolitis quoſdam Epiſcopos
,, ſubjectos habentibus, immo de quibuſdam etiam Epiſcopis, qui Metropo-
,, litico jure minime fruebantur. Illud heic animadverſione dignum eſſe
,, judicamus, quod *Archiepiſcopi* potiſſimum appellati fuerint illi Epiſcopi
,, majores, vel Metropolitae *titulares*, & *honorarii*, qui nullos Epiſcopos ſi-
,, bi ſubjectos habebant: nam perſuaſum erat illius aevi viris, quod nomen
,, Metropolitae nemini conveniret, qui non certorum Epiſcoporum numero
,, praeeſſet. Unde factum eſt, ut apud *Graecos* plures eſſent *Archiepiſcopi*,
,, quam Metropolitae, quia ſimplicibus Epiſcopis nomen Archiepiſcopi,
,, quod nonniſi praedicatum cujuſdam honoris ſine juriſdictione eſſe crede-
,, batur, adſumere haud fuit difficile. At vero Eccleſias, & Epiſcopos ſi-
,, bi ſubjicere immenſae difficultatis rem eſſe, quis non perſpiciat? Hacte-
,, nus ex ZALLWEIN *T. IV. principior. Jur. Eccleſ. pag. 144.*

ARCHIMANDRITA, Graeca vox, quae Principem ovium deſignat:
In Orientali Eccleſia celebres Archimandritae erant, illuſtriorum ſcilicet
Coenobiorum Abbates. Apud Latinos ſupereſt haec dignitas Meſſanae, ma-
ximi honoris, & redditus ei, cui Rex vetus Baſilianorum Monachorum Mo-
naſterium commendat. Archimandritam tamen Protonotarii in Pontificia Cap-
pella praecedunt. AGNELLUS in Vita S. SEVERI *Ravennatis* Archiepiſ-
copi *Archimandritae* nomen eidem SEVERO tribuit.

ARCHIORDINARE, ex Epiſcopo Archiepiſcopum facere. ANASTAS.
in STEPHANO II. *T. II. p. 125.*

ARCHIPARAPHONISTA, idem qui Archicantor, ſive Praecentor;
Cantorum Caput. *Deinde deſcendit Subdiaconus ſequens ſcholam, & accipit
fontem de manu Archiparaphoniſtae, & defert Archidiacono &c.* Ord. Rom. Ejus
autem Officium erat Pontifici de Cantoribus, quum quid opus erat, nunciare.

ARCHI-

ARCHIPRESBYTER ab initio dicebatur, qui prior erat in ordinatione alicujus tituli. In Synodo *Romana* I. ſub SYMMACHO A. D. CCCCXCIX. ante omnes titulares presbyteros ſubſcribit *Coelius Laurentinus Archipresbyter tituli S. Praxedis*. Hinc qui primus ordine erat inter *Romanae* Eccleſiae Presbyteros, ſaeculo VII. & VIII. Archipresbyter *primus Sedis Apoſtolicae Presbyter, & Protopresbyter ſanctiſſ. Rom. Eccleſiae ſancti* PETRI *Apoſtoli* dicebatur, & una cum *Archidiacono, & Primicerio Notariorum* Pontificali Sede vacante *Romanam* Eccleſiam adminiſtrabat, litteraſque Apoſtolicae Sedis nomine ſimul cum eiſdem Archidiacono, & Primicerio Notariorum dabat uſque ad electi Pontificis conſecrationem. Sequentibus ſaeculis varii Romae occurrunt Archipresbyteri, qui tamen neque S. R. E. Cardinales, neque primi Presbyterorum Cardinalium erant: ſed quum in iiſdem titulis, ac etiam in Diaconiis collegia Clericorum inſtituta eſſent, primus ejuſdem Collegii *Archipresbyter* dicebatur. Sic A. D. MXXXIX. occurrit JOHANNES *Archipresbyter* S. JOHANNIS ante portam Latinam, & Concilio *Romano* GREGORII VII. A. D. MLXXXI. contra WIBERTUM *Ravennatem*, poſt nomina Cardinalium, qui eidem Concilio interfuerunt, & poſt PARENTIUM, ſeu LAURENTIUM *Cantorem*, memorantur PETRUS *Archipresbyter de porta latina*, JOHANNES *Archipresbyter de* S. SEBASTIANO, JOHANNES *Archipresbyter de* S. CAECILIA, & *Archipresbyter* S. SALVATORIS. Occurrunt etiam *Archipresbyteri* nonnullarum Diaconiarum. Ad *Romanae* Eccleſiae mores alibi quoque Archipresbyter idem erat, qui Presbyterorum prior. *Sunt Archipresbyteri in* EPISCOPIIS *Canonicorum curam gerentes*. Walafr. *de rebus Eccleſ. cap.* 31. Olim in ſingulis Epiſcopatibus unus tantum Archipresbyter erat, S. HIERONYMO teſte in epiſtola ad *Ruſticum*. *Singuli*, inquit ille, *Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri*. Eligebantur autem non ex Epiſcopi arbitrio, (quod tamen in Oriente factitatum) ſed aetatis, atque ordinationis ratione habita. Quamobrem cum DORUS Beneventanus Epiſcopus a. 448. EPICARPIUM Presbyterum recens ordinatum ad hunc honoris gradum, praeterito ſeniore, evexiſſet, S. LEO M., data ad eum epiſtola, quae XIX. *eſt Ballerin. edit.*, illum graviter objurgavit. Archipresbyteri olim ſuae dignitatis annos numerabant, non ſecus atque Epiſcopi. Duo hanc in rem exempla profert REMONDINIUS in Nolana Eccleſiaſtica hiſtoria, alterum *Tom. I. lib.* I. *cap.* 47. COMITIOLI quinto, ut videtur, ſaeculo Archipresbyteri Beatae Marinae, qui quum annos vixiſſet XC., *ſediſſe* dicitur *annos* XXX.; alterum *T. III. lib.* I. *cap.* 2. ADEODATI. FUERAT IS ARCHIPRESVITER. SCE. NOL. ECCL: in ea autem epigraphe additur:

VIXIT. CUNCTIS. DIEBUS. VITE. SVE. ANTE. ORDINATIONE. XXX. SEDET. SACERDOTALI. ORDINE. ANN. L.

Extrema haec verba REMONDINIO conjecturam ſuppeditant, fuiſſe ADEODATUM ex Archipresbytero Nolanum Epiſcopum renunciatum. Sed vereor ut id aliis perſuadere poſſit, qui illum legunt diſertis verbis Archipresbyterum *Sanctae Nolanae Eccleſiae* nuncupatum; etſi olim aliter ſenſi *T. VI. hiſt. litter. Ital. p.* 503., quum primum illud COMITIOLI exemplum non animadvertiſſem. Vide MAZOCHIUM *de Eccl. Cath. Neap. p.* 111.

ARCHISUBDIACONUS. Primus inter Subdiaconos aliquando Archiſubdia-

ſubdiaconus eſt appellatus; ut in Ord. Rom. II. num. 13.; a CENCIO vero Camerario dicitur *Prior Subdiaconus Regionarius*. Hoc idem *Archiſubdiaconi* munus olim extabat cum in *Capuana* Eccleſia, (vide *Michaelis de* MONACO *Sanctuarium Capuanum*) tum in *Beneventana*; quod ex LANDULPHI I. *Beneventani* Archiepiſcopi diplomate diſcimus apud BORGIAM *Memor. Iſtor. di Benev. T. I. p.* 274.

ARCHIUS *ordo*; ordo princeps, praecipuus: Ordo Rom. I. apud MABILLON. *p.* 10.

ARCUS. Veteris legis exemplo parietes per circuitum altaris *auro*; & *argento* priſcis Eccleſiae ſaeculis exornabantur. Haec ornamenta quae ad Presbyterii *arcus* adpendebantur, *arcus* quoque nominata ſunt. Saepiſſime de his *arcubus argenteis*, & *aureis* ANASTASIUS. In Chronico quoque *Centulenſi lib. III. cap.* 10. ad altare S. RICHARII deſcribuntur *trabes minores tres ex cupro, argento, auroque paratae in circuitu altaris vel chori ſuſtentantes arcus XVII. ex cupro, argento, auroque fabricati: inter quos ſunt imagines beſtiarum, avium, hominumque VII.*

ARENARII iidem qui Foſſores; quod nomen ad hanc ſignificationem translatum invenias in libello precum MARCELLINI, & FAUSTINI.

ARENARIUM, crypta, coemeterium. Subterraneos cuniculos intellige, quo veteres Chriſtiani, potiſſimum perſequutionum tempore, convenire primo ſolebant. Unde illis *Arenarii* nomen, explicant Acta Ss. MARCELLIANI, & MARCI his verbis: *Sepulti ſunt quoque via* APPIA *in loco, qui vocatur* ad arenas, *quia cryptae arenarum illic erant, ex quibus Urbis moenia aedificabantur*.

ARGUMENTOSUS. CAECILIA *quaſi apis tibi argumentoſa deſervit*; ideſt ingenioſa, acuta. Hinc in Martyrol. 16. *Septemb. argumenta* (ideſt acumina) rotarum ponuntur.

ARMA *Sacerdotalia*, indumenta ſacra pro liturgia celebranda. MACRIUS ex quodam vetuſto Codice ROTALDI Abbatis.

ARMARIOLUM, ideſt Ciborium, ſeu Tabernaculum, in quo reponitur, & adſervatur ſanctiſſimum Chriſti Corpus. Ordinarium *Caſſinenſe*: *Quando Abbas dixeris ſuum Confiteor, ibis ad Armariolum calicum, ubi Corpus Domini eſt, ſua proceſſione praecedente ipſum, & aperiet ipſum, & flectes genua, & incenſabis Corpus Domini ec.* In Chronico S. BENIGNI *Divionenſis* T. I. *Spicil. Dacher.* quidam THEOBALDUS inſtituiſſe, & fundaſſe dicitur luminare in die ſolemnitatis Corporis Chriſti, & per octavas, pro quo poni debent duo cerei *ante Armariola lapidea, in quibus reconditur praedictum Sacramentum, & continuo diu, noctuque lucere*.

ARMARIUS idem qui Cantor, aut Praecentor, cui etiam incumbebat cura Eccleſiaſticorum librorum. MARTENE in Indice *Onomaſtico*.

ARMARIUS quoque adcipitur pro Magiſtro Caeremoniarum ex *Conſuetud.* S. BENIGNI, & cit. MARTENE. *Interim dum offerenda cantatur, adcedis ad Altare Armarius, ut provideas de hoſtiis miniſtratis a Secretario, & ponas ad conſecrandum*. Confer Indicem onomaſticum *vet. diſcip. Monaſticae*.

De ARODINA, ſeu de *Rodina* veſtis roſacei coloris. ANASTAS. in BENEDICTO III. *T. III. pag.* 163. Sic etiam *Vela de* RHODINO ab eodem

Digitized by Google

ANASTASIO indicatā *ibid. p.* 14. in GREGOR. IV.; aliud non erant niſi vela roſacei coloris.

AROMATIZARE, thus adolere, thure, incenſo ſuffire. GUIDO *diſcipl. Farſ. lib.* 1. *cap.* 1. *Expleta* (antiphona) *faciant orationem, atque altare* AROMATIZENT. Hinc AROMATIZATIO eadem notione.

ASCELLAE, de qnibus etiam S. GREGORIUS *Turonenſis Hiſtor. lib. II. c.* 16., alae erant, ſeu porticus, intra quas in Eccleſiis aedificata quaedam cubicula cernebantnr. V. infra *Cubiculum*, & MABILLONIUM de *Litur. Gallic. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 2.

ASCENSIO *Domini*, in Sacramentariis S. LEONIS *Gelaſiano*, & *Gregoriano*, & Capitularibns Evangeliorum *Aſcenſa Domini*. *Graecis* ἀνάληψις τȣ̃ κυρίȣ, *Adſumptio Domini* appellatur, nec recens eſt apud eos haec appellatio, ut ex *lib.* 8. *Apoſtolicarum Conſtitutionum*, & ex *homilia* S. CHRYSOSTOMI εἰς τὴν ἀνάληψιν τȣ̃ κυρίȣ, *in Adſumptionem Domini*, quam adhuc Sacerdos habuit, adparet, *Oper. T. II. p.* 447. *edit. Maurin.* Apud *Cappadoces* peculiari illis gentibus vocabulo ἐπισωζομένη appellabatur, ALLAT. *de Dom. & feſt. Graec. n.* 28., & S. CHRYSOSTOMUS homiliam habuit in Dominica *Epiſozomenes*, ſcilicet die Dominica infra octavam Aſcenſionis. Feſtivitas Aſcenſionis vetuſtiſſima eſt, & ex iis, quas Apoſtolica traditione ſervat Eccleſia, S. AUGUST. *ep.* 118. alias 54. Auctor *Conſtitutionum Apoſtolicarum lib.* 8. *cap.* 33. *edit.* TURIANI inducit S. PETRUM de feſtis obſervandis praecipientem, & ad rem praeſentem, die *Aſſumptionis* Chriſti ut ſervi ab opere vacent, jubentem. Celebrabatur autem feſtivitas Aſcenſionis die quadrageſima poſt Reſurrectionem, atque adeo die Jovis, S. AUG. *Serm. II. de Aſcenſione oper. T.* 5. *col.* 1069. *n.* 3., & inter praecipuas ſolemnitates habebatur. S. AUG. *Serm. de Aſcens. ibid. col.* 1069.: *Adſcenſum Domini in Caelum hodie ſolemniter celebramus*; & Serm. 3. de Aſcens. Domini ibid. col 1071.: *Reſurrectionem Chriſti*, inquit, *Paſchate Dominico celebravimus, Adſcenſionem hodie celebramus, feſtus nobis dies uterque*. *Gotho-Hiſpani* feſto Aſcenſionis forum civile vacare volucrunt. *Cod. leg. Wiſig. lib.* 2. *Tit.* 1. *lege II. Die Dominico*. CHRODEGANGUS, *Metenſis* Epiſcopus, *in Regula cap.* 74. inter praecipuas feſtivitates *Aſcenſionem Domini* recenſet. Et paullo antea S. BONIFACIUS *Moguntinus* feſtum Aſcenſionis inter eas ſolemnitates reponit, quibus ab opere ſervili abſtinendum. *Spicileg.* DACHERII *T.* 9. *p.* 66.

ASCETA. Aſcetae Prophetas, & magnum Poenitentiae praeconem JOHANNEM BAPTISTAM imitaturi, de Apoſtoli conſilio caſtigabant corpora, & in ſervitutem redigebant, exercentes ſe ipſos ad pietatem, eamque ob cauſſam *Aſcetae*, ideſt *exercitati* nominabantur. Hi domi utplurimum ſe tenebant, ſolitudine mirifice delectati; ibidem abditi & abſtruſi ad conſuetam Chriſtianorum frugalitatem, ſeveriorem in cibis abſtinentiam, & crebra jejunia ultro adjungebant; Xerophagia, ſive aridi panis, fructuumque ſiccorum eſu ſeſe ſuſtentantes, biduo, triduoque, interdum etiam hebdomade integra ſoliti inediam tolerare; ad haec cilicio ſe numquam exuebant; humi cubabant, vigilias producebant, ſacros Codices adſidue volutantes, & prope indeſinenter precibus fundendis occupati. Hujuſmodi vitae inſtitu-

tum

tum ORIGENES aliquandiu ſequutus fuit, multique ex ea diſciplina prodiere cum ſanctiſſimi Antiſtites, tum celeberrimi Doctores. Vide de his inſignem Card. ANTONELLII diſſertationem, inter S. *Jacobi* NISIBENI ſermones.

ASCETERIUM, Monaſterium. Collegium quoque Funerariorum, in quibus octo Moniales, & tres Acolythi ad ſepeliendos mortuos ſe exercebant, quod ab ANASTASIO Imperatore fuerat fundatum, etiam *Aſceterium* dicebatur. Docet id ejuſdem confirmatio a JUSTINIANO facta, quae ſic habetur: *Reditum funeribus deſtinatum a divae memoriae* ANASTASIO *Imperatore confirmavit, & funeribus deputavit, & dedit ſingulis cadaveribus, ſive ſingulis lecticis unum Aſceterium, ideſt octo Sanctimoniales, & tres Acolythos.* JULIAN. Anteceſſ. Novell. 3.

ASPERGILLUS. Inſtrumentum ad porrigendam, & miniſtrandam aquam benedictam. *Aſpergilla ex puro auro quamplurimos etiam calices &c.* AGAT. lib. II. hiſtor.

ASSER AD PACEM, tabula, quae in Miſſa ad pacem oſculanda exhibebatur. Hoc nomine illam appellat Concilium *Oxonienſe* ann. MCCLXXXVII. Aliis quoque nominibus deſignatur. *Oſculatorium* appellat WALTERUS, ſub ſaeculi XIII. finem Archiep. *Eboracenſis lib. III. Conſtit. tit.* 27. *Oſculare* dicitur in Statuto 104. Archiep. *Cantuarienſis* A. D. MCCLXXXI. In Concilio *Mertonenſi* A. D. MCCC. *tabula pacis* vocatur. In Synodo *Bajocenſi* A. D. MCCC. *Marmor.* Denique in Statutis Ordinis *de Sempingham Lapis-pacis*. In Sacrario Eccleſiae Collegiatae civitatis *Forijulii in Venetis* hactenus extat *tabula eburnea*, figuram oſculatorii inſtrumenti exhibens, quae ab URSO *Forojulienſi* Duce oblata fuit; nam nomen ejus praefert. Sculpta eſt ibi Crucifixi Imago, ac ad latus Deipara Virgo, cum lemmate M. EN. FIL. TUUS., hoc eſt: *Mulier en Filius tuus*. Ex alio latere JOHANNES Evangeliſta, his ſuperſcriptis litteris AP. ECCE. M. TUA., nempe: *Apoſtole, ecce Mater tua*.

ASSISII, quaſi aſſidui in Eccleſiae miniſterio. Vide ALTARISTA.

ASSUMPTIONIS *Feſtum*. Feſtum hoc Antiquiores *Galli* menſe Januarii celebrabant. Vide MABILLONIUM *de liturg. Gallic. lib. II. pag.* 118. & 119. Unde in Miſſali *Gallo-Gothico* ſtatim poſt Epiphaniam occurrit Miſſa *in adſumptione ſanctae* MARIAE *Matris Domini Noſtri*, & in Lectionario *Luxovienſi* poſt Dominicam, quae Epiphaniam conſequitur, adponuntur *legenda in feſtivitate ſanctae* MARIAE, ſcilicet de ejus adſumptione; & in Sacramentario *Bobiano* poſt Miſſam Cathedrae ſancti PETRI, conſequuntur binae Miſſae altera *Miſſa ſanctae* MARIAE, altera Miſſa *in Adſumptione ſanctae* MARIAE, & S. GREGORIUS *Turonenſis lib. I. de glor. Martyr.* c. 9. teſtatur, quod *hujus feſtivitas ſacra mediante menſe undecimo* (quae illi eſt Januarius) celebrabatur. Etiam in quibuſdam Martyrologiis vetuſtis *Hieronymianis Depoſitio* beatae Virginis die XVIII. Januarii commemoratur. *Lucenſe* FLORENTINII XV. Kal. Febr. *Depoſitio ſanctae* MARIAE *Matris Domini Noſtri* JESU *Chriſti*. Calendarium *Corbejenſe* a MABILLONIO *de Liturg. Gallic. l.* 2. *p.* 118. citatum, XV. Kal. Febr. *Depoſitio ſanctae* MARIAE *Virginis*: idem in *Floriacenſi*, quod olim fuit Eccleſiae *Senonenſis*;

nenſis, ſiguatur. Plura vide apud FLORENTINIUM in notis ad Martyrologium *Lucenſe*, die 18. Januarii, & in Exercitione *de Aſsumptione Deiparae ibid. pag.* 263. In fragmento vetuſti Kalendarii *Gotho-Hiſpani*, menſes Januarium, & Februarium complectente, quod poſt *Franciſcum* de PISA, edidit *Johannes* PINIUS *Tract. hiſt. chron. de Liturg. Antiq. Hiſp. cap. 9. ſect.* 5., nulla extat meutio de feſtivitate *Dormitionis*, *aut Aſsumptionis Beatae Virginis*: quare conſuetudo celebrandi ſolemnitatem Aſſumptionis Deiparae die XV. Auguſti admiſſa cenſenda eſt apud *Gotho-Hiſpanos*: eodem die in *Hieronymianis* apographis vetuſtiſſimis ſiguarur. Sic in *Lucenſi* FLORENTINII XVIII. Kal. Sept. *Aſsumptio ſanctae* MARIAE; in *Corbejenſi* DACHERII XVIII. Kal. Sept. *Aſsumptio ſanctae* MARIAE *Matris Domini Noſtri*; iiſdemque verbis in Martyrologio *Gellonenſi* ſignatur, & in aliis paſſim hac die feſtivitas *Aſſumptionis* legitur. Ac XVIII. Kal. Sept. *Romanum* BEDAE genuinum, ADONIS, & USUARDI Martyrologia *de dormitione Sanctae* MARIAE agunt. A *Graecis* quoque XV. Auguſti *κ' κοίμησις Dormitio glorioſiſſimae Domini Noſtri Deiparae* in Menologio BASILII, & in Menaeis celebratur. De hac autem ſolemnitate nihil in Orationali *Gothico*, & in Sacramentali S. LEONIS invenitur; utrumque enim mutilum eſt. Deficit quoque in vetuſto Lectionario *Ambroſiano* Em. THOMASII: at in Sacramentario *Gelaſiano* eſt Miſſa in *Adſumptione ſanctae* MARIAE XVIII. Kal. Sept., quo die in Sacramentariis *Gregorianis Aſsumptio Sanctae* MARIAE commemoratur, & die XV. Auguſti in Kalendario FRONTONIS, & in Capitularibus Evangeliorum GEORGII ſignantur *Solemnia de Pauſatione ſanctae* MARIAE. De hujus feſtivitatis antiquitate non ſatis inter Scriptores convenir. Illud plane conſtat, ſaeculo ſaltem ſeprimo in Eccleſiis *Hiſpaniae*, & *Galliae* celebratam eſſe. *Octavam* porro *Aſſumptionis beatae Dei Genitricis diem*, inquit de LEONE IV. ANASTASIUS, *quae minime* Romae *antea celebatur*, *Vigiliis ſacris*, *matutiniſque cum omni Clero pernoctans in Baſilica ejuſdem ſemper Virginis Dominae Noſtrae*, *quae eſt foris muros juxta Baſilicam B.* LAURENTII *Martyris*, *celebrari praecepit*. Quae tamen ſtatio propter populi, Clerique commodum tranſlata fuit, ſeu potius adfixa poſtmodum vel ab ipſo LEONE, vel aliquo ex proximioribus ſucceſſoribus, ad Baſilicam S. MARIAE trans Tyberim. Certe apud PIAZZAM *in Emerologio ſacro* ad d. 22. Aug. in antiquis Codicibus legitur: *In Octava die Aſsumptionis* B. MARIAE *Virginis in Auguſto ſtatio*, *& perdonantia ad* S. MARIAM *Tranſtiberim*. Vide MORETUM *de Presbyt. p.* 200.

ASTERISCUS duobus arcubus conſtat, plerumque argenteis radiis inſtar ſtellae fultis, eoque Graeci hoſtias conſecrandas cooperiunt, ne vela eas tangant, & particularum ordinem rurbent.

ASYLUM eſt templum, aliuſve locus a direptione tutus. Extat *de jure Aſyli* praeclara P. ZECH diſſertatio, *Ingolſtadii* edita.

ATRIARIUS, qui Eccleſiae atrium cuſtodir, & everrit.

ATRIUM, ſeu veſtibulum Eccleſiae porticus habens alicubi quatuor (unde *quadriporticus* dicebatur, uti apud ANASTASIUM in SYMMACHO, DONO, LEONE III.), alicubi tres (unde *triporticus*, uti apud eumdem ANASTASIUM in S. HILARO) columnis ſuffultas, & deſuper extructas cellas.

Medium

Medium erat ſub dio poſitum, & ante fores Cantharum, ſeu concha, aquas ſalientes recipiens, ne Fideles illotis manibus Templum adirent, ex Card. BONA. Porro in atrio ſeu porticu, ante fores Eccleſiae ſtabant poenitentes primi ordinis, & ſtipem emendicantes, qui tamen non permittebantur intus ab orantibus eleemoſynam petere, ne ſacra facientibus, Deumque precantibus moleſti forent. CHRYSOSTOM. hom. 28. *Ante Eccleſias, & Martyrum monumenta prae foribus pauperes ſedent, ut nos ex hujuſmodi ſpectaculo multum capiamus utilitatis.*

AUCELLI, & AVICELLI, aviculae in velis, & veſtibus ornatus gratia adpoſitae, ſeu acu pictae. Vide ANASTASIUM *T. II. p.* 241. 280. 329. *& T. III. p.* 58.

AUCTORITAS, Romani Pontificis, & Sedis Apoſtolicae litterae. S. GREGOR. *lib. I. ep.* 53. Vide etiam COUSTANTIUM *T. I. epiſt. Rom. Pontif.* Item Synodale Decretum, uti apud ANASTAS. *T. I. p.* 137. in S. BONIFACIO I.

AUDIENTES, aliis AUDITORES erant 1. Catechumeni, qui ad audiendam in templis fidei, morumque doctrinam admittebantur; 2. Qui in ſecunda Poenitentium ſtatione detinebantur. Morabantur autem intra fores Eccleſiae, in Propylaeo, ubi lectionem Scripturarum, earum interpretationem, ſermoneſque audiebant, ab illa lugubri, humilique deprecatione abſoluti, quae propria flentium erat: pro eis tamen nulla erat manuum impoſitio, nullaeque orationes, quum illarum capaces nondum eſſent.

AUDIENTIA, *Auditus*. Canere in *Audientia*, ſeu in *Auditu*, nihil aliud eſt, niſi canere ſeu recitare alta voce, ut audiri poſſint ea, quae dicuntur. Ordinarium *Corbejen.* & *Compendienſe* apud MARTENE *l. 3. c.* 14. ſtatuunt, ut Feria ſexta in Paraſceve Pſalmi Poenitentiales *in auditu, & in audientia dicantur.*

AUDITIO, ſecunda Poenitentium ſtatio, de qua nuper diximus.

AVE MARIA. Oratio ad Virginem duabus conſtans partibus, laude, & petitione. Prima pars ex Scriptura ſacra deſumpta eſt, duoſque habet Auctores, Angelum, & ELISABETH. Ab Angelo tamquam a primario Auctore, *Angelicae* Salutationis nomen ſortita eſt. Verba ejus haec ſunt: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Poſtrema haec verba etiam ab ELISABETH dicta ſunt. Addidit ELISABETH ſola: *& benedictus fructus ventri tui.* Primae vero huic parti adjecta ſunt ab Eccleſia nomina JESU & MARIAE. Poſterior autem pars ſic exprimitur: *Sancta* MARIA *Mater Dei ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtrae.* Quod additamentum in magna Synodo *Epheſina* Salutationi Angelicae factum fuiſſe contendunt Eminentiſſimi BARONIUS, & BONA. Verum licet in eo Concilio beatiſſima Virgo vere Dei Genitrix fuerit proclamata, non inde ſequitur, praedicta verba in eadem Synodo ſtatim Salutationi Angelicae fuiſſe addita; quum nulla ſatis valida auctoritas in medium proferri poſſit, quae huic opinioni faveat. Quin additamentum *Sancta* MARIA &c. in nulla precum formula ante annum milleſimum quingenteſimum octavum reperitur. Tunc vero ſolummodo dicebatur: *Sancta* MARIA *Mater Dei ora pro nobis peccatoribus. Amen.* Subinde *Franciſcani* addide-

Digitized by Google

addiderunt : *& in hora mortis noſtrae ;* atque ita in Breviario anni MDXV. legitur ; eaque de cauſſa Cardinalis S. *Crucis*, ſeu GUIGNONIUS, qui *Franciſcanus* fuerat, ipſa eadem verba in Breviarium ſuum intulit anno MDXXXVI., & S. PIUS V. hoc *Franciſcanorum* additamentum retineri voluit in Breviario *Romano* ſua auctoritate recognito. Occurrit tamen *Ave* MARIA &c. in minori B. Virginis officio ad Invitatorium apud Petrum DAMIANUM *opuſc. 33.*, & in S. GREGORII Sacramentario ad offertorium Miſſae quartae Dominicae Adventus; ſed verba tantum ab Angelo prolata ibi leguntur, & eſt potius Antiphona, quam Oratio. Inter preces igitur populo praeſcriptas haec oratio *Ave* MARIA &c. primum invenitur apud ODONEM *de* SOLIACO Epiſcopum *Pariſienſem* in ſuis Statutis A. MCXCV. exaratis: *Exhortentur populum ſemper Presbyteri ad dicendam Orationem Dominicam, Credo in Deum, & Salutationem Angelicam beatae* MARIAE *Virginis*. Poſt ea vero tempora in Conciliis hujus orationis recitatio inculcatur. Immo ejus recitatio indivulſa ab Oratione Dominica ſemper habita eſt ; adeo ut Concilium *Bituricenſe*, ſaeculo decimo ſexto habitum, juſſerit, *omnem Chriſtianum Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum, Decalogum perdiſcere*. *Mediolanenſis* quoque Synodus quincta praecipit omnibus Confeſſionis Miniſtris, ut a Poenitentibus ſuis Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, atque Symbolum recitari curent. Hinc tam frequenter fuit uſurpata Salutatio Angelica, ut non tantum ad officii, ſed & concionum exordia adhiberetur ; qui mos in pluribus *Italiae* & *Germaniae* locis etiamnum viget ; in *Galliis* vero ad exordii finem. *Dicitur Ave* MARIA *in principio ſermonis*, ait AMELIUS in ſuo Ordine *Romano* decimi quincti ſaeculi. Statutum etiam fuit, ut Clerici genua flecterent, cum *Ave* MARIA in officio recitanda occurreret ; atque ita *Romae* fit ad Hymnum *Ave Maris ſtella* ; in aliis vero Eccleſiis Clerus conſurgens ad altare ſe convertit, quoties pro Antiphona, vel pro Reſponſorio *Ave* MARIA decantatur. *Volumus*, ait Concilium *Budenſe* ſaeculo XIII. coactum, *quod omnes Clerici, quoties in divinis officiis Ave* MARIA *audierint, flexis genibus ſe reverenter inclinent*. Subinde Roſaria, & Corallae in B. Virginis honorem fuere adprobatae ; ipſaque Salutatio Angelica adjecta eſt orationi Dominicae in Regulis pro Fratribus laicis ; praecipue quum Haeretici Fidelium pietatem erga ſanctiſſimam Virginem infirmare conati ſunt. Inter ceteros enim *Valdenſium* errores ille numerabatur, quod *Ave* MARIA, ſeu Salutationem Angelicam, rejicerent, ejuſque ſectae Miniſtri in Confeſſione *Ave* MARIA poenitentiae loco non imponerent. Quare quum quis eos internoſcere volebat ; ex iis quaerere ſolebat, num *Ave* MARIA recitarent? Indulgentiae quoque recitantibus conceſſae ſunt. V. ANGELUS DOMINI, & meam de *Ave Maria* diſſertationem inter Italicas nuper edita *T. II.*

AULA, ſecunda pars Eccleſiae erat, ad quam patebat aditus per tres portas, quarum media magnitudine, & ornamentis alias ſuperabat. Dividebatur autem in duas partes, Narthecem & Naon. Aulae tamen nomine interdum nonniſi ſubterranea Confeſſionis, quam dicimus, cella ſignificatur. Sic in epiſtola PAULLI I. ad PIPPINUM Regem *T. I.* Cod. Carol. *p.* 224. Vaticana S. *Petri* Confeſſio, *Aula S. Petri* vocatur. Quarto autem ſaeculo, ac dein-

deinceps *aula* uſitatum nomen pro Baſilica ipſa & Eccleſia. In Muſivis Baſilicae S. PAULLI via Oſtienſi:

THEODOSIUS coepit: perfecit HONORIUS AULAM
Doctoris mundi ſacratam corpore PAULLI.

Eodem nomine Vaticana ipſa S. Perri Baſilica in HADRIANI I. epiſtolis deſignatur, *Apoſtolicae* adjectivo diſtincta. Vide *Tom. I. Codicis Carolini p. 329. 331. 426. Cluſii* quoque in Inſcriptione, quae olim ad S. Muſtiolae poſita erat:

Cujus AULAE moenia a fundamentis dicavit
GREGORIUS armipotens, & robuſtiſſimus.

AUREA HORA. V. Tertia

AUREUS NUMERUS, de quo in Rubricis, Epactae inveniendae deſervit, & cyclum Lunarem XIX. annorum ſignificat. Si regulam quaeras, qua in ſingulos annos aureum numerum invenias, adde currenti Chriſtianae Arae anno unum; cum illum per 19. divide; qui per 19. ulterius dividi nequit, annus erit aurei numeri. Sic hoc anno 1784. aureus numerus erit XVIII., quia ſi anno 1784. unitatem adjeceris, annumque 1784. hac unitate auctum, ſeu annum 1785. per XIX. diviſeris, indiviſus ſupererit XVIII. qui proinde aureus numerus erit. Aureum porro dictum volunt, quod Athenis numerus Cycli Lunaris quolibet anno occurrens aureis litteris inſcribi ſoleret.

AURIFLAMMA, Vexillum S. DIONYSII a Regibus *Francorum* ad ejus ſepulchrum, vel etiam ab aliorum Martyrum altaribus ſumi ſolitum in bellicis expeditionibus, ut felicior pugna eſſet.

AURIPHRYGIUM. V. Mitra.

AUTHENTICA, Hebdomada Major in Lectionario Gallicano, quod exhibet MABILLON. *de Liturg. Gallic. p.* 128., quemadmodum apud AMALARIUM. AMBROSIANIS quoque *Authentica* etiamnum ea hebdomada dicitur. Hinc illis Feriae ſecunda, tertia, & quarta poſt Dominicam Palmarum dicuntur *Feriae in Authentica*, ideſt majores ac digniores, habita ſcilicet earum cum aliis Quadrageſimae Feriis comparatione. Illis autem tribus diebus color rubeus adhibetur.

AUTHENTICUM. Liber erat, quo Antiphonae & Reſponſoria continebantur. GUIDO *Diſcipl. Farf. cap.* 40. *Dicant Antiphonam per ordinem, ſicut inſertae ſunt in Authentico.* Vide etiam *cap. XXVII. & XLI.*

AUTOCEPHALIA. Graeca hac voce utitur ANASTASIUS in DONO, & in S. LEONE II. *T. I. p.* 274 *&* 290. latine eſt *exemptio*. Nempe αὐτοκεφάλιος jure gaudere a *Graecis* dicebantur Epiſcopi, qui liberi, nec ulli Patriarchae obnoxii erant.

AXIOMATICI, in dignitate conſtituti ex *Graeco* AXIOMA, *latine* DIGNITAS. ANASTASIUS eo vocabulo utitur in HADRIANO II. *T. III. p.* 223.

AZYMATAE, qui in Euchariſtia conficienda azymis utuntur. Chriſtiani *latini* ritus ita ex contemptu a *Graecis* appellabantur, quia in azymo conſecrabant. *Ceſſate ſubſannando Azymitas vocare.* LEO IX. *in epiſt.* 20.

AZYMUS, panis ſine fermento. Cl. SIRMONDUS in ſingulari diſquiſitione *de Azymo* ſtatuerat, panem fermentatum in Eccleſia *Latina* multis ſaeculis adhibitum in Miſſa fuiſſe, & Azyma *Photiani* ſchiſmatis tempore

nondum

nondum recepta: ſed tantum medio illo intervallo, quod inter ſchiſma PHOTII Pſeudopatriarchae, ſedente LEONE Papa IX., effluxit, ideſt medio illo tempore, quod ab anno aerae Chriſtianae DCCCLVII. ad MLIV. interceſſit. At Card. BONA in ſuis rerum Liturgicarum libris docuit, jam inde ab Apoſtolorum temporibus ad ſchiſma *Photianum* in Eccleſia *latina* promiſcuum fuiſſe uſum fermentati, & azymi panis, nec ante ſaeculi decimi initium Azymum lege communi ac generali ubivis receptum apud Latinos. ,, Qua in re, inquit MABILLONIUS in diſſ. *de azymo & fermentato*, SIR- ,, MONDI ſententiam temperavit illuſtriſſimus Scriptor, quod SIRMONDUS ,, non videatur admiſiſſe Azymi uſum ante PHOTII diſſidium, ſed ſolum fer- ,, mentatum: at vero Eminentiſſimus Cardinalis utrumque promiſcue uſurpa- ,, tum pro tempore & locorum opportunitate fateatur. ,, Idem porro MABILLONIUS in citata diſſertatione duo potiſſimum contendit; unum Azymorum uſum apud Latinos in re ſacra viguiſſe ante ſchiſma *Photianum*; idque adverſus SIRMONDUM diſerte probandum ſuſcepit: alterum argumenta a SIRMONDO propoſita non penitus evincere, fermentum a *Latinis* aliquando adhibitum fuiſſe. Vide etiam doctiſſimos Viros CIAMPINIUM, & THOMASIUM. Nobis ſatis ſit, noſtram azymi conſuetudinem duabus graviſſimis niti rationibus, quia ſcilicet, ut ait S. ANSELMUS CANTUARIENSIS in reſponſione ad quaeſtiones ſibi ab Epiſcopo VALERANNO propoſitas, azymus panis *valde aptius*, *& purius*, *& diligentius fit*, *& Dominus* (dum Paſcha ultimum prima azymorum die cum ſuis diſcipulis manducavit) *hoc fecit*.

B

BACILE, BACINUS, BACCALE, itemque *Bacchonica*, *Bacchinon &c.* pelvis, ſeu vaſis genus abluendis manibus, vel aliis vaſculis ſuſtentandis deſtinatum. Vide GEORGII diſquiſitiones *de ſacr. Miniſt. c. 13*. Erat & BACINUS tintinnabuli genus fortaſſe inſtar bacini elaboratum, quo Monachi, & Canonici ad publica quaedam munia convocabantur. In documento a. 1288. apud Cl. GARAMPIUM in Vita B. Clarae *p. 198*. *Bacinum clauſtrale* indicatur veluti ſignum, quo Canonici Tiphernates ad menſam conveniebant.

BACULUS *paſtoralis*, quo utriuſque Eccleſiae Epiſcopi utuntur, immo & apud *Latinos* Abbates, apud *Graecos* Praefecti Monaſteriorum; non ejuſdem tamen, cujus apud *Latinos*, formae eſt apud *Graecos*. Apud hos enim ſumma ejus pars deſinit in globum eburneum, vel in ſignum Crucis, vel in lignum tranſverſum inſtar litterae *Tau*, vel duobus ex ebore ſerpentibus ornatur, qui reflexis ſe mutuo capitibus reſpiciunt. Apud illos vero in ſummitate curvus eſt, ſive retortus. Fuerunt paſtorales baculi aliquando cupreſſini; (vide *Stephanum* TORNAC. *ep. 233. ſeqq.*) aliquando ex oſſe & ligno; (vide HONOR. *in Gem. l. 1. cap. 219.*) ſaepe aurei vel argentei, aut auro, vel argento, aliave pretioſa materia exornati. (Vide *S. Petrum* DAMIAN. *lib. 2. ep. 2.*) Baculi uſum Cardinales non habent; eſt enim, ut diximus, juriſdictionis ſignum: ideo legimus MARINUM Vicarium *Romanum* in octava Synodo auferri juſſiſſe PHOTIO ingredienti *Baculum*: *Quia*, inquit, *Baculus*

ſignum

ſignum eſt Paſtoralis dignitatis; quod hic habere nullatenus debet; quia lupus eſt, & non Paſtor. BARON. *Tom.* X. *Annal. pag.* 427. Alia omnino de cauſſa Romanus Pontifex baculo Paſtorali non utitur. V. Ferula. Baculos quoque, non tamen Pontificales, neque ut dignitatis inſignia, geſtatos fuiſſe in Proceſſionibus Rogationum a Monachis, multis oſtendit MARTENE *l.* 3. *c.* 19. ex *Floriacenſibus* Conſuetudinibus. *Parati ſunt duo clientes eleemoſynarii hinc inde cum baculis, egredientibus ſingulis baculos porrecturi. Quoties baculos accepimus, caputia capiti imponimus.* Cur autem baculos adciperent, ea eſt ratio, quia in his Proceſſionibus nudis pedibus incedebant. Vide Bastonum, Crocia, Ferula. Olim in ipſis Eccleſiis quum Fideles ſtantes orarent, ne nimia laſſitudine deficerent, pluribus in locis baculis veluti ſuſtentaculis innitebantur. Adi MABILLONIUM *de Liturg. Gallic. p.* 434. *ſeqq.* Hi tamen ad Evangelii lectionem deponendi [illegible]ant. Confer Ordinem Romanum inter MABILLONIANOS II. *pag.* 46.

BAJULUS. Hoc nomine appellantur in libro uſuum Beccenſium, qui Crucem adorandam ferebant. *Bajuli procedentes paullulum dicant alium verſum.*

BALDACHINUM, unde Italicum *Baldacchino*.

BALTHEUS, ſubligaculum, quo alba praecingitur, alias cingulum.

BANCALIA, *Bancalium &c.* ex DURANDO *l. I. Ration. cap.* 3. *n.* 23. ſunt panni, ſeu tapetia, quae ſupra ſedes in choro ponuntur. Statuta LANFRANCI. *Sedilia Refectorii, Capituli, Clauſtri tegantur Bancalibus.* Bancalea tamen in Ordine Romano XV. *p.* 466., MABILLONIO interprete, ſcamna ipſa ſunt.

BANCUS, ſedes lignea. In Pontificali Rom. *Presbyteri vero ordinati retro Pontificem, vel hinc & inde, ubi magis commodum erit, in terram genuflexi habeant libros coram ſe ſuper ſgabellis, ſeu Bancis ordinatis.*

BANDA, ſeu BANNA, pedeſtris militiae ſigna, Pontifici pompa maxima equitanti praeferri ſolita. *Tunc Papa levatur,* (inquit notans coronationem GELASII II. *Pandulphus* PISANUS in ejus Vita ex edit. CAJETANI *p.* 5.) *niveum aſcendit caballum, coronatur, & tota Civitas cum eo coronatur, per viam ſacram gradiens* Lateranum *aſcendit, bandis, & inſignibus aliis cum praecedentibus, atque juxta* Romanum *ritum, moremque ſequentibus.* Memorat *ſigna, & bandas* Populi *Romani* epiſtola ſchiſmatica Canonicorum S. PETRI deſcripta *lib.* 2. hiſtoriae RADEVICI *cap.* 66., & Signiferos cum *bannis* (al. *bandis*) praecedentes EUGENIUM III. *Nicolaus Roſſelius* ARAGONIUS.

BANDARENSES, *Banderenſes, Bandoreaſes, & Bandalarii, Romae* vocabantur Regionum Capitanei; ſic dicti a *bandis*, ſeu *bannis*, pedeſtris militiae ſignis. V. MORETUM *de Presbyt. pag.* 221. Occurrunt hae voces paſſim in antiquis *Romanis* Ordinibus. Inter Conclavis cuſtodes, quos enumerat Petrus AMELIUS *cap.* 149., poterant *eſſe duo Praelati, & duo milites, vel unus miles, & unus* BANDERIENSIS.

BANDORA, vexillum, nobis Italis *Bandiera*: Vide ANASTASIUM in Vita *Hadriani I.*, ubi de CAROLI M. *Romam* adventu agit. Vide etiam Ordinem Romanum XI. *p.* 128., & XII. *p.* 171.

BANDUM, vexillum militare; unde *Bandeforus*; *Banderarius*, & apud

CENCIUM Camerarium *Bandularius*, qui illud defert: *Bandi* nomen occurrit in *Collectaneis* ANASTASII Bibliothecarii a SIRMONDO editis *in 8. pag.* 188. *Miſit primores* Bandorum, *Presbyteroſque, ac Diaconos, & reverendos ſignorum cuſtodes*. V. ſupra Bandora.

BAPTISMALE, liber Baptiſmi. Vide *Bibliothecam noſtram Ritualem T. I. p.* 157.

BAPTISMALIS Eccleſia, nempe quae Baptiſmo conferendo inſerviebat: Vide infra Baptisterium. Paroeciales Eccleſiae, in quibus Baptiſteria paſſim deinceps extructa ſunt, *Catholicae* poſt Trullanum Canonem LIX. vulgo appellatas invenias. Vide MAZZOCHIUM *T. I. Kal. Neap. pag.* 128.

BAPTISMUS, BAPTISMA. S. GREGORIUS ait: *Baptiſma* Graeco *eloquio dicitur*, latine Tinctio, *quod ibi homo ſpiritu gratiae in melius immutatur, & longe alius, quam fuit, efficitur: primum enim foedi cramus deformitate peccatorum; in ipſa tinctione reddimur pulchri dealbatione virtutum*.

BAPTISMUS Campanarum, earum benedictio eſt, ſic dicta quod in ea praecipuae, quae in puerorum Baptiſmo uſurpantur, ceremoniae adhibeantur; quemadmodum ab IVONE Templum baptizari dicitur, quum conſecratur. Ordinem hujus benedictionis ex antiquis Codicibus *Rhemenſi*, & RATOLDI Abbatis habes apud MENARDUM in not. ad *Sacrament. Gregor. p.* 207. JOHANNES XIII. nonnullis primus videtur fuiſſe, qui a. DCCCCLXVIII. Campanis conſecratis Sancti cujuſpiam nomen indiderit. Sed quum ALCUINUS ex antiquiſſimo Ordine *Romano* edicat: *novum videri non debet campanas benedici, & ungi, eisque nomen imponi*, octavo jam ſaeculo id moris obtinuiſſe intelligimus. In hanc Campanarum benedictionem aliquid ſuperſtitionis CAROLI Magni temporibus popelli levitas invexerat. Quamobrem a. DCCLXXXIX. idem CAROLUS ſuis in Capitularibus *Cap.* 18. praecepit, *ut Cloccae non baptizentur*. Confer SALAM in BON. *l. I. cap.* 22. §. 7.

BAPTISTERIUM, locus in quo Baptiſmus publice traditur. Pluribus nominibus Baptiſteria a veteribus appellabantur. *Tinctoria, & Baptiſterii Baſilicam* ea ab AMBROSIO dicta reperio *lib. de initiandis myſteriis cap.* 5., itemque *ſecundum Tabernaculum, ubi virga* AARON *floruit, lib. IV. de Sacr. c.* 1.; CYRILLUS vocat *Catech.* 1. *veſtibulum, ſeu porticum domus Baptiſterii*; FORTUNATUS *lib.* 2. *carm.* 12. & *Gruteriana* Inſcriptio 1166. 8. *aulam Baptiſmatis*; *Graeci paſſim illuminatorium*, qua de voce conſule ſis LACERDAM *Adverſ. ſacr. cap. XXI. n.* 51. *Piſcinam* SIDONIUS *Apollin. lib. II. epiſt.* ad Domit., aliique. (Confer BEVEREGII notas *ad Can. XI. Concilii Nicaeni, & Wedder* KAMPIUM *de Baptiſt. veter. cap.* 1. *n. XX.*) *Templum Baptiſmatis* GREGORIUS *Turonenſis lib. II. hiſt. Francor.* APONIUS antiquus Scriptor *lib. III. Comm. in Cant. Cant. Biblioth. Max. SS. PP. T. XIV. Fontes haedorum. Fons* etiam dicitur Baptiſterium. Singulare nomen eſt, quod hodieque apud *Aquilejenſes* Baptiſterium obtinet, nempe *Eccleſiae Paganorum*; de quo vide Cl. P. de RUBEIS *in diſſ. de Sacr. Forojul. Ritib. C. XXVII. p.* 372. Erant Baptiſteria fere rotunda; (interdum tamen octagona, ut *Mediolani* vetuſtus fons *Theclae*, aut hexagona, ut *Aquilejenſe, & Parmenſe* quod hodieque exſtat) ſed a Baſilicae corpore, & ab ipſo veſtibulo ſegregata; ad dexteram autem, qua ad idem veſtibulum patebat aditus, collo-

cata

cata; nempe à meridionali Eccleſiae latere plerumque ſita erant. Ad fontes, qui in illis erant, certo graduum numero plerumque deſcendebatur; hi autem ſeptem erant juxta plures Auctores (*Theodulphum* AURELIAN. *lib.* 2. de Bapt. *cap.* 13., *Hugonem* FLAVIN. in Chron. Vird.) quod quidem non generatim adcipiendum, ſed de pluribus locis. Ex his gradibus tres deſcenſui ad quartum deſerviebant; ſuper hoc Catechumeni immergebantur, per tres alios iterum adſcendebant; aut potius hi gradus ita diſpoſiti erant, ut Sacerdos, & Patrinus, a quibus tenebatur qui in ſacrum balneum immergebatur, poſſent ſinguli ſeorſum, nec difficulter adſcendere, quemadmodum quartum gradum uterque deſcendebat. Baptiſterium quoque fontem ſignificat, in atriis ſacrarum aedium ad manus lavandas erectum. De ſimili fonte intelligendus ENNODIUS carmine CXLIX., quod inſcribitur *de fonte Baptiſterii* S. STEPHANI, *& aquam, quae per columnas venit*. Vide ROSWEIDUM ad S. PAULLINI epiſtolam XXXIII. Vide etiam infra ILLUMINATORIUS. Baptiſterium praeterea librum Baptiſmi deſignat. Vide *Biblioth. Ritual. Tom. I. pag.* 157.

BARBA. Concilii IV. Carthag. Canon. XLIV. *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat*, vel, ut alii veteres libri legunt, *tondeat*. Barbam igitur alebant, ut hodieque *Graeci*, & *Latini* non pauci „ ut prorſus non „ capiam, inquit SIRMONDUS ad SIDONIUM *lib.* IV. *ep.* XXIV., quod „ ſcribit GREGORIUS VII. ad Judicem *Caralitanum l.* IX. *ep.* X. „ *totius occidentalis Eccleſiae Clerum ab ipſis Eccleſiae Chriſti primordiis barbam radendi morem tenuiſſe*. *Latini* tamen poſtea barbam plerique raſitarunt. Idque diſcrimen *Graeci*, *Latinique* Cleri, quod Religioni noſtrae nihil officere adcurate diſſerit Synodus *Lemovicina*, in cujus actis diei ſecundae recitantur Canones Synodi *Bituricenſis*, quorum ſeptimus Clericos omnes tonſuram Eccleſiaſticam habere jubet, hoc eſt barbam raſam, & coronam in capite. Adeo variae hac etiam in parte vices temporum fuerunt. Immo eo res proceſſit, ut *barbatus* inter Monachos idem fuerit, qui Frater illiteratus, Converſus, Laicus, quod ſcilicet Fratres hujuſmodi barbam nutrirent. Refertur in Vita S. HERMENOLDI *lib.* 2. apud BOLLANDUM, *ſexta Januarii*, punitio cujuſdam fratris, ex his, quos *Barbatos* dicimus. Et in vita S. ALBERICI Abbatis Ordinis *Ciſtercien.* legitur: *Tumque definierunt, Converſos, Laicos & Barbatos ſe ſuſcepturos*. Ipſam porro barbam Monachis benedictam fuiſſe conſtat ex Vita S. GODEHARDI apud BOLLAND. *die* 4 *Maji n.* 12.

BASILICA, ut in aerea Lamella apud MURATORIUM BASILICA PAULI, Chriſtianorum Eccleſia ſeu propter aedificii magnificentiam, (erant enim apud profanos Scriptores Baſilicae Regum habitacula, vel publica aedificia, in quibus judicia exercebantur, atque a mercatoribus, ac nummulariis negotia pertractabantur) vel quia, ut ait ISIDORUS *lib.* 15. *Origin. cap.* 4., ibi Regi omnium Deo cultus & ſacrificia offeruntur. Interdum tamen Baſilica idem eſt, quod Aedicula, defunctorum tumulis ſuperaedificata. Vide Cl. VEZOSIUM ad THOMASII *Tom. IV. p.* 340.

BASILICARII, *Romae* Subdiaconi erant Baſilicae *Lateranenſis*, qui etiam *ſacrae Baſilicae, vel ſanctae Baſilicae* Subdiaconi appellantur in diplomate HONORII II. pro Eccleſia Piſana a. MCXXVI. Iidem fuiſſe GEORGIO

viden-

videntur, qui & *Palatini*: Vide Palatini: Generatim vero Baſilicarii, dicti etiam *Baſilicani*, ii erant, quibus Baſilicae, ſeu Eccleſiae incumbebant. *Ante veſtiarium debet Camerarius ſcopare, & ante Baſilicam Baſilicanus*. HILDEMARUS *in Regul.* S. BENEDICTI *c. 35*.

BASSINUM V. Bacinum

BAUCUS, Bacinum. ANASTAS. in LEONE IV. *Baucos inauratos tres*.

BEATIFICATIO, conceſſio eſt a Pontifice cuidam Provinciae, Regno, vel Ordini facta, qua, praemiſſo de virtutibus heroicis, certiſque miraculis examine, permittitur, vel etiam aliquando praecipitur, ut aliquis *Beatus* appellari poſſit, eidemque in quopiam plerumque determinato loco, ordine &c. cultus deferri in Beatificationis Brevibus praeſtitutus circa Officium, Miſſam &c.

Dixi I. *aliquando* praecipi Beati cultum: Sic ALEXANDER III. juſſit celebrari officium in Dioeceſi GROSSETANENSI in honorem B. GUILLELMI a MALAVALLE; LEO X. in honorem B. HOSANNAE pro Civitate ac territorio MANTUANO; CLEMENS X. in honorem B. STANISLAI KOSTKAE pro POLONIA, LITUANIA, adjunctiſque Provinciis.

Dixi II. *plerumque* cultum hujuſmodi alicujus loci, ordiniſque finibus coarctari. Nam interdum ad univerſam Eccleſiam ampliatus fuit, ut cultus B. JOANNIS BONI ex conceſſione SIXTI IV., & B. ROSAE LIMANAE ex indulto CLEMENTIS X.

Dixi III. cultum hunc non alium eſſe poſſe, quam qui in Brevibus Beatificationis praeſtitutus ſit. Id enim ſtatutum a S. R. C. fuit 5. *Octobr.* 1652., ne cui cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti verbales Indultorum limites, praeſertim in celebrandis Miſſis, & Officio cum Octavis, excedere liceat. Eadem S. C. 19. *Februarii* 1658. coram ALEXANDRO VII. decrevit, Beatis non poſſe tribui titulum SANCTI, eorumque capita radiolis, non diademate ornari debere. Demum idem ALEXANDER VII. 27. *Sept.* 1659. cuncta ad Beatorum cultum pertinentia diſtinctius propoſuit, ejuſque decreta eadem S. C. 17. *April.* 1660. explicavit.

Neque omittendum eſt, eumdem ALEXANDRUM VII., cum nulla Beatificationis ſolemnitas in Baſilica Vaticana celebraretur, ſed, abſoluta cauſſa, Brevique expedito, & Poſtulatoribus tradito, alibi feſtum ageretur, voluiſſe, ut ſolemnis S. FRANCISCI SALESII Beatificatio in Baſilica Vaticana 8. *Januar.* 1662 celebraretur: quod poſtea ceteri Pontifices imitati ſunt. Conſiſtit haec ſolemnitas in publicatione Indulgentiae eo die in Baſilica ab utriuſque ſexus Chriſtifidelibus confeſſis, ſacraque Communione refectis obtinendae: in praeſentia Cardinalium, & Conſultorum Congregationis Rituum, & Cleri Baſilicae: in exhibitione, & lectione Brevis Apoſtolici: in cantu hymni *Te Deum*: in detectione imaginum Servi Dei: in recitatione collectae, thuris oblatione imagini Beati, celebratione Miſſae, ac demum in acceſſu Pontificis poſt veſperas ad colendam Beati Imaginem.

Haec intelligenda ſunt de expreſſa, &, ut ajunt, *formali* Beatificatione: Nam ſi tantum *aequipollens* ſit Beatificatio, per viam ſcilicet caſus excepti a decretis URBANI VIII., nulla ſolemnitas in hac Beatificatione peragitur. V. LAMBERTINUM *l.* 1, *cap.* 31. V. infra Canonizatio.

BEMA

BEMA, *Graeci* vocant, quod nos Altare majus. *Gentianus* HERVETUS ad Liturgias Graecornm templa in tres partes dividit; in quinque, quae in idem recidnnt, *Claudius* SANCTESIUS. Prima tamen dicitur ἅγιον βῆμα, *ſanctum tabernaculum*, qnod gradibus in eam ſcandatur: ibi autem duo ſunt altaria, majus in medio, quod dicitur θυσιαστήριον, *ſacra menſa*, *ſancta ſanctorum*, *propitiatorium*, *magni ſacrificii officina*, *Chriſti monumentum*, *& ejus gloriae tabernaculum*. Minns altare, in quo Sacerdos ſacra praeparat, vocatur πρόθεσις, quaſi *propoſitio*, quod panis conſecrandus in eo primum ponatur.

BENEDICTIO ſaepe orationem ſignificat. Sic AMALARIUS *lib. III. cap.* 9. primam Miſſae orationem adpellat. *Utroque nomine*, inquit, *ideſt* Benedictionis, *&* Orationis *vocatur oratio Sacerdotis*. *De Benedictione dicit Apoſtolus:* Si benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotae, quomodo dicet Amen, ſuper tuam benedictionem, quia neſcit quid dicas? *Hanc* Benedictionem (proſequitur AMALARIUS) *vocat* AMBROSIUS (verius HILARIUS diaconus) *orationem dicens; imperitus enim audiens, quod non intelligit, neſcit finem orationis, & non reſpondet Amen, ideſt, verum, ut confirmetur Benedictio*. Aliquando vero ſumitur Benedictio pro Cantico trium puerorum: *Benedicite omnia opera Domini &c.*, & in hoc ſenſu adcipitur a S. BENEDICTO in ſua Regula. S. quoque FRUCTUOSUS in Curſu Matutin. ſeu Reg. *cap.* 3. *Duodenis iterum cantatis Pſalmis adeant cubilia, paullulumque quieſcentes, gallicinio jam ſonante, recitatis tribus pſalmis cum laude, & Benedictione ſua, celebrent officium. Beatitudines* hoc nomine deſignavit idem AMBROSIUS in ſatis obſcuro loco *lib. V. in Luc. cap. 6. num.* 49., ubi ait: *& mandatum accipis, octo illis partem dare fortaſſe benedictionibus*. Vide MAZZOCHIUM *in Kal. Neap. T. III. p.* 835. Praeterea Benedictio adcipitur pro *dono*, & hoc pacto S. GREGORIUS M. *l.* 8. epiſt 29. *Benedictionem* vocat munera quaedam, ſeu Sanctorum Reliquias ad ſe miſſas ab *Alexandrino* Patriarcha. *Suſcepimus autem Benedictionem S. Evangeliſtae* MARCI &c. Ad hoc Benedictionis genus refer *Benedictionem in auro*, ſeu pecuniam a moriente Romano Pontifice inter Clerum, & populum dividendam: quo vocabulo ANASTASIUS in CONONE utitur *T. I. pag.* 301. Cum primis vero Benedictionem Epiſcopalem ſignificat. FERRANDUS *Carthaginenſis* Eccleſiae Diaconus in Vita S. FULGENTII Epiſcopi haec narrat: *Altercantibus omnibus, quis primo ſalutaret* (FULGENTIUM) *agnoſcendum, quis benedicendum caput ſupponeret*. Incertus item Auctor *Quaeſtionum veteris & novi Teſtamenti* inter AUGUSTINI opera, de hac benedictione meminit. S. NICETIUS Epiſcopus *Trevirenſis* A. D. DLXIII. JUSTINIANUM increpuit, quod Epiſcopos in exilium miſiſſet, a quibus benedictionem petere debuiſſet: *Patres, a quibus benedictionem expectare debuiſti, in exilium tranſmiſiſti*. Reges igitur ab Epiſcopis petebant, ut benedicerentur. Hunc morem deinde teſtantur SYMMACHUS Papa in epiſtola ad ANASTASIUM, GREGORIUS *Turonenſis*, acta Concilii *Toletani XVII*. A. D. DCXCIV. Poſtremo in Concilio *Ravennate* A. D. MCCCXIV. ſtatutum eſt, ut quoties Epiſcopi per ſuam Civitatem, ac dioeceſim tranſirent, campanae ſonitus praemitteretur, quo omnes properarent, genua flecterent, & benedictionem adciperent.

ciperent. Mex Concilium *Avenionenſe* Anno Domini MCCCXXVI. decrevit, ut quilibet Archiepiſcoporum, ſcilicet *Arelatenſis*, *Aquenſis*, *&* *Ebrodunenſis*, & ſinguli Epiſcopi earum Provinciarum, dum per eas Provincias equitarent, *poſſent etiam* in alia dioeceſi dictarum *Provinciarum populum benedicere*, *& etiam in dioeceſi* Arelatenſi, *&* Aquenſi, *&* Ebrodunenſi, *civitate Metropolitana excepta*. Parvuli quoque Sacerdotibus & Viris ſanctis, ut benedictionem perciperent, offerri ſoliti. In Vita EPIPHANII Epiſcopi: *Omnis aetatis*, *& ſexus turba confluebat*, *offerens parvulos*. EUDOXIA quoque Imperatrix jam natum in purpura THEODOSIUM *juniorem* Patribus obtulit, ut habetur in Vita S. PORPHYRII 26. Febr. Quin & infantes adhuc in utero exiſtentes benedictioni ſanctorum Virorum fuere oblati, ut STEPHANUS junior benedictioni GERMANI Patriarchae Cpolitani. Benedictiones ſolemniores, ideſt quae fiunt majori cum ſolemnitate, & adparatu, ſunt Benedictio Candelarum in Feſto Purificationis B. MARIAE V., Benedictio Cinerum in initio Quadrageſimae, Benedictio Palmarum, ſeu olivarum, Benedictio cerei in Sabbatho ſancto; Benedictio Fontis Baptiſmalis eod. Sabb. &c. Huc ſpectat mos benedicendi populum Reliquiis, & Imaginibus Sanctorum. In hiſtoria ſinceriſſima ſecundae translationis Reliquiarum S. ALDEGUNDIS Virginis, quae contigit anno MCLXI., legimus, quod detecto Sarcophago, *adceſſit propius* Cameracenſis *Epiſcopus*, & *unum de pedibus e corpore ſegregavit*, *& ſuſtulit: omnibus adſtantibus oſtendit*, *& facta Benedictione*, *omnibus ſe humiliter inclinantibus*, *in loco*, *a quo ſuſtulerat*, *repoſuit reverenter*. *Similiter & caput ſanctum &c.* RIGORGUS, ſeu *Rigotus* Comm. *de geſtis* PHILIPPI Auguſti *Francorum* Regis, LUDOVICI *junioris* Filii, ad annum Chriſti MCCV. narrat, quod quum PHILIPPUS Rex pretioſiſſimas quaſdam Reliquias (quas a BALDUINO Imperatore CP. adceperat) Eccleſiae B. DIONYSII donaſſet, HENRICUS Abbas S. DIONYSII de manu Regis Reliquias illas adcipiens, proceſſione ſolemni in eam Eccleſiam detulit; *& data in eodem loco cum Reliquiis Benedictione*, *cum hymnis*, *& laudibus &c.* una cum aliorum Sanctorum Reliquiis ibidem honorificentiſſime condidit. *Johannes* GOBELLINUS in Commentariis PII Papae II. (hoc eſt rerum memorabilium, quae temporibus ejus, cujus ipſe familiaris fuerat, contigerunt) ad annum MCCCCLXII. deſcribens celeberrimam pompam translationis Capitis S. ANDREAE Apoſtoli, (quod PIUS a THOMA, fratre CONSTANTINI ultimi *Graecorum* Imperatoris dono habuerat) inter alia refert, quod Pontifex ex Aede S. MARIAE *Apoſtoli caput exoſculatum adcipiens*, *& ante ſe ferens*, *& circumfuſae multitudini benedicens*, *coepit procedere*: dein ad Baſilicam S. PETRI perveniens, *adſcendit ſcalam marmoream*, *ſuperatoque ſummo gradu*, *vertit ſe ad multitudinem*, *& benedixit ei*, *ſacrum oſtendens verticem*. Probat hunc Ritum BENEDICTUS XIV. *Inſtitutionum Italic. Tom. III. Ven. edit. MDCCXL. Inſtit. VI.* §. 3., additque ſe propriis oculis vidiſſe CLEMENTEM Papam XI. benedixiſſe in Baſilica S. PETRI populum cum ſacris Reliquiis ſanctae Crucis, VERONICAE, Lanceae. *Et nos quoque*, ſubdit, *ſaepe id munus obivimus*, *quum eſſemus Canonici ejuſdem Baſilicae*. Neque omittenda benedictio, quae ante officii lectiones peti ſolet. In regula S. BENEDICTI diſerte praeſcribitur, ut ante Lectionem a

Lecto-

Lectorē dicendam, ſtatim dicto verſu, Abbas benedicat, & juxta explicationem SMARAGDI dicat: *Precibus omnium Sanctorum ſuorum ſalvet, & benedicat nos Dominus*. Ea vero petebatur his verbis: *Benedic Pater*. Refert enim GREGORIUS *Turonenſis* de Mirac. S. MARTINI *l.* 3., S. AMBROSIUM lectiones legi noluiſſe, niſi prius Lectori ipſe daret ſignum: *Cui celebranti ita erat conſuetudo, ut veniens Lector non ante legere praeſumeret, quam Sanctus ei juſſiſſet*. Quum autem die quadam S. ipſe dormiiſſet, Lectorque ad legendum paratus eſſet: *Jubeat*, inquit Lector, *Domnus Lectori lectionem legere*; inde vox *Jube* fit perſpecta. De hac petendae Benedictionis formula plura tradit S. Petrus DAMIANI *lib. de Dominus vobiſcum cap.* 2. In petenda benedictione Lector dicit: *Jube Domne*, non *Domine*, quia hic Dei titulus eſt, ille vero hominis praeclari. Solus Epiſcopus dicit: *Jube Domine benedicere*, non *Domne*, cui abſolute reſpondetur a Choro *Amen*. Si autem adeſſet Legatus, aut aliquis Praelatus major, tunc Epiſcopus verſus ad illum peteret benedictionem, ille vero ſtans in loco ſuo reſponderet: *Ad ſocietatem Civium &c.*, vel per *Evangelica dicta*, factis tamen prius mutuis reverentiis inter Epiſcopum & Legatum, ſeu alium Praelatum majorem Epiſcopo. Ejuſdem generis eſt benedictio, quam Sacerdos in Miſſa Epiſtolam vel Evangelium lecturo impertitur. Benedictio in fine Miſſae paullo recentioris aevi eſt. Vide GEORGIUM *de Lit. Rom. Pon. lib. IV. cap.* 25. Apud *Gallos*, & *Gotho-Hiſpanos* poſt orationem *Libera nos*, ante Communionem dabatur, quod ZACHARIAS Papa *ep. XII.* ad BONIFAC. improbavit. Forma vero benedictionis Epiſcopalis tam apud *Gallos*, quam apud *Gotho-Hiſpanos* varia erat, & mutabilis; & apud *Gotho-Hiſpanos* eadem benedicendi forma utebatur Presbyter, qua Epiſcopus; ſed Presbytero nefas erat praeſente Epiſcopo populum benedicere. *Concil. Hiſpal. Can.* 7. At apud *Gallos* non eadem erat forma benedictionis Epiſcopalis, quae benedictionis Presbyteri. Nam etſi Concilium *Agathenſe Can.* 44. facultatem benedicendi Presbyteris penitus interdixerat, ea tamen diſciplina ubique recepta non eſt, & in Provinciis *Gothorum* imperio non ſubditis manſit Presbyteris facultas, illis a Concilio Regenſi an. CCCCXXXIX. data, non modo benedictiones privatim ſponte petentibus impertiendi, verum etiam *in Eccleſiarum plebibus, per loca tamen magis quam per urbes*, benedictiones publice fundendi. *Conc. Regen. c.* 5., ſed forma quadam breviori, & a benedictionibus Epiſcopalibus diverſa. S. GERMANUS: *Propter ſervandum honorem Pontificis ſacrati Canones conſtituerunt, ut longiorem benedictionem Epiſcopus, breviorem Presbyter funderet*. Voluerunt etiam, ut forma benedictionis Presbyteris permiſſae, conſtanter eadem, atque invariabilis foret. Eſt autem hujuſmodi: *Pax, fides, caritas, & communio Corporis & Sanguinis Chriſti, ſit ſemper vobiſcum*. Denique *beaticam benedictionem*, (ni malis, *beaticam* pro *viaticam* perperam fuiſſe ſcriptum) ideſt *Viaticum* invenies in Conc. BARCINONENSIS *Can.* 9.

BENEDICTIONALE, Liber Benedictionum formulas continens, cujuſmodi *Gregorianum* eſt a GUSSANUILLAEO primum, deinde a *Maurinis* Patribus inter Opera S. GREG. M. editum, MABILLONIO improbante, quod earum plures ab illius Pontificis aevo alienae omnino ſint. Vide quae diximus *T. I. Biblioth. Ritual. p.* 158.

BENE-

BENEDICTUS, epithetum, quo Chriſtianos viros plerique ornabant. Sic *Benedictus* ENDELECHIUS PAULLINO *ep. IX.* ad SEVERUM; benedictus PASCASIUS PAULLINO eidem in epiſtola ad VICTRICIUM; benedictus ELEUTHERUS TERTULLIANO de praeſcriptionibus; benedictus PAULLINUS FAUSTO *Rejenſi*; benedictus TEDRADIUS, & benedictus AGRICOLA GREGORIO *Turonenſi*, Confeſſ. XXCVI. & *lib. III.* hiſtor. XVI., & benedictus SIMPLICIUS Sidonio APOLLINARI *lib. VII. ep.* 9.

BENEFICIA, Reliquiae Sanctorum. In S. GREGORII *ep.* 72. *lib. II.* mentio fit de cruce a ſummo Pontifice miſſa ad *Dynamium*, in qua *beneficia catenae* S. PETRI, *&* *craticulae* S. LAURENTII *inſerta erant*. Sic etiam in libro diurno Romanorum Pontificum Titulus extat *de dando beneficio ſancti Angeli*, de dandis nempe S. MICHAELIS Reliquiis, de quibus conſule Cl. BORGIAM *Memor. Iſtor. della Città di Benevento T. I. pag.* 189. *ſeqq.*

BIBERES, vini ſcyphi, ut VOSSIUS interpretatur, nobis *bicchieri*. REGINO *lib. II. cap.* 432. *Singuli ſingulos biberes accipiant*. Regula S. BENEDICTI *cap.* 31. *Septimanaria accipiant ſuper ſtatutam annonam ſingulos biberes*. Adi BALUZIUM ad REGINON. *lib. I. cap.* 216.

BIBLIA Graecum nomen, quod volumina ſignificat, ſed a Chriſtianis ad ἀντονομαστικῶς divinos ſacrarum litterarum libros traductum fuit.

BIBLIOTHECA. Eccleſiis, quibus Clericorum collegium erat, ſuae numquam Bibliothecae defuerunt, iis ſaltem Codicibus, chartiſque inſtructae, quae ad divinarum rerum, Eccleſiaſticae diſciplinae, Clericalium munerum abſolutiſſimam cognitionem, immo & ad jura, privilegia, contractus, bonorumque poſſeſſiones pertinerent; unde eaedem Bibliothecae *Archiva* dictae ſunt. Certe *Eccleſiarum Bibliothecas* appellat S. HIERONYMUS *epiſt. lib. II. ep.* 5. *ad Pammach.* De Romana vero Eccleſia liber Pontificalis idem ſaepae teſtatur. Sic HILARUS in oratorio S. STEPHANI Baptiſterii *Lateranenſis duas feciſſe Bibliothecas* dicitur *T. I. p.* 159.; de GELASIO autem, quum duos illum libros adverſus *Neſtorium*, & *Eutychen* ſcripſiſſe ANASTASIUS monuiſſet, addit *ibid. pag.* 168.: *qui hodie in Bibliothecae Eccleſiae archivo reconditi ſunt*. Liber praeterea Sacramentorum S. GREGORII M. in *Menardiani* vetuſti exempli titulo dicitur *editus ex authentico libro Bibliothecae Cubiculi* (ſcilicet S. PETRI). De aliis aliarum Eccleſiarum Bibliothecis aliqua dabit *Johannes* de VITA *Theſaur. Antiquit. Beneventan. T. II. p.* 408. *ſeqq.*, ſed multo plura habes a me congeſta in diſſertatione *de Eccleſiaſticis Bibliothecis*. Illud denique non omittendum, *Bibliothecae* nomine ſacros Bibliorum libros ab HIERONYMO verſos paſſim apud Veteres deſignari. Vide CANGIUM in Gloſſario V. *Bibliotheca*, ubi plures Scriptores refert id nominis hac ſignificatione uſurpantes; quibus addendus S. *Petrus* DAMIANI *de ordine Eremitarum, & facultatibus Eremi fontis* Avellani *opuſc. XIV.*

BIBLIOTHECARIUS, qui Bibliothecarum curam habet. Antiquiore aevo, ſi PANVINIUM audias, idem S. R. E. Bibliothecarius qui Cancellarius: quae duo deinde munera ſecreta fuerint; ſed fallitur Vir eruditus, atque in R. E. duo iſthaec munera diſtincta fere ſemper fuerunt, quamvis & Bibliothecarius, ut Archivi, & Bibliothecae cuſtos, actis non ſecus ac Cancellarius ſubſcriberet. Vide quae dixi in Italica diſſertatione de Bibliotheca S. R. E.

BI-

Digitized by Google

BICASSA, de cujus etymo ſi vacat, MACROS in *Hierolexico* legito; in Diariis Magiſtrorum Caeremoniarum caniſtrum eſt, ſeu corbis corio inrecta, in qua panis, fructus, idque genus alia imponuntur, in Cardinalium Conclave prandii tempore intromittuntur.

BIDUANA, biduum ante Paſcha. Miſſale *Gothicum* apud MABILLONIUM *de Liturg. Gallic. p. 239. Incipiunt orationes in Biduana.* Vide etiam Miſſale *Gallicanum vetus ibid. p. 352. & ſeq.* Hinc una ſeorſim dies *Biduana* dicebatur; ſic in eodem Miſſali *Gothico: Item orationes in Bid. die Sabbati.* S. Caecilia in ſuis Actis *biduanis*, & *triduanis jejuniis orans ſe commendaſſe Domino* dicitur. Jejunia iſthaec non qualiacumque erant, ſed ejuſmodi, ut biduo ipſo, triduoque nihil prorſus aut comederetur, aut portaretur. Extant hac de re diſſertiſſima teſtimonia *S. Johann.* CHRYSOSTOMI *lib. II. de Provid. Dei*, & S. AUGUSTINI *lib. I. de Moribus Eccleſiae Catholicae cap. 33.* ubi ait: *Jejunia etiam prorſus incredibilia multos exercere didici, non quotidie ſemel ſub noctem reficiendo corpus, quod eſt uſitatiſſimum, ſed continuum triduum, vel amplius ſaepiſſime ſine cibo, ac potu ducere.* Id autem Chriſtianis uſitatius fuit in biduo illo ante Paſcha, qua de conſuetudine RHABANUS ait *lib. II. Inſtit. Cleric. c. 26. Biduanum morem jejunii inde ſumptum reor, quod Apoſtoli jejunaverunt illo biduo, quo Dominus paſſus, & ſepultus eſt.*

BILLICUS a BULENGERO in donariorum claſſem refertur, quod ANASTASIUS in BENEDICTO III. habeat: *In Eccleſia* B. PETRI *ad cooperiendum* BILLICUM *Confeſſionis, fecit cooperculum ex auro penſantem libras tres*, ubi legendum putat *umbilicum*, perinde ac eſſet *umbilicus* illius thecae, qua S. PETRI Corpus condebatur. A BULENGERI conjectura non abie CANGIUS. Itaque *billicus*, de quo ANASTASIUS, non erit ſacrum donarium, ſed loci certi deſignatio, nempe centrum confeſſionis.

BIOTHANATUS ex *Grecis* vocibus βιαῖος, ideſt *vis violentia*, & θάνατος, *mors*, ſignificat eos, qui violenta morte rapiuntur. TERTULLIANUS *cap. 57. de anima.* Et in Actis S. GETULII de ſeptem Martyribus ſic habetur: *Altera autem die* ADRIANUS *praecepit, Corpora Sanctorum in foveam aliam projici, & Pontifices templorum poſuerunt nomen loci illius ad ſeptem Biothanatos.* Quum enim violenta mors infamis habeatur, Ethnici ignari, quam glorioſum ſit mori pro Chriſto, vocabant Chriſtianos Martyres per contemptum, & horrorem *Biothanatos*: nam *Biothanati* malefactores ut plurimum intelligi ſolent, utpote violenter extincti, & ideo Eccleſia pro malefactoribus, tamquam excommunicatis non orabat. *Extraneus ab Eccleſiae ſocietate inter biothanatos reputabitur.* ALDEL. *lib. de Virg. cap. 16.* Sic de quodam Monacho, qui voluntarie ſe occiderat, CASSIANUS ait: *Vix a Presbytero, et Abbate* PAPHNUTIO *potuit obtineri, ut non inter* Biothanatos *reputatus, memoria & oblivione pauſantium judicaretur indignus.* Collat. 2. cap. 2. Porro quum Biothanatus, ideſt violenter extinctus nedum in actu, ſed etiam poſt mortem fere horrorem excitet, ut ſpectra, & phantaſmata repraeſententur, ideo *Biothanatos* phantaſma aliquando ſignificat. *Sed expellat omnem umbram, omnes machinationes diaboli*, ſive *ſpirituum immundorum, ſive* biothanatorum, *ſive errantium.* Exorciſmus pro *benedict. Aquae* in Vigil. Epiphan. in quodam MS. Rituali Abbatiae *Mileti* apud MACRUM,

quem hoc loco ferè exſcripſimus. De hoc horrore reddit rationem TERTVLLIANUS *loc. cit. cap.* 33. inquiens: *Itaque vocantur* Ahori, *&* Biothanati *ſub illo fidei argumento, quod credibile videtur eas potiſſimum animas vim, & injurias facere, quas per vim, & injuriam ſaevus, & immaturus finis extorſit, quaſi ad vicem offenſae Daemones operentur ſub obtentu earum.*

BIRETUM & BIRETA in femineo genere apud P. AMELIUM *Ord. Rom. XV. p.* 450. *&* 534., Amictui, quo caput obnupti Sacerdotes ad altare adcedebant, ſucceſſit. Pileolus autem eſt, quo Eccleſiaſtici Viri inſtar camelaucii extra ſacra utebantur, ſuturis in quatuor partes aequalibus, quae aliquantum elevatae quatuor Crucis angulos efformant. Hinc paullatim quatuor biretorum cuſpides apud *Gallos*, *Hiſpanos*, & *Germanos*. Soli Presbyteri Itali unico angulo ſubmiſſo tres ad honorem ſanctiſſimae Trinitatis elevant, Crucis tamen forma retenta.

BIRRUS, BIRRUM, brevius Clericorum indumentum, ad modum lacernae, quo brachia tantum & humeri tegebantur. Birro lineo in *Africana* Eccleſia utebantur ſimplices Clerici, ſerico autem Epiſcopi, quod & *Mozzeta* dicitur. Eodem Birri genere apud nos utuntur Cardinales, & Epiſcopi. Concilium Gangrenſe *Can.* 12. *Siquis amictu Pallii longitudine, & latitudine difluentis utitur, & eos, qui Birris* (brevioribus) *utuntur, deſpicit, anathema ſit*. Et in Actis Martyrii S. CYPRIANI: *Exuit Birrum, inde tunicam, & ſic in Linea expectavit Spiculatorem.*

BLATTA, *Blattea, blatti, blattin, blattur*, purpura, ſive ornamentum purpureum. Saepe apud ANASTAS. occurrit. GREGORIUS quoque *Tur. lib.* 2. *hiſt. cap.* 38. *In Baſilica* S. MARTINI *tunica* blattea *indutus eſt*.

BOCULARE, BOCULARIS nobis *boccale*. In Eccleſia B. MARIAE Virginis Monaſterii *Centulenſis* circa A. D. DCCC. inter ſacra miniſteria collocatur *bocularis argenteus*.

BOIAE vincula ſunt graviora, & lignea, quibus collum, & pedes nectebantur. Bojarum in Actis Martyrum, & Martyrologio non ſemel mentio injicitur.

BOJUM pro *pojo*, ſeu *pogio* in Ordinem Romanum IX. irrepſit *pag.* 94. Significat autem Ambonem.

BRACHIALE, manicae ceratae, quas induebat Papa in Sabbatho Sancto, quando baptizabat, ne ſacra Paramenta madefaceret. *Hoc facto revertitur ad eamdem Eccleſiam, ibique exuit ſe pallio, & induit brachialia cerata, & revertitur ad fontes, & baptizat tres pueros*. Caeremon. CENCII Camerarii.

BRANDEUM, velum, quod adplicabatur Sanctorum Reliquiis, & a Pontifice Maximo pro dono ad Principes mittebatur. S. GREGORIUS ſcribens CONSTANTINAE Auguſtae *lib.* 3. *epiſt.* 30. *Cognoſcat autem domina, quia* Romanis *conſuetudo non eſt, quod Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere praeſumant de Corpore, ſed tantummodo in pyxide Brandeum mittitur, atque ad ſacratiſſima Corpora Sanctorum ponitur*. Vide DINUARTII Diarium Eccleſiaſticum Pariſienſe *T. XII. pag.* 284. Significat etiam BRANDEUM altaris velum, ſupra quod celebrabatur. *Et ſic brandeum altaris, quo conſecratum Corpus Domini involverat, dividebat. Chronic.* SIGEBERTI. Vide & Beneficia, Corporale, Sanctuaria.

BRAN-

Digitized by Google

BRANDONES ex MARTENE in Onomaſtico vocum exoticarum, ſunt faces, aut taedae, quo ſenſu ea vox uſurpatur a *Petro* AMELIO in Ord. Rom. XV. *p.* 529. & 532. In ritibus autem Monachorum, & Eccleſiaſticis ſignificare ſolent primam jejunii quadrageſimalis hebdomadam, quod hujus prima die ſub Veſperum brandonibus accenſis februare ſolerent. Hinc *Dominica in Brandonibus* pro Dominica prima Quadrageſimae.

BREVIARIUM. Hoc Breviarii nomen adeo pervulgatum erat MICROLOGI aevo, qui circa An. MCLXXX. vivebat, ut non ſolum quum de Divino ſuorum temporum Officio ageret, ſed & de antiquis Eccleſiae libris eos *Breviarios*, quemadmodum & nos hodie ſolemus, appellet. *Sicut in antiquis* Breviariis *ordinatum reperimus c.* 28. In ſtatutis Abbatum Provinciae *Narbonenſis* anno MCCXXII. promulgatis, ſancitum eſt, *ut Monachi in ſacris ordinibus conſtituti, in longo itinere profecturi, ſine Breviario, vel Pſalterio non mittantur*. Spicilegi. *Tom.* 6. Concilium *Toloſanum* anno MCCXXIV. habitum *Can.* 14. Laicis uſum ſacrorum librorum interdicit, praeter Pſalterium, & Breviarium: *Ne libros veteris Teſtamenti aut novi Laici permittantur habere, niſi forte Pſalterium vel Breviarium pro divinis officiis*. Hinc intelligitur, id nominis officiis inditum ſive quod vetus officium contractum fuerit, ſive quod haec collectio ſit quaedam omnium precum epitome, quaſi *breve orarium*. Confer quae de Breviariis diſſeruimus *T. I. Biblioth. Ritual. p.* 107. *ſeqq.* Olim Monachi *Breviarium* appellabant officium, quod iter facientes extra Chorum recitabant: e ſolis enim lectionibus officii, quod in choro canebatur, contractis, quaſque ſecum portabant, illud conflatum erat. Huc ſpectat, quod a. 1305. apud RAYNALDUM *n.* 20. e Sinis Joannes de MONTE CORVINO Franciſcanus ad ſuum Vicarium Generalem ſcribebat: *Non habeo niſi Breviarium portatile cum lectionibus brevibus, & Miſſale*.

BREVICULUM eſt breve ſcriptum, ſive elogium, quocum defuncti ſolebant ſepeliri, ſive cui conſepeliebantur, ut poſteri ſcire poſſent, quinam ibi eſſent ſepulti: ita legitur in novis lectionibus Breviarii de S. *Joanne* GUALBERTO 12. Junii. *In breviculo, cui conſepeliri voluit, juſſit haec ſcribi: Ego* JOHANNES *credo, & confiteor fidem, quam ſancti Apoſtoli praedicaverunt, & ſancti Patres in quatuor Conciliis confirmaverunt*. Concilia autem iſta quatuor ſunt *Nicaenum*, *Conſtantinopolitanum*, *Epheſinum*, & *Chalcedonenſe*; quibus velut quatuor Evangeliis S. GREGORIUS *Magnus* honorem haberi voluit.

BREVE, Reſponſorium, quod poſt ſingulas Nocturnorum Lectiones cantari ſolet: quo ſenſu occurrit in BERNARDI *Ordine Cluniacenſi P. II. cap.* 21.

BREVIS, qui & COMMEMORATORIUM, erat indiculus ſacrae ſupellectilis ad quampiam Eccleſiam pertinentis. *Stephanus* LARISSAEUS Epiſcopus in ſupplici Libello, qui in Synodo *Romana* III. ann. DXXXI. lectus eſt, ait: *Factus eſt autem* BREVIS *de ſacris vaſis, atque rebus Eccleſiaſticis: & aliqui ab Eccleſiaſticorum ſollicitudine &c.* GREGORIUS III. *Brevem* vocat monumentum, quod ille poſuit ad Baſilicam S. PAULLI extra muros *de Oblatis* ad Miſſam in ea Baſilica offerendis. Haec porro ſa-

erat ſupellectilis deſcriptio Sede Epiſcopali vacante a Clero conficiebatur, ac novo Epiſcopo creato, coram teſtibus, & aliquando Judicibus adhibitis, contradebatur. Acta Proconſularia, quae lecta ſunt A. D. CCCIII. in *Cirtenſi* Concilio, quae a S. AUGUSTINO contra CRESCONIUM recitantur, *Brevem* vocant *indiculum ſacrorum ornamentorum*, *& vaſorum Eccleſiae*.

BUBATA. In Miſſali *Mozarabum*, ubi de lucerna in Sabbatho Sancto benedicenda agitur, *p.* 175., *& vadunt per bubata ad chorum*. Bubata, Bobeta, & Boveta idem ſignificant quod fornix, ſive opus, atque aedificium concameratum. Heic ergo Bubata eſt porticus Eccleſiae concamerata.

BUCALE, vas, quo Miniſter aquam praebet Sacerdoti, quum abluendae ſunt manus. *Bacile cum Bucali pro abluendis manibus*. Pontific. Rom.

BUGIA, dicta etiam *Scotula*. Inſtrumentum ut plurimum argenteum pro ſuſtinenda candela accenſa, & adhiberi ſolet aliquo Praelato ſacra operante.

BULLAE PLUMBEAE. Illis utebantur Epiſcopi. Nam Concilium *Cabilonenſe II.* a. DCCCXIII. Can. 41. ait: *Litteras etiam habebat, in quibus ſint nomina Epiſcopi, & Civitatis plumbo impreſſa*. Octavae Synodi Acta ANASTASIUS memorat *plumbea Bulla munita*. Abbatis quoque plumbea Bulla indicatur a MABILLONIO *de re diplom. lib. II. cap. 15. num. 3.* Celeberrimus Bullarum plumbearum uſus eſt penes *Romanos* Pontifices: hi tamen quousque inaugurati non ſunt, ita Bulla plumbea utuntur, ut ab una tantum parte, ubi ſunt capita Apoſtolorum PETRI & PAULLI, imprimatur; ab alia autem, ubi ſunt litterae ſui nominis, nihil extet. Primus inter ſummos Pontifices, quem Bullas Apoſtolorum imaginibus ſignaſſe conſtet, URBANUS II. fuit. Nam quae hujuſmodi plumbis inſignita antiquorum Pontificum diplomata a MACRO, & CATALANO *T. I. in Caer. S. R. E. p.* 83. indicantur, graviore niti deberent auctoritate, quam *Dominici* RAYNALDI teſtimonium haberi a quoquam poſſit. Hoc ſigillum PAULLUS II. mutaverat; ſed SIXTUS IV. antiquum revocavit.

BURSA, theca, ſeu pera, ubi Corporale ponitur. Ejus meminit CONRADUS Epiſcopus in Chronico *Moguntino*. Olim in libro Corporale conſervabatur.

BUTICULA. ANASTASIUS in Greg. IV. *Item Murenam* (obtulit) *trifilem auream*, *quae habet gemmas diverſas albas numero ſeptuaginta tres*, *& buticulas triginta tres*. Genus quoddam gemmarum, aut lapidis eſſe GEORGIUS conjecit, in orbicularem formam inſtar dolioli cujuſdam elaboratum.

BUTICULARIUS, il *bottigliere*, meri diſpenſator.

BUTO & BUTTO lampadis genus inſtar dolioli efformatae. MACRI ejus ectypon reddunt. ANASTASIUS in LEONE III. *In venerabili monaſterio ſancti* SABAE *fecit* Buttonem *argenteum cum caniſtro ſuo*. Item in LEONE IV. *Obtulit in Baſilica B.* PETRI Buttonem *de argento puriſſimo cum gabathis argenteis pendentibus in catenulis ſeptem*.

BUXA, *Buxis*, *Buxula*, arcae, ſeu capſae, aut pyxides, in quibus Sanctorum Reliquiae ponuntur. *In buxula lignea recondita fuerunt*. In vita S.

Digitized by Google

S. MAURI Abbatis: *Cum vero abſides & altaria ornata fuerint linteaminibus palleis, capſis, & diverſis Reliquiarum Crucibus, & Philacteriis, buxis quoque & pixidibus, &c.* Conſuetud. *Germaniae* apud MARTENE *l. 3. c. 15. Buxus* vero apud cit. MARTENE in Onomaſtico, dyptichum, ſeu tabellam ſcriptoriam ſignificat.

C

CABISCOLA, idem quod *Magiſcola*, Caput Scholae Cantorum.

CABUCA, CABUTA. Vedi CAMBUTA.

CAEREMONIAE, Ritus, mores. Vocem Eccleſia a *Romanis* mutuata eſt. Hi nimirum, quum, urbe a *Gallis* capta, Veſtales Virgines ſimulacra Deorum hoſtibus erepta tranſtuliſſent in oppidum *Caere*, ubi benigno hoſpitio, & multo honore ac reverentia a Caeritibus ſuſceptae fuerunt, donec a *Gallis* Urbs per *Camillum* liberata fuit; in hujus beneficii memoriam omnem divinum cultum, & quem potiſſimum a Caeritibus acceperant, Caeremonias vocarunt. Vide *T. II. Biblioth. Ritual.* MALDONATUM.

CAEREMONIALE, liber caeremonias continens, uti eſt apud GRAECOS *Archieraticum*, apud LATINOS liber Caeremoniarum S. R. E., & Caeremoniale Epiſcoporum. Vide *Bibliothecam Ritualem T. I. p. 161. & 175. ſeqq.*

CAEREMONIARUM MAGISTER (quod olim munus in *Romana* Eccleſia Archidiaconi erat, non Subdiaconorum, qui in caeremoniis dirigendis Archidiaconi tantummodo adjutores erant) pluribus deſignatur nominibus, *Admonitoris*, *Memorialis*, *Rememoratorii*. Duos eſſe debere ad imitationem Capellani Papalis Caeremoniarum Magiſtros, alterum ab Epiſcopo, alterum a Capitulo eligendum, decrevit *Beneventana* ann. MDXCIX. Synodus Provincialis.

CALAMAUCUS. Vide CAMELAUCIUM.

CALAMUS, qui & *pugillaris*, *cannapipa*, *fiſtula*, *virgula*, *cannolo*, ſeu *cannadela* appellatur, ad hauriendum Chriſti Sanguinem. Inter donaria, quae TEUBALDUS ann. DCCCCII. Eccleſiae S. VALENTINI obtulit, legimus *calicem argenteum exauratum cum* CALAMO, *& ſua patena*. In ſtatutis antiquis *Carthuſianorum: Ornamenta aurea, vel argentea, praeter calicem, & calamum, quo Sanguis Domini ſumitur, non habemus.*

CALENDARIUM nomen Ethnicum eſt a Kalendis derivatum, quo primo menſis die Pontifex vocato populo ferias illius menſis adnunciabat. Hinc nobis libellus eſt, in quo Feriae in honorem Dei, vel Sanctorum *per anni circulum* diſpoſitae recenſentur. *Faſtos* id genus librorum TERTULLIANUS appellat in lib. *de Corona militis*; *feriale* epiſtola S. HIERONYMO adſcripta, & vetuſtiori Eccleſiae occidentalis Martyrologio praefixa. Alii *Ephemerides* vocant, *Matriculam Sanctorum*, atque ubi Evangeliorum, atque Epiſtolarum initia, ac finis in ejuſmodi codicibus exhibentur, *Capitularia*, & *Comites*. Hinc Miſſalibus libris, ac Breviariis praefigi ab antiquis temporibus conſuevere. Habent non ſolum *Latini*, ſed etiam *Graeci* hujuſcemodi Calendaria. Vide noſtram *Bibliothecam Ritualem Tom. I. p. 88.* De

Ca-

Calendariis porro praeſertim *Latinis* luculenter agit Cl. Comes *Fridericus* ALTHANUS in diſſ. *de Calendariis*. Calendarium quoque dicimus, quod alii *ordinarium*, & *ordinem* divini officii celebrandi appellant; libellum ſcilicet, in quo quae ſingulis diebus Officia recitanda ſint, eorumque ritus, Epiſcoporum juſſu adnotantur.

CALIGAE, tibialia, quae Epiſcopi ſolemniter celebraturi adhibent: IVO *Carnot. Serm. 3. de ſignification. Sacerdot. indumentorum*: *Antequam induantur ſandalia, veſtiuntur caligis byſſinis, vel lineis uſque ad genua protenſis, & ibi bene conſtrictis*. Vide CAMPAGUS.

CALIX variis eſt appellatus nominibus. *Vas Dominicum* dicitur ab *Arelatenſi* Concilio *Can. XIII.* S. ATHANASIUS *Apol. I. contr. Arrian.* vocat *poculum myſticum*. S. AMBROSIUS *quoque poculum myſticum, & vaſa Sacramentorum de offic. lib. II. cap.* 28. Denique SYNESIUS *in cataſtaſi myſtica vaſa*. Calices tres in Miſſa ſolemni Rom. Pont. adhibiti ſunt, dum Laicis ſub utraque ſpecie Communio data eſt. In Ordine enim *Romano* a *Jacobo* Cardinali CAJETANO digeſto adnotatur, ut in die *Natalis Domini, ac die Paſchatis* pro Communione *parentur tres Calices magni, unus pro Conſecratione, alius cum quo Papa bibit vinum, alius pro Communicantibus*. Calix, in quo Conſecratio fiebat, in Ord. Rom. III., dicitur *Calix ſanctius, & ſacrum vas*; qui vero Communicantibus inſerviebat, *Calix major, & ſcyphus*, frequentius autem *Calix miniſterialis*. Erant & Calices *Offertorii*, qui CANGIO ii videntur eſſe, in quos *amulae*, ſcilicet vini oblationes *in ampullis, & phialis* poſitae, a Diaconis refundebantur. Hos *mediocres* appellat UDALRICUS *lib. III. c.* 12. *In privatis diebus ad Miſſam matutinalem, quia cuncti offerunt, curet hebdomadarius Apocriſarii, ſeu Theſaurarii adjutor, ut inter Calices mediocres ad hoc ſolum factos, & inter ampullas cum vino, habeat quinque & totidem patenas cum hoſtiis........ut inde fratres eas accipiant cum offertoriis oblaturi*. Calices *miniſteriales* erant ex auro & argento, ut ex multis libri Pontificalis locis fit manifeſtum. Ex omni autem materie invenias conflatos calices, in quibus ſacra myſteria conficiebantur. Lignei antiquiſſimi fuiſſe videntur. De his Concilium *Triburienſe* ſub FORMOSO *Can.* 18. *Vaſa, quibus ſacroſancta conficiuntur myſteria, calices ſunt, & patenae, de quibus interrogatus* BONIFACIUS *Martyr, & Epiſcopus ſi liceret in vaſculis ligneis Sacramenta conficere, reſpondit*: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc econtra lignei Sacerdotes aureis calicibus utuntur*. HONORIUS etiam in *Gemma animae lib. I. c.* 89. ait: *Apoſtoli & eorum ſucceſſores in ligneis calicibus celebraverunt*. Vitrei Calices ligneis antiquitate pares ſunt. Solebat autem in illis pingi Paſtor, ſeu Chriſtus ſub Paſtoris ſpecie. Exſtant ea de re diſertiſſima TERTULLIANI teſtimonia. *Lib. de Pudicit. c.* 7. ait: *Procedant picturae Calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius &c.*, & cap. 10. *Si forte patrocinabitur Paſtor, quem in calice depingis*. Et poſt pauca: *At ego ejus Paſtoris ſcripturas haurio, qui non poteſt frangi*. Vitreos calices memorat S. HIERON. *ep.* 4. *ad Ruſtic.*, ubi loquens de EXUPERIO *Toloſano* Epiſcopo: *nihil*, inquit, *illo ditius, qui Corpus Domini in Caniſtro vimineo, & Sanguinem portat in vitro*. Calicis quoque vitrei fracti, & S. LAURENTII meritis

Digitized by Google

ritis in ejus Baſilica reparati *Mediolani* meminit GREGOR. *Turon. lib. I. de Gloria Martyrum c. 46.* Hujus ſimile miraculum refert S. GREG. M. *lib. I. Dialog. c. 7.*, ubi ſcribit, S. DONATUM Epiſcopum *Aretinum* & Martyrem, fractum a Paganis calicem vitreum, quo ipſe utebatur in ſacrificio Miſſae, oratione ſua reparaſſe. Notat autem MABILLONIUS, uſum Calicis vitrei, licet a Concilio *Triburienſi* A. D. DCCCXCV. abrogatus fuiſſet, perſeveraſſe uſque ad ſaeculum XI., quo HENRICUS *Germaniae* Rex RICHARDO *Virudunenſi* S. VITONI Abbati calicem unum de *Onychino*, & alium *cryſtallinum* donaſſe dicitur: mouet autem Vir doctus, calices etiam ex *ſapphiro*, *vitreos* appellatos, ut patet ex charta quincta *Patriciacienſi* apud PERARDUM, in qua HECCARDUS *Comes* ROTARDO cuidam legat *calicem vitreum de ſapphiro*. Cornei calices in uſu fuere, quorum unum a *Norvegis* in Miſſae ſacrificio adhibitum *Thomas* BARTHOLINUS lib. de *medicina Danorum* apud ſe fuiſſe ſcribit. Eos vetuit Concilium *Calchutenſe* in *Anglia* ann. DCCXXXVII. *cap. 7.* Calices item lapideos, ſeu marmoreos in Miſſa adhibitos fuiſſe colligitur ex Vita S. THEODORI Archimandritae apud SURIUM 22. *Aprilis*: narrat enim GEORGIUS Presbyter ejus ſcriptor, quod quum Monaſterium ab ipſo aedificatum argentea ſupellectili careret, & *vaſa* tantum *marmorea* in myſteriis adhiberentur, miſit THEODORUS Archidiaconum ſuum ad regiam civitatem, ut argenteum vas ad ſacrorum myſteriorum uſum compararet. Ex lapide quoque Onychino elaboratos legimus calices: in Synodo enim *Duziacenſi* edita a CELLOTIO *p. 4. c. 5.* inter crimina HINCMARI *Laudunenſis* Epiſcopi hoc numeratur, quod *calicem Onychinum* auro & gemmis ornatum ab Eccleſia ſuſtulerit. Sanctus quoque BERNEUCARDUS Epiſcopus *Hilldeſcimenſis*, ut ex ejus Vita, inter alios calices, unum *ex lapide Onychino*, & alterum *cryſtallinum* Eccleſiae ſuae dedit. VICTOR quoque III. *Caſſinenſi* Monaſterio duos *Calices Onychinos* donavit, ut ex LEONE *Oſtien. in fine lib. 3. Chron. Caſſin. Onychino lapidi* ſimilis eſt *Sardonix*, ex qua gemma SUGERIUS Abbas ſe altaris officiis calicem comparaſſe ait in lib. de *Geſtis ſuis*, quum Regnum adminiſtraret. REGINO ex Concilio *Remenſi* decretum recenſet, *ut Calix Domini cum patena, ſi non ex auro, omnimodis ex argento fiat..... Si quis autem tam pauperrimus eſt, ſaltim vel ſtanneum calicem habeat: de aere autem, aut ex auricalco non fiat calix; quia ob vini virtutem aeruginem parit, quae vomitum provocat. Nullus autem in ligneo calice praeſumat cantare.* Synodus *Remenſis*, in qua *vitrei calicis* uſus interdicitur, ea eſſe a BARONIO putatur quae *Durcortori Remorum* ſub CAROLO M. celebrata eſt. Verum vel antiquiſſimis temporibus argentea praeſertim, aureaque vaſa ad ſacrificii uſum adferebantur. Notum eſt illud, quod de JULIANO Apoſtata THEODORETUS narrat. Impius enim JULIANUS *ſacra vaſa* Eccleſiae Antiochenae fiſco vindicans, *in publicum aerarium inferri praecepit*: quorum vaſorum FELIX Comes ſacrarum largitionum, quum Chriſtianus eſſet, *magnificentiam conſpicatus* (CONSTANTINUS *enim*, & CONSTANTIUS *ambitioſe fabricari ea juſſerant*): *ecce, inquit, quibus vaſis* MARIAE *Filio miniſtratur*. Semper igitur Epiſcopi vaſa ex *auro* & *argento* ad Divinum Sacrificium procurarunt priſcis etiam ſaeculis. Adde ex celebri charta Cornutiana a. CCCCLXXI.

Cali-

Digitized by Google

Calicem argenteum majorem I. *calices argenteos minores* II. Alia exempla GEORGIUS ſuppeditabit *diſquiſition. de ſacr. miniſt. cap. 3.* Vide OFFERTORIUM.

CALYBITA. Sicut SIMEON *Stylita* a ςυλ@ columna, ſuper quam ſtabat, ita JOHANNES *Calybita* a καλύβη tugurium, quod inhabitabat, dicitur.

CAMBUTTA, & CAMBOTTA. *Cambuttam* leges in teſtamento S. REMIGII, & in Sacramentario *Gregoriano* MENARDI, *Cambottam* apud *Walaſtidum* STRABONEM in Vita S. GALLI Abb. HONORIO enimvero in *Gemma*, & BONAE idem ſunt quod baculus Paſtoralis; ſed potius quam baculus, videntur SALAE haec fuiſſe vel ipſius retortus apex, vel ejus ornatus. Certe in geſtis GAUFREDI *Cenoman.* Epiſc. legimus *Cambucam argenteam .... cum baculo Paſtorali;* & in viſitatione theſaurariae aedis S. PAULLI *Londin.* ann. MCCXCV. occurrit *baculus ejuſdem* RICHARDI Epiſc. *cum Cambuca cornea.* Verum quum in pervetuſto Codice, qui Vitam S. AMANDI *Trajectenſis* Epiſcopi continet, apud *Elnonam* ſervato MABILLONIUS Epiſcoporum imagines, qui una manu pedum paſtorale geſtant, alia baculum recurvum, eumque breviorem, quo ſe ipſos inter orandum ſuſtentabant, ſe vidiſſe teſtificetur de *Liturg. Gallic. p.* 435., facile adducor, ut credam SAUFREDI, & RICHARDI *cambucas* non baculi Paſtoralis ornatum, ſed alterius generis baculos, quibus inter orandum Clerici incumbebant, fuiſſe.

CAMELAUCIUM, quod & *Calamaucum* dicitur. ANASTASIUS in CONSTANTINO Papa de hoc integumento capitis meminit his verbis: *Apoſtolicus Pontifex cum* Camelaucio, *ut ſolitus eſt* Romae *procedere, a palatio egreſſus eſt.* PAPIAS illud his verbis definit: *Pileum*, Calamaucum, *ex byſſo rotundum, quaſi ſphaera, caput tegens Sacerdotale, in occipitio vitta conſtrictum, hoc* Graeci, *& noſtri tiaram vocant.* Verum nonnulli volunt, *camelaucium* aliud non eſſe a pileo illo, quo utuntur *Romani* Pontifices, & vulgo *Camauro* appellant.

CAMBAGI. Vide CAMPAGI.

CAMERA, teſtudo, ſeu fornix, & ipſa pars ſuperior: item tectum devexum, & recurvum, a forma teſtudinis, quaſi camerae, ideſt curvae, ut inquit SERVIUS *in III. Georgicorum: Cameris hirtae ſub cornibus aures.* Camera etiam dicitur integra pars aedificii, parietes ſcilicet ipſi cum fornice. S. GREGORIUS *Turon. lib. I. de Gloria Martyrum* loquens de inventione Corporum Ss. GERVASII, & PROTASII a S. AMBROSIO facta *Mediolani* haec habet: *Quando glorioſa corpora translata in Eccleſiam fuerunt, dum in honorem ipſorum Martyrum Miſſarum ſolemnia celebrarentur, cecidiſſe e Camera tabulam unam, quae illiſa Capitibus Martyrum, rivum Sanguinis elicuerit.* In Vitis Pontificum *Rom.* de Baſilicarum variarum Cameris fit frequens mentio, & 11. April. Breviarium Rom. refert de S. LEONE M., quod in tribus Baſilicis PETRI, PAULLI, & *Conſtantiniana* Cameras extruxit, quae ſunt Sacraria, ſive Sacella Baſilicis adjuncta.

CAMERARIUS a Camera, vox eſt recens inventa. Archidiaconi enim S. R. E. officio GREGORII VII. Papae temporibus extincto, in ejus locum ſucceſ-

ſucceſſit Camerarius; qui, quod pecuniarum Eccleſiaſticarum, quae in Cameris conſervabantur, curam gereret, ita appellatus eſt.

CAMISIA, CAMISUS, CAMIXUS, CAMISILE, CAMISIUM, idem quod Alba. AMALARIUS *l.* 2. *c.* 18. *Poſtea Camiſiam induimus, quam Albam vocamus.* Et ISIDORUS *lib.* 19. *Origin. c.* 27. *Poderis eſt tunica Sacerdotalis linea, corpori adſtricta, uſque ad pedes deſcendens, haec vulgo Camiſia vocatur.* Camiſiae porro nomen a Liturgicis Scriptoribus albae donatum ſenſim deflexit in vernaculam linguam, levi mutatione facta; nam ab *Italis Camice* hodie etiam appellatur: de quo *Octavius* FERRARIUS *in Originibus linguae Italicae.* In teſtamento quoque GUALAE S. R. E. Presbyteri Cardinalis ann. D. MCCXXVII. traditur, is reliquiſſe Eccleſiae *ſancti* PETRI *Majoris de Urbe unum apparatum de ſuis, ſcilicet planetam, dalmaticam, tunicam de zameto rubeo cum camice, amictu, ſtola, & manipulo.* Capſae quoque, & opercula Evangeliorum, & Miſſalium librorum, *Camiſias* interdum ex quadam ſimilitudine appellatas novimus. Sic RICULFUS *Helenenſis* Epiſcopus, ut in ejus Teſtamento ann. DCCCCXV. legitur, reliquit Eccleſiae ſuae *Camiſas ad Textum, & Miſſalem quatuor, unum cum auro purpureum.*

CAMPANA. Si de majoribus loquamur, non ante ſaeculum ſextum earum uſus fuit. Prima Campanae mentio apud MABILLONIUM occurrit in Vita S. COLUMBAE primi Abbatis *Hyenſis* in *Britannia*, qui ann. DXCIX. occubuit. Sequentibus ſaeculis, praeſertim octavo & nono late per omnes Eccleſias Campanarum uſus diffuſus eſt. ANASTASIUS in Vita LEONIS IV. *Fecit in Eccleſia S.* ANDREAE *campanile, & poſuit campanam cum malleo aereo, & cruce exaurata.* Errant qui vel SABINIANO, vel HIERONYMO, vel PAULLINO *Nolano* illarum inventionem tribuunt. Ad *Orientalem* Eccleſiam primum ſaeculo IX. Campanae delatae ſunt, quum URSUS *Venetiarum* Dux duodecim mirificae artis Campanas MICHAELI Imp. dono miſit; hic vero eas in turri ad S. SOPHIAM extructa collocavit. Vide TINTINNABULUM, CLOCCA.

Campana eleemoſynae; *Campana groſſior.* Utriuſque campanae fit mentio in Conſuetudinibus S. GERMANI ex MARTENE. *Poſt lectionem Matutinorum Conventus debet habere duplices Mappas......Poſt Campanam eleemoſynae, debet pulſari groſſior Campana propter Nonam.* Heic *Campanae graſſioris* nomine Campana major deſignatur; nomine autem *Campanae eleemoſynae* intelligi poteſt ſignum pro refectione datum, ſeu pro caritate, vel pro pauperibus ad dandam illis eleemoſynam convocandis. Vide SIGNUM.

De Campanarum benedictione vide ſupra BAPTISMUS CAMPANARUM.

CAMPANULA. In publicis Cleri *Romani* Supplicationibus, in quibus papiliones deferuntur, campanula praeferri ſolet. Vide PAPILIONES.

Pulſatur cum primis campanula, ubi poſt Conſecrationem elevatur Hoſtia, & Calix, *ut ſic mentes fidelium ad Orationes excitentur*, ut ait GUILLELMUS *Pariſienſis* Epiſcopus in Decreto apud BONAM *lib. II. cap.* 13. Exſtat MAYERO teſte *p.* 313. in Theſauro *Claraevallenſi* Calix S. MALACHIAE *Hibernorum* Primatis, ex cujus labio aliquot pendent campanulae, quibus ad Calicis motum ſonantibus adſtantes orare, & Sancta adorare mo-

nerentur-

nerentur. Immo ſaeculo XI. BERENGARIANAE haereſeos occaſione coepiſſe mos videtur, de quo IVO *ep.* 142., ut campana major ad elevationem pulſetur pro excitando ad orationem populo extra Eccleſiam poſito. Vide MALDONATUM *T. III. Biblioth. Ritual. p.* 140. De campanula, quae, dum ad aegrotos Euchariſtia defertur, pulſari conſuevit, vide infra INFIRMORUM COMMUNIO.

CAMPAGUS. Vide COMPAGUS.

CANNADELLA. Vide CALAMUS.

CANALIS, CANALIUM, via publica in civitate *Conſtantinop.*, quae ad Imperiale Palatium ducebat, etiam *graece* κανάλιον appellata. *Quod ita demum compleri poſſet, ſi unuſquiſque noſtrum, qui in canali eſt conſtitutus &c. Concil. Sardicen. Can.* 9., ubi prohibentur Epiſcopi ad ambitioſam aulae frequentationem accedere.

CANCELLARIUS. Is, inquit PANVINIUS, qui *Romanum* Pontificem in chartis Eccleſiaſticis juvabat, & *Orientis, Occidentiſque* Synodicis conſultationibus (ut D. HIERONYMUS in epiſtola ad AGERUCHIAM de *monogamia* tradit) reſpondebat. Quem antiqui Scribam a Libellis, ab epiſtolis, epiſtolarum magiſtrum (noſtro tempore Secretarium vocant) Cancellarius in Eccleſia *Romana* appellabatur. Quam vocem a *Flavio* VOPISCO in CARINI Vita primum uſurpatam fuiſſe obſervavi: *Unum*, inquit, *ex Cancellariis ſuis Urbi praefectum fecit*. Hi quum a ſecretis, & libellis Principum eſſent, ſcribendis quoque ac cuſtodiendis publicis rebus vacabant, & a cancellis, intra quos demandata ſibi munera obeuntes permanebant, appellationem habuere. Quam rem in epiſtolis CASSIODORUS ſubinde explicat. Omnium igitur Scribarum, Notariorum, & Scriniariorum S. R. E. princeps Cancellarius vocabatur: quod munus diu in Eccleſia ampliſſimum fuit, & nonniſi ſummae auctoritatis Presbyteris, & ſaepiſſime Epiſcopis concedi ſolitum. Adi praeter CIAMPINIUM *in lib. de S. R. E. Vicecancellariis* Card. THOMASIUM *T. VII. Oper. Vezzoſ. edit. p.* 28. Vide BIBLIOTHECARIUS.

CANCELLI, repagula quaedam, quae chorum, & altare circumdant, ut Eccleſiaſtici a reliquis ſeparentur. Dicuntur quoque *Balauſtra*. CENCIUS autem *Rigas* vocat. Erant & cancelli ad tumulos Sanctorum. Vide MABILLONIUM *de Liturg. Gallic. p.* 77.

CANDELA, CANDELAE. Ritus accendendi candelas, aliaque lumina in Eccleſiis, ab ipſis Apoſtolorum temporibus initium habuit, & jam apud *Hebraeos* vigebat, quibus in Templo lucernae accenſae erant, & aureum Candelabrum, quod *Mediolano Pragam* adſportatum, & ſupra Sepulcrum S. *Johannis* NEPOMUCENI collocatum legi. Hunc ritum culpabat VIGILANTIUS, dicens: *Prope ritum Gentilium videmus ſub praetextu Religionis introductum in Eccleſias, ſole adhuc fulgente moles cereorum accendi*. VIGILANTIO autem reſpondet S. HIERONYMUS oſtendens, eum ritum univerſalem in Eccleſia fuiſſe, non ad fugandas tenebras (quod VERTUS ex Catholicis, & *Joachimus* HILDEBRANDUS inter heterodoxos in Opere inſcripto: *Sacra publica veteris Eccleſiae in compendium redacta, p.* 21., ſomniarunt), ſed ad laetitiae ſignum demonſtrandum. MICROLOGUS cap. 11. *Juxta* Romanum *Ordinem numquam Miſſam abſque lumine celebramus, non utique*

Digitized by Google

que ad depellendas tenebras, quum ſit clara dies, ſed potius in typum illius luminis, ſine quo & in meridie palpamus, ſicut in nocte. Vide BENEDICTUM XIV. *de ſacroſ. Miſsae Sacrif. lib. I. cap. 3. n. 4.* Neque tamen candelae ſolum accenduntur in Miſsa; ſed & in aliis Eccleſiae functionibus juxta earum varietatem, ita ut, quae in una accendi ſolent, in alia interdicantur. Sic v. g. in Eccleſia *Romana* ejus ritus utentibus Feria ſexta in Paraſceve ad Paſſionis cantum non adhibentur lumina, quae tamen in *Ambroſiana* jubentur accendi. Candelas *illuminare* eſt illas accendere. In DUNSTANI *Concordia* legitur: *Candela, quae more ſerpentis infixa eſt, ab illo accendatur. Dehinc Cereus ex illo illuminetur igne..... Cuſtos accipiat candelam ſuam illuminatam in cannam....., ita ut ſummitas candelae, quae illuminatur &c.* Contra *candelas tutare* eſt illas extingnere. Vetus Ordinarium *Caſſinenſe* apud MARTENE *de ant. Monach. ritib. lib. III. cap. 13. Initio primi pſalmi ſit cuſtos paratus....... & ubi audierit Antiphonam, tenens cannam in manu ſua tutat lampadam unam: in fine vero pſalmi tutat aliam..... & ſic ex una parte una, alia ex alia tutatur.*

In die Purificationis B. V. benedicuntur candelae; cujus benedictionis ordo extat non ſolum in Ordine *Romano* HITTORPII, & in veteri Miſsali Monaſtico-Lateranenſi, quod Cl. ANTONELLIUS illuſtravit, ſed etiam in Miſsali *Mozarabum*. Ceterum in vulgato ALCUINO, in AMALARIO, & *Walafrido* STRABONE nulla eſt mentio benedictionis candelarum, de qua etiam ſilent Sacramentaria *Gelaſianum*, & *Gregorianum*: de Cereis tamen mentionem facit in feſto Purificationis a Pontifice diſtributis ALCUINUS *de Eccl. off. cap. 7.*, & de cereis accenſis, quos in ὑπαπαντῃ, *quod eſt Praeſentatio Domini, accenſos manibus portamus*, AMALARIUS *de Eccl. offic. lib. 4. cap. 34.*

CANDELABRA, in quibus candelae accenſae ponuntur, ex aere, argento, auro antiquiſſimo ritu in Eccleſia ſemper fuerunt. Ea ſaepius ANASTASIUS memorat. CAROLUS M. obtulit Monaſterio *Carroſenſi Candelabra quatuor ex auro.* In deſcriptione theſauri monaſterii *Centulenſis* ann. D. DCCCXXXI. adnotantur *candelabra ferrea ex argento & auro parata, majora quindecim, minora ſeptem.* S. ANSEGISUS contulit *Fontanellenſi Monaſterio candelabra argentea tria habentia ſolidos nonaginta; ideſt unumquodque triginta.* Vide CANGIUM. Amboni, qui in vetuſtiſſima *Romana* S. CLEMENTIS Baſilica etiamnum extat ad Evangelium canendum, Candelabrum adhaeret lapideum operis teſſelati.

CANDELARIA, Feſtum Purificationis B. Virginis. GERSON *de direct. cordis, conſid. 21.*

CANERE ANTIPHONATIM. Vide ſupra ANTIPHONATIM CANERE.

CANISTRA, vaſa pro Eulogiis diſtribuendis. Indiculus JOHANNIS Epiſc. vel EPIPHANII Presbyteri *Theſſalonicenſis*, quem circa A. D. DXX. miſit de *Theſſalonicenſium* criminibus: *Si haeretici non ſunt*, inquit, *quomodo tanta Sacramenta confecerunt, ut caniſtra plena omnibus erogarent, ne imminente (ſicut dicebant) perſequutione, communicare non poſſent?* In Eccleſia vero Romana fuere *caniſtra* ad alios uſus, & ad ornatum Baſilicarum. GREGORIUS II. A. D. DCCXVII. Eccleſiae B. AGATHAE Martyris *caniſtra decem penſ-*

 ſing.

ſing. lib. duodecim, & alia dona multa largitus eſt. HADRIANUS I. *ante januas argenteas Baſilicae* B. PETRI *fecit caniſtros argenteos duodecim penſ. lib. triginta ſex.* Erant autem hujuſmodi *caniſtra*, ſeu *caniſtri*, CANGIO interprete, diſci lampadibus ſubſtrati, ſeu verius Lampadaria inſtar caniſtri. Ex his alia *Enaſoti*, ſive Ennaſodia, Ennafotia, novem luminum, ab Ἐννέα novem, & φῶς lumen (ANAST. in PASCHALI *T. II. p.* 334.); alia etiam *Excedecafotia*, ſeu potius Exedecafotia ſexdecim luminum (*ibid.* in LEONE III. *p.* 243.).

CANNA. Inter ſacra vaſa, quae circa A. D. DCCC. in Eccleſiis Coenobii *Centulenſis* adſervabantur, ab HARIULFO enumeratur *canna argentea una, eburnea una*, fiſtula ad hauriendum ſanguinem. Vide CALAMUS.

CANOLA, CANOLUM, CANNOLUM, brevis canna, in modum arundinis elaborata ex auro, argento, vel alio metallo, in quo includebantur illae Reliquiae, quas Summus Pontifex dono dabat principibus perſonis. *Sed cum ejus famam lucidiſſimam, vitamque ſanctiſſimam veram reperiſſet, eum in tantum honoravit, ut & Canolam Sancti* PETRI *Apoſtolorum Principis in ſignum amoris praecipui tribuere dignaretur.* In Vita S. CHRISOLOI Mart. Hac in Canola in modum clavis facta, limatura vinculorum S. PETRI incluſa debebat neceſſario eſſe juxta temporum illorum uſum. Haec autem *Canola* vocabatur *Benedictio Sancti* PETRI, cujus frequens mentio in S. GREGORII epiſtolis. *Canulum* quoque genere neutro reponitur in nonnullis Vaticani Scripturis, in quibus ſermo habetur de donariis a Summis Pontificibus factis; & de NICOLAO III. ſic ſcribit: *Canolum argenteum ad obſervandum Corpus Chriſti a Summo Pontifice:* quo nomine GEORGIUS fiſtulam intelligit ad hauriendum Chriſti ſanguinem.

CANON, quem GREG. M. *ep. 64. lib. 7. Precem, alii Actionem vocant*, incipit ab oratione: *Te igitur*, uſque ad orationem Dominicam, quae abſoluto Canone alta voce recitatur. Hunc, ut ait VIGILIUS in epiſt. ad PROFUTUR. *Bracear., ex apoſtolica traditione ſuſcepimus;* quamvis *Romani* Pontifices ad GREGORIUM M. paucula quaedam illi ſubinde adjunxerint, immo & oratio intra illum addita fuerit a *Scholaſtico* quodam compoſita, ut idem GREGORIUS innuit cit. *lib. 7. ep. 64.* Orationem tamen: *Hanc igitur oblationem*, pro ſolemnitatum varietate diverſimode interpolatam fuiſſe oſtendit BONA *lib. II. cap. 12. §. 4.* Canon porro in Concilio *Eboracenſi* ſub CAELESTINO III. *Secretum Miſſae nuncupatur: quia ſecretum Miſſae frequenter invenitur, aut Scriptorum falſitate, aut Librorum vetuſtate corruptum ita ut &c.* Canon quoque appellatur pſalmorum in Choro dicendorum numerus, ſeu Regula. *Exin venerabilis Patrum Senatus intelligens Angeli magiſterio Congregationibus Fratrum generalem Canonem non ſine diſpenſatione Domini conſtitutum, decrevit hunc numerum tam in Veſpertinis, quam in Nocturnis conventiculis cuſtodiri.* CASSIANUS. *Canones* quoque dicuntur Decreta illa, quae in Conciliis fiunt, ſive ea ſpectent ad fidem, ſive ad mores, vel ad diſciplinam: agendorum enim, ſeu fugiendorum ſunt regula.

CANONIA, Praebenda Canonicalis, ſeu Beneficium Canonicale. *Dominus Papa veſtro interventu privilegium ſuum Eccleſiae noſtrae indulſit, in quo ſpecia-*

ſpecialiter expreſſit Canonias. PETRUS *Cellen. lib. 8. ep. 15.*

CANONARCHA, ille apud veteres Monachos dicebatur, cui cura incumbebat alios ad opus Dei convocandi. *Cum quadam nocte ſurrexiſſem, ut pulſarem ſignum, ea quippe cura mihi, ut canonarchae injuncta fuerat, ut excitarem fratres ad collectam*. MOSCHUS *in vit. PP. lib. 10. cap. 50.*

CANONICAE litterae, ut ſcribit ATTICUS poſt Concilium *Chalcedonenſe*, aedem ſunt, quae *Communicatoriae*, vel *Formatae*.

CANONIZATIO, inſcriptio eſt alicujus Canoni, ſeu Catalogo Sanctorum. Potuere olim Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi ſua in Provincia, aut Dioeceſi Beatificationes jure ſuo peragere; ſed ſine aut expreſſo, aut ſaltem tacito Romani Pontificis aſſenſu Eccleſiaſticum de piorum hominum virtutibus, miraculiſque judicium, canonizatio dici non poterat. Atque ab antiquiſſimis certe temporibus ſaepe in ejuſmodi cauſſis Summorum Pontificum intervenit auctoritas, ut ſelectis exemplis oſtendit eruditiſſimus LAMBERTINIUS *lib. I. cap. 7. & 8.* Edita deinde ab ALEXANDRO III. Decretali *Audivimus* ad ARNULPHUM Epiſcopum *Lexovienſem*, jus ſaltem canonizandi ſoli Romano Pontifici reſervatum fuit ex iis ſane graviſſimis rationibus, quas idem LAMBERT. *ibid. cap. 11.* congerit, & illuſtrat. Dixi autem *jus ſaltem canonizandi*: THOMAS enim WALDENSIS etiam poſt ALEXANDRI Decretalem facultatem indulgendi in Dioeceſi Beatificationis honores Epiſcopis adjudicavit, illique ſuffragantur exempla nonnulla apud eumdem LAMBERT. *ibid. c. 10.* Quod ipſum tamen jus poſtea ſoli Romanae Sedi URBANUS VIII. reſervavit.

Hinc in antiqua Eccleſia ad ALEXANDRUM III. inter Beatificationem, & Canonizationem hoc intererat, quod illa in Epiſcopi praecepto ſita erat de cultu ad propriam Dioeceſim coarctato; haec in ejuſdem cultus extenſione ad univerſam Eccleſiam, accedente, ut ſupra dixi, tacito, aut expreſſo Romani Pontificis aſſenſu. Ex quo vero etiam jus Beatificandi ad ſolos tranſiit Summos Pontifices, difficilius ſtatui poſſe videtur inter Beatificationem, & Canonizationem diſcrimen; magnum tamen eſt. Beatificatio enim regulariter eſt cultus permiſſio, & ſi quando praeceptus, limitatus tamen, & directus ad futuram definitivam ſententiam; item cultus Beatorum regulariter reſtrictus eſt ad determinatum locum, vel ſi ad univerſam extenſus Eccleſiam, mere tamen permiſſive: Canonizatio contra eſt ultimo definitiva Summi Pontificis ſententia, qua cultus in univerſa Eccleſia praecipitur.

Porro, quemadmodum de Beatificatione diximus, duplex eſt Canonizatio, aequipollens altera, altera formalis. Aequipollens dicitur ea, per quam Pontifex omiſſis judicialibus proceſſibus, caeteriſque conſuetis caeremoniis, omiſſa quoque formali definitiva ſententia, jubet, aliquem Dei Servum, qui in antiqua cultus poſſeſſione eſt, & de cujus heroicis virtutibus, aut martyrio, & miraculis conſtans eſt gravium hiſtoricorum aſſertio, accedente etiam continuata miraculorum fama, jubet, inquam, illum in univerſa Eccleſia per officii, & Miſſae celebrationem coli. Ita Canonizati ſunt Sancti ROMUALDUS, NORBERTUS, BRUNO, aliique, de quibus confer LAMBERTINIUM *l. c. cap. 41.* Formalis eſt Romani Pontificis ultimo defini-

definitiva ſententia; qua poſt feriem Actorum, quae ab Apoſtolica Sede in re tam gravi praeſcripta ſunt, aliquis jam Beatorum Catalogo inſcriptus in Sanctorum numerum refertur.

Canonizationum, quas in Urbe apud Vaticanam Baſilicam celebrari antiqua fert conſuetudo a BENEDICTO XIV. ſua Conſtitutione firmata, magna ſolemnitas eſt, quam late deſcriptam habes ab eodem BENEDICTO XIV. ſeu LAMBERTINIO *lib. I. cap. 36.*

CANONIZO, vox barbara, qua quempiam in ordinem, albumve Sanctorum redigi indicamus. Bullas Canonizationum, quas *Romani* Pontifices hactenus ediderunt, collegit, vulgavitque *Juſtus* FONTANINIUS.

CANTARE *Miſſam*, ideſt legere occurrit in S. WILHELMI Conſtitutionibus Hirſaugienſibus *lib. I. cap. 86.* cujus hic titulus: *De privata Miſſa, quomodo ſit cantanda, ideſt legenda.*

CANTARIA, *eſt*, inquit *Guillielmus* SOMNERUS *in ſuo Gloſſario, aedes ſacra, ideo inſtituta, & dotata praediis, ut Miſſa ibidem cantaretur pro anima fundatoris, & propinquorum ejus.* Occurrit haec vox in edicto ann. 1391. RICHARDI II. *Angliae* Regis.

CANTATORIUM, idem, quod Antiphonarium, & Gradale, ut diſcimus ex AMALARII prologo de ordine Antiphonarii: *Notandum eſt*, inquit, *volumen, quod nos vocamus* Antiphonarium, *tria habere nomina apud* Romanos: *quod dicimus* Gradale, *illi vocant* Cantatorium: *qui adhuc juxta morem antiquum apud illos in aliquibus Eccleſiis in uno volumine continetur: ſequentem partem dividunt in duobus voluminibus: pars quae continet Reſponſorios, vocatur* Reſponſoriale, *& pars, quae continet Antiphonas, vocatur* Antiphonarius. Exſtat enimvero de *Cantatorio* luculentum Ordinis *Romani* I. teſtimonium: *Poſtquam* (Subdiaconus) *legerit, Cantor cum* Cantatorio *aſcendit, & dicit* Reſponſum.

CANTHARUS varia ſignificat. Primo enim diſci, vaſis, & lucernae genus eſt, in qua thus, aut oleum infundebatur, & ſaepe in Eccleſiis ſuſpendebatur. Idcirco offendimus in charta *Cornutiana* A. D. CCCCLXXI. inter ſacra donaria cantharum *argenteum cum catenis, & delphinis XVIII., & cantharos aereos majores ſex, minores XII. & lilia aerea II. & ſtantaria aerea XIII.* Habes autem de *cantharis & pharis aureis, argenteis, & aereis* exempla frequentiſſima apud ANASTASIUM, a BULENGERO, & a CANGIO congeſta. Eſt & alia *Canthari* ſignificatio veteribus Chriſtianis Scriptoribus familiaris, nempe ad receptacula aquarum in Templorum veſtibulis lotioni manuum deſtinata deſignanda. PAULLINUS ep. ad SEVER.

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, *intrantumque manus lavat amne miniſtro:*

Cantharum item vocat fontem in atrio Baſilicae Vaticanae ad ALETHIUM A. D. CCCXCVII. ſcribens ep. XXXIII. *Quave*, inquit, *praetento nitens atrio, fuſa veſtibulo eſt, ubi* Cantharum *miniſtra manibus, & oribus noſtris fluenta ructantem, faſtigiatus ſolido aere tholus ornat, & inumbrat, non ſine myſtica ſpecie quatuor columnis ſalientes aquas ambiens.* Elegans eſt etiam vetus epigramma de fonte cum cantharo a S. LEONE M. ad Baſilicam *Oſtienſem* S. PAULLI extructo. Habes illud in Notis SIRMONDI ad Epigrammata

Digitized by Google

mata ENNODII, & apud Emin. BONAM, qui de his fuſe diſceptat. Hujuſmodi fontes deſcribuntur iterum a S. PAULLINO in Natalibus S. FELICIS *Nolani*, ubi eos adpoſite *concham* vocat, quod nimirum vas aquis capiendis aptum, inſtar conchae fabrefactum eſſet. ANASTASIUS hoſce fontes modo *Cantharum*, modo *Nymphaeum* appellat. Plura vide apud ROSWEIDUM in Not. ad PAULLINUM *p.* 813. *ſeqq.* Phialas autem *Graeci* vocant; qua de re CANGIUS in deſcriptione Sanctae SOPHIAE.

CANTICA antiquitate temporis Pſalmos omnes anteceIlunt. Nam MOSES ante omnem Pſalmorum uſum primus omnium cecinisse Canticum narratur. Eccleſia autem e Veteri Teſtamento ſeptem accepit cantica, quae ſeptem Hebdomadae diebus pro Matutinis Laudibus adſignavit; e Novo, nempe ex Evangelio, unde in Regula S. BENEDICTI *Canticum de Evangelio*, tria dumtaxat, *Benedictus Dominus Deus Iſrael* ad Laudes, *Magnificat* ad Veſperas, *Nunc dimittis* ad Completorium.

CANTICUM *Archiepiſcopi*, vel *Sacerdotis* dignioris in Liturgia *Ambroſiana*, vocatur Reſponſorium illud, incipiens: *Tenebrae factae ſunt &c.* quod cantatur poſt ſecundam lectionem ante Paſſionem feria ſexta in Paraſceve.

CANTIONES. Acclamationes ſunt in oſtenſione, ſeu elevatione Euchariſtiae a populo pluribus in locis uſitatae. Verba apud Graecos ſolemnia haec erant: *Unus Sanctus Deus, Sanctus Dominus cum Patre, & Sancto Spiritu in ſempiterna ſaecula Amen.* Id MALDONATUS ſcite colligit *Bibl. Ritual. T. III. p.* 139. ex DAMASCENI epiſtola *de Triſagio*, confirmantque BASILII, & GREGORII Liturgiae, in quibus haec eadem ad hoſtiae elevationem acclamare jubetur. In *Gallia* ex more, quem LUDOVICUS XII. a ſui Regni Epiſcopis induci poſtulavit ad Dei opem in bellis, quibus premebatur, implorandam, mos eſt populo canere: *O ſalutaris Hoſtia &c.* Alibi aliae cantiones in hoſtiae elevatione canebantur. More ROMANO tacite adoratur Hoſtia; quem morem Provinciale Concilium COLONIENSE a. MDXXXXVI. *p. II. can.* 14. ſervandum praeſcripſit, permittens tamen, ut *cantiones illae contra mortalitatem, ſeu cladem, aut pro pace poſt finitam Miſſam cantarentur.*

CANTOR. Ex cantu alterno in Eccleſia recepto conſequebatur, Cantores ad eum dirigendum eſſe inſtituendos: quod praeſtitere *Laodicenum* Concilium *Can.* 15., & *Carthaginenſe* IV., Cantoribus, qui *Pſalmiſtae* etiam, atque *Confeſſores* dicebantur, quartum locum inter ordines minores adſcribentia. Subinde quum populus Cleri vocibus ſuas conjungere ſolitus, ſaepe vocum inaequalitate, atque cantus ignoratione confuſionem pareret, cantu in Concilio *Laodiceno* Can. 15. interdictus eſt; ſolique Cantores id muneris ſibi adſumpſerunt. Nonnumquam tamen Presbyteris, & Diaconis demandatum fuit: verum Sanctus GREGORIUS vetuit, eos in poſterum Cantorum officio vacare, qui ſoli Antiphonas, & Reſponſoria canebant, ceteris omnibus horum cantum audientibus. Apud *Graecos* Cantores eodem, quo Lectores ritu ordinantur; nec tamen diverſum a Lectore ordinem Cantor conſtituit, niſi quod ille recitat, hic concinit; unde illi in ordinatione liber Apoſtolicus, huic Pſalterium praebetur. *Maronitis* vero diverſa eſt Le-

ctoris

ctoris, & Cantoris ordinatio; eſtque apud illos Cantoratus gradus ad Lectoratum. Apud *Latinos* nomen officii ſemper fuit, non ordinis, ut recte tradit DURANDUS *Ration. lib.* 2. *cap.* 2. Quare *Martinus* BRACCARENSIS in ſua Collectione Canonum *cap.* 45. ſtatuerat, *ut non liceret in pulpito pſallere, aut legere, niſi qui ab Epiſcopo Lector eſſet ordinatus.* Vide Schola Cantorum.

CANTULLA, MACRIO, & VIGNOLIO eſt thuris navicula; ſed nulla id fulcitur auctoritate. Forte in libro Pontificali, ubi *Cantulla* occurrit in LEONE IV. & in STEPHANO V., legendum *Cannula*, ut CANGIUS ſuſpicatur.

CANTUS Eccleſiaſticus a primis Eccleſiae temporibus in divinis perſolvendis officiis obtinuit. Ac primum quidem totus ſimul Chorus communiter canebat, uno veluti ore, unoque concentu: quod innuit CHRYSOSTOMUS *hom.* 36. in primam *ad Cor.* Hunc vero Cantum *directum*, vel *directaneum* vocabant. Vide Psalmos directos. Alter deinde canendi modus invectus eſt, qui *Antiphonus* dicitur, quum ſcilicet Chorus veluti in duas claſſes diviſus alternis canit. Vide Antiphonus cantus. Duo praeterea canendi modi ſunt, alter quidem, quum unus Cantor praecinit, Choruſque totus illi reſpondendo ſuccinit, iſque cantus *Reſponſorius* appellatur; alter vero, quem *Tractum* antiqui nominarunt, quum unus ſolus canit, nullo ſuccinente, vel reſpondente.

CAPISTERIUM. In *Reſponſoriali, & Antiphonario* Romanae *Eccleſiae*, quod THOMASIUS edidit *T. IV. p.* 160., haec de S. BENEDICTO leguntur: *Preces fudit ad Dominum, & revinxit Capiſterium*, vas ſcilicet, quo priſci ruricolae frumenta olim purgabant, fortaſſis ex argilla cocta compactum. Vide S. GREGORIUM M. *Dialog. lib. II. cap.* 1., CANGIUM, alioſque ab eo indicatos Scriptores.

CAPITAL, amictus ſic dictus, quod capiti imponatur.

CAPITELLUM. Lectio brevis ex veteri, ſive novo Teſtamento, quae ſingulis horis Canonicis poſt decantatos Pſalmos recitatur. *Ad cujus tumulum Beatus* MAXIMUS, *cum ad orationem veniſſet, poſt effuſas preces, dicto etiam Capitello &c.* S. GREGORIUS *Turon. de Vitis SS. cap.* 4. Vide Capitulum.

CAPITERGIUM, linteum, quo caput Epiſcopi ligatur, dum in conſecratione oleo ſacro inungitur. Ita MACER; ſed de cujus interpretationis veritate ut dubitem, facit ipſum nomen, quod non a ligando, ſed a tergendo derivatur.

CAPITILAVIUM, Dominica Palmarum a *Gotho-Hiſpanis* vocabatur; *quia moris erat capita Infantium, qui ungendi ſunt, lavandi, ne forte obſervatione Quadrageſimae ſordidata, ad unctionem accederent*, inquit S. ISIDORUS *Off. l.* 1. *c.* 27., & hinc vides Poenitentes, quorum e numero erant Catechumeni, a balneo abſtinuiſſe.

CAPITIUM, pilei genus erat ad tegendum caput, qui uſus quum deſierit, ſuper humeros defertur. Vide etiam Capsum.

CAPITULARE, Evangeliorum indiculus (*Breviarium* interdum in Mſſ. Codicibus dicitur) in quo ſcilicet pro ſingulis anni diebus exordia, & ver-

ba ex-

Digitized by Google

ba extrema Evangelii eo die ad Miſſam recitandi deſignabantur. Raro quidem ab ipſo textu haec Capitularia ſejungebantur, quo facilius & promptius diei cujuſque Evangelia invenirentur. Codici Evangeliorum *Palatino-Vaticano n. 50.* pervetuſto ad calcem Capitulare adjectum eſt, litteris quidem auro ſcriptis, ſed minutioribus, quum litterae textus litteris quadratis, & aureis ſcriptae ſint. Exordium eſt hujuſmodi: *Incipit Capitulare Evangeliorum anni circuli.* Nonnumquam tamen Capitularia Evangeliorum ab ipſo Evangelii textu ſejuncta reperiuntur; cujuſmodi BALUZIUS ſe vetuſtiſſima ſex exemplaria vidiſſe perhibet *in Not. ad lib. Capitul. T. II. p.* 1156. Pariſ. edit. Apud *Graecos* Capitulare Evangeliorum dicitur Evangeliſtarium. Erat & Capitulare Epiſtolarum. Vide *Comitis liber*, & Bibliothecam noſtram Ritualem, ubi tria quoque ejuſmodi Capitularia protulimus, *T. I. p. 37. & 39.*

CAPITULATA, vaſis genus: *Capitulatam, & lucernam argenteam.* D. AUG. *epiſt.* 165. BARONIUS tamen in Notis ad *Martyrol.* & in *Annal. an.* 58. *n.* 75. fuiſſe Lucernarium, ſeu candelabrum multorum Capitum cenſet. Vide Butto.

CAPITULUM, brevis illa lectio e divinis libris deprompta, quae in ſingulis officiis recitatur; dicta autem *Capitulum* eſt, quia lectiones illae ut plurimum brevia capita ſunt Epiſtolarum, quae in Miſſa leguntur. Saepe in Feſtorum officio idem eſt Capitulum ad duas Veſperas, ad Laudes, & ad Tertiam, uti ex officio *Romano*, cui mos iſte peculiaris eſt, ſatis conſtat. Secus autem in Monaſticis Breviariis, pluriumque aliarum Eccleſiarum, in quibus ea Capitula ſingulis Horis mutantur; quod quidem diſcrimen inde repetitur, quod *Romae* feſtis diebus nihil aliud pro Capitulo adhiberi ſoleat, quam Miſſae epiſtola, quae ſaepe Capitula pro omnibus illis Horis ſuppeditare non poteſt. Capitulum vero Tertiae in Feſtis idem plerumque eſt, quod Capitulum Laudum & Veſperarum; quia Veſperae, Laudes, & Tertia ſunt Horae nobiliores. Ad Tertiam enim celebratur Miſſa de Feſto ſolemnis, & per Tertiam fit ad Miſſam aditus. Verum tempore Adventus, & Quadrageſimae, necnon Feriali, atque Dominicae officio propria ſingulis Horis habentur Capitula. Ad Canonem Miſſae, non, ut BURIUS putavit, ad Horas Canonicas ſpectat, quod VIGILIUS ad PROFUTURUM *Bracarenſem* ſcripſit: *Quoties vero Paſchalis, Pentecoſtes, Epiphaniae, Sanctorumque Dei fuerit agenda feſtivitas, ſingula Capitula diebus apta ſubjicimus, quibus commemorationem Sanctae Solemnitatis, aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus.* Ubi Capitulorum nomine VIGILIUS peculiaria quaedam commata, quae *infra actionem* illis diebus addebantur, denotavit.

CAPITULUM poſt Primam officium eſt, quod dicta Prima in Capitulo perſolvebatur. Hoc autem Capitulum locus erat clauſtro contiguus; atque plerumque ad ejus *orientalem* plagam: ad *Orientalem*, ait *Petrus* BLESENSIS *ſerm.* 25. *in Capitulo correctio Matutinalis: ſubeuntibus ex adverſo Crux obvia erat, quam venerabantur: Converſi ad orientem ſalutent Crucem.* Teſtatur LANFRANCUS *cap.* 1. ad ſignum Campanulae, quae per ſpatium recitationis Pſalmi *Miſerere* pulſabatur, Monachos, ut ad Capitulum veni-

rent, admonitos fuiſſe. Quid ibi ageretur; docet CHRODOGANDUS: *Prima expleta veniant ad Capitulum, in eo aliquod Capitulum* (Regulae, unde illi loco Capituli nomen) *relegant, poſt lectionem recitetur aetas, menſis, & Lunae, & nomina Sanctorum, quorum Feſta craſtinus recipiet dies, & poſtea dicant* Pretioſa in conſpectu .... *quem ſequetur oratio a Priore ita*: „ Ipſi omnes „ Sancti intercedant pro nobis peccatoribus ad Dominum: ut mereamur „ poſſidere vitam aeternam. „ Legebatur quoque in Capitulo Necrologium, eorum videlicet nomina, qui ex hac vita migraverant, ducto initio ab inſignioribus viris, quos ſequebantur Epiſcopi, de Eccleſia bene meriti, amici, aliique nominatim appellari, quorum merita in Eccleſiam enarrabantur, precibuſque ſublevabantur animae. *Liceat nobis*, ajunt Monachi *Fuldenſes* in ſupplici libello CAROLO Magno oblato, *orationum, Pſalmodiae, & vigiliarum modum tenere, quem Patres noſtri habuerunt pro amicis noſtris viventibus, & defunctis, ideſt quotidianam precem pro te, Domine Auguſte, & pro liberis tuis, & pro omni populo Chriſtiano fundere, quando mane in unum convenimus, & Capitulum de Regula coram Fratribus legitur*. Demum plura alia in Capitulo peragebantur: precum recitatio, quae incipiebat a verſu *Deus in adjutorium* ter repetito, atque in Orationem *dirigere* deſinebat: operis ſingulis Monachis diſtributio: nam juxta regulam S. PACHOMII Capitulum habebatur ad operis juſſa accipienda, initiumque ab oratione fiebat. *Sit ſplendor Domini ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige*. Ibi etiam ſuorum peccatorum palam ſe accuſabant Monachi juxta veterem morem, quem apud S. BASILIUM *ſerm. 5. de Inſtit. Monach.* legimus. *Completo die, & abſoluto opere convenit, ut unuſquiſque ante requiem, conſcientiam in corde judicet, & ſi quid fecerit, quod non oportet, vel cogitaverit, vel loquutus fuerit extra id, quod decet, vel .... non abſcondat delictum, ſed in communi annuntiet, ut per communem orationem ſanetur morbus illius, cui tale malum contigerit*. Atque inde profecta eſt formula: *Confiteor Deo, & tibi, Pater, & vobis, Fratres*.

CAPPA nunc ſumitur pro cuculla Monachali; quo ſenſu GAUFRIDUS Abbas in vita S. PETRI *Tarantaſien. c. 27. tolle*, inquit, *tibi cappam hanc manicatam:* ſaepe pro indumento, quo in choro utuntur Epiſcopi, & Canonici. Significat etiam, quod ſaeculo X. appellari cœpit *pluviale*. Denique pro purpureis veſtibus, quibus olim ſimul ac quis in Rom. Pontific. electus erat, induebatur. S. *Petrus* DAMIANI *lib. 1. ep.* 20. ad CADOLAUM Antipapam: *habes juxta morem Rom. Pontific. rubeam cappam. Pluviale rubeum* vocat CENCIUS in *Caeremon.* & *chlamydem coccineam* PANDULPHUS *Piſanus* in vita PASCHALIS II. Alii *mantum* dicunt.

CAPPELLA fuit apud antiquos pia domus itineraria ex caprarum pellibus fabricata, & a pellibus his Capellas vocabant. Vide *Johannem Jacobum* CHIFFLETIUM in *Lilio Francico cap.* 13. & filium ejus JULIUM in *Aula ſacra cap.* 1. Capella etiam ponitur pro ornamentis Miſſae celebrandae neceſſariis, ut habetur in Vita S. NORBERTI *cap. 15.: quod in exequutione praedicandi neque peram, neque calceamenta, neque duas tunicas portaret, niſi Virgam, & Capellam ad Miſſam celebrandam*. Tandem oratorium ſignificat ſeu parvam Eccleſiam, vel quod veteres *Cubiculum* appellabant,

Digitized by Google

bant, & nunc Sacellum dicimus. HINCMARUS *Rhemenſis* in Capitulis editis anno XII. ſui Epiſcopatus ſic ſancivit. *Si neceſſitas popoſcerit, donec Eccleſiae, vel Altaria conſecrentur, & in cappellis etiam, quae conſecrationem non merentur.......* Adi BARONIUM in Notis *ad Martyr. die XI. Jun.*

CAPPELLANI. Haec vox non a Capellis, ſed a S. MARTINI Cappa, quam Reges *Galliae* in exercitu portare ſolebant, originem habuit. Sacerdotes enim, qui hanc ſervabant, *dicti ſunt primitus Cappellani a Cappa B.* MARTINI, *quam Reges* Francorum *ob adjutorium victoriae in praeliis ſolebant ſecum habere; quam ferentes, & cuſtodientes cum ceteris Sanctorum Reliquiis Clerici Cappellani coeperunt vocari.* VALAFRID. *de reb. Eccleſ.* c. 31. & HONORIVS *in ſermone* S. MARTINI: *Cuſtodes illius Cappae uſque hodie Cappellani vocantur.* Cappellani quoque ii olim fuere, qui *Cubicularii*, ſeu *Martirarii*. Hic porro titulus ampliorem nunc habet ſignificationem; adcipitur enim pro Sacerdote, cui incumbit onus in certa Eccleſia, vel Altari celebrandi. De Cappellanis *Romani* Pontificis, ex quibus XII. ſaeculo BATO Apoſtolicis diplomatibus dandis praepoſitus fuit, conſule GEORGIUM *Tom. II. diſſ. I. cap.* 4.

CAPSAE, arculae, in quibus Reliquiae. LEO IV. in admonit. de curâ Paſtorali: *ſuper altare nihil ponatur, niſi capſa, & reliquiae aut forte quatuor Evangelia:* quod etiam RATHERIUS Veron. Epiſc. repetit in ſynodica oratione. Erant & capſae (aliis *capſulae*) Evangeliorum, in quibus ſcilicet ſacer Evangeliorum Codex condebatur. Hoc ſenſu intelliges quae in geſtis Regum Francorum cap. XXIII. & apud ADONEM in chronico de CHILDEBERTO *Francorum* Rege leguntur, eum ex *Hiſpaniis* evexiſſe viginti *capſas Evangeliorum* ex auro puriſſimo, gemmario opere caelatas. De theſauro quoque S. RICHARII A. D. DCCCXXXI. refert HARIULFUS in Chronico Centulenſi. In eo theſauro adſervabatur *Evangelium auro ſcriptum unum cum capſa argentea, gemmis, & lapidibus fabricata. Aliae capſae Evangeliorum duae, ex auro, & argento paratae, faldone* (ideſt operculi ſpecie) *addito ex argento fabricato ad opus ipſarum.* Erat quoque *capſa* vas, in quo Calix, atque patena cum Euchariſtia adſervabatur. Extat ea de re perobſcurus ARAUSICANI I. Concilii Canon XVII., de quo conſule eruditiſſimos Viros MABILLONIUM *de Liturg. Gallic. p.* 47. & VEZZOSIUM *Tom.* IV. *Thomas. oper. p.* (*LVI.*) Praeterea Capſa cappam ſignificat apud GREGORIUM *Turon. in lib. de Vitis Patrum cap.* 8. ut idem MABILLONIUS docet *pag.* 62. *Capſa* tandem *cum incenſo* occurrit in ordine Rom. XI. *p.* 126. nempe arcula, in qua thus deferri conſuevit.

CAPSELA, Tabernaculum, ſeu ciborium, in quo Sanctiſſimum Chriſti corpus adſervatur. Ordinarium *Rursfeldenſe* apud MARTENIUM. *Abbas.... ..... adſcendit ad locum, in quo reconditum adſervatur hoc Venerabile Sacramentum, ac praemiſſa venia monſtrantiam extrahebat de capſella.* Et infra: *Data benedictione cum Sacramento, ipſum includat intra capſellam ſuam.*

CAPSUM. GREGOR. *Turon. hyſt. lib II. cap.* 12. *Feneſtras in altario triginta duas, in capſo viginti; columnas quadraginta unam: in toto aedificio feneſtras quinquaginta duas, columnas centum viginti: oſtia octo, tria in altario, quinque in capſo.* Hoc loco GREGORIUS totam Eccleſiam dividit in par-

Digitized by Google

tes duas; quarum una dicitur *altarium*, altera *capſum*. Quid ſit *capſum*; non promptum eſt definire. Hac voce navim, (quam vocamus) Eccleſiae, vel capur ſeu abſidam cum choro adjuncto deſignari conſtat. *At quo minut id de abſida interpreter*, inquit MABILLON. de *Liturg. Gallic. lib. I. cap. 8.*, *illud facit, quod oſtia quinque capſo adſignentur. Quod non abſidae, ſed navi convenire poteſt.* Sic dicitur *capſa navis* in Actis Martyrum *Africanorum* apud BARONIUM ad annum CCCII. num. 123. ad deſignandam imam verae navis partem. Poſtea tamen *capſum* etiam, & *capitium* appellata eſt illa Eccleſiae pars, in qua altare locatum, *Presbyterium* vulgo appellata, ut CANGIUS obſervat.

CAPTIVORUM Litterae nominantur in Concilio *Lugdonenſi II. Cap. II.* quae ab Epiſcopis dabantur pro lapſis. Fit earum mentio in Conciliis *Eliberitano*, & *Arelatenſi Primo*.

CAPUT *jejunii* nuncuparunt veteres quatuor dies hebdomadae Quadrageſimam praecedentis, quibus jejunabatur, ut ad ineundam Quadrageſimam, quae a feria II. poſt Dominicam primam rantummodo inchoabatur, Chriſtiani ſe veluti compararent. Quare *feria IV. in capite jejunii* perperam a minus peritis adcipitur tamquam *Feria IV. in Capite Quadrageſimae*. Haec enim duo maxime inter ſe ſe diſcrepant. Vide THOMASIUM in ſententia *circa inſtitutionem Feriae IV. in capite jejunii*, quam GREGORIO M. antiquiorem oſtendit Sacramentarium *Gelaſianum*, ubi ea Feria inſcribitur: *In jejunio prima ſtatio: Feria* IV. V. QUADRAGESIMA.

CAPUT *Proceſſionis*: Initium Proceſſionis, ſeu illi, a quibus Proceſſio inchoatur: *Praecedant ad caput proceſſionis Miniſtri cum Cruce, abſconſa, thuribulo, & aqua benedicta. Lib. uſuum Ciſtercien.*

CARDINALES. Is Cardinalis dicitur Presbyter, vel Diaconus, qui certae alicui Eccleſiae, vel Diaconiae proprius, & ad certi alicujus tituli, ſive Eccleſiae miniſterium ordinatus, inſertus, adnexus, & (ut S. GREGORIUS loquitur) incardinatus eſt. Nam S. GREGORIO idem eſt, Cardinalem conſtituere in aliquo titulo, vel Eccleſia, quod incardinare alicui Eccleſiae, vel in aliqua Eccleſia cardinare: Idem etiam de Epiſcopis dicit; eos enim, quos de ſua Eccleſia ad aliam neceſſitatis cauſſa transferri contigerit, Epiſcopos quidem Eccleſiae ſuae; illius vero ad quam rranslati ſunt, Sacerdotes ſive Pontifices *Cardinales* vocat; quae vox non ſolum *Romanae*, ſed omnibus aliis Eccleſiis per Provincias communis eſt. Ac quoniam Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus ita cardinatus, & conſtitutus principem locum in ea Eccleſia, cui incardinatus erat, tenebat: hinc factum eſt, ut Cardinalis vocabulum pro praecipuo, ſive principali adciperetur, in quam ſignificationem SERVIUS ad I. Aeneidos ventos quatuor *Cardinales principales* interpretatur. Is ergo dicitur Presbyter, vel Diaconus Cardinalis alicujus tituli, vel Diaconiae, qui ejuſdem praecipuam curam gerit, omneſque alios earumdem Eccleſiarum miniſtros gubernat, & moderatut. Hoc porro nomen omnibus Eccleſiis commune multis diu haeſit, ut *Ravennati*, *Piſanae*, *Mediolanenſi*, *Compoſtellanae*, & aliis (vide MAZZOCH. *de Cathedralis Eccleſ. Neap. ſemper unicae vicibus*, & GALLETTUM de Primicerio *pag. 77.*), ſed

unius

unius tandem *Romanae* proprium evaſit; quia ſicut *Romanus* Pontifex omnium Epiſcoporum Princeps eſt, ita & Sacerdotes *Romanae* Eccleſiae omnium Eccleſiarum Clericos dignitate, & honore antecellunt: hinc Cardinales hodie ii tantum appellantur. Olim nonniſi Presbyteri, & Diaconi S. R. E. Cardinales erant. Epiſcopi enim ſuburbicarii, quos inter ſaeculo X. etiam *Lavicanenſis* Epiſcopus cenſebatur, nunc primum Cardinalibus adnumerati ſunt, quum hebdomadarii Lateranenſis Baſilicae conſtituti fuerunt. Prima corum mentio occurrere dicitur apud ANASTASIUM, ubi hoc STEPHANI III. decretum refert: *ut omni die Dominico a ſeptem Epiſcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Eccleſia Salvatoris obſervant, Miſſarum Solemnia ſuper Altare* S. PETRI *celebrarentur, &* Gloria in Excelſis Deo *diceretur*. Adi tamen CL. BORGIAM in *Vaticana Confeſſione* B. PETRI eruditiſſime *illuſtrata p. XLVII.* CENNIUS in notis ad Muratorianas Antiquitates negat, Subdiaconos inter Cardinales S. R. E. uſquam legi; ſed fallitur. Aliquot Subdiaconos S. R. E. Cardinales GEORGIUS profert *T. II. p. XLVIII.* Unus ſufficiat HILDEBRANDUS *Cardinalis Subdiaconus*, qui diplomati VICTORIS II. a. MLVII. *dando conſenſit, & ſubſcripſit*.

CARENA, CARENTENA, tempus determinatum pro injuncta poenitentia, quae proprie *Quarantena* a quadraginta dierum ſpatio appellatur, & de qua ſaepe in Indulgentiis fit mentio. *Et XL. dies in pane & aqua* (*quod* Carenam *vocant*) *cum ſeptem ſequentibus annis* (quibus ſemel ſingulis hebdomadibus jejunandum erat) *poeniteas*. Cap. *accepiſti illam, de Sponſa duorum*. Carenam ſunt qui velint ſic dictam *quaſi carentiam cibariorum, vel hominum*, a quibus poenitentes ſegregabantur. Verum malim ego cum *Franciſco* MACRO, corruptum id nomen dicere a quadragena.

CARNIS PRIVIUM. Hoc nomine appellabatur Dominica Quinquageſimae; ſequenti enim die multis in locis, & praeſertim apud Monachos jejunium Quadrageſimale initium ſumebat. *Mozarabes vocant Dominicam ante carnes tollendas*. *Graecis* porro Dominica Carnis Privii eſt Dominica Sexageſimae.

CARPSUM, *ſcarpſum*, Libellus, in quo preces, Pſalmi, Antiphonae, ceteraque ad Miſſae, ac divinorum officiorum ordinem pertinentia recenſebantur. Vide Biblioth. Ritual. noſtram *T. I. p.* 121.

CARTULARIUS, Archivorum cuſtos. Maurini Patres in notis ad S. GREGORII M. epiſtolas ajunt, idem in Romana Eccleſia fuiſſe Cartularii, & Notarii officium; ſed illis repugnat cl. GALLETTUS *de Primic. p.* 44. quem vide.

CASUBULA, Caſula. In Vita S. POPONIS apud BOLLAND. die 25. Januar.: *in celebratione Miſſarum* caſubulam, *qua induebatur, lacrymis humectabat*.

CASSIBULA, idem quod CASUBULA.

CASULA ſumitur aliquando pro cuculla Monachali. THEODEMARUS Abbas in epiſt. ad CAROLUM M.: *cucullam nos eſſe dicimus, quam alio nomine caſulam vocamus*. Erat etiam Caſula quotidianum Eccleſiaſticorum indumentum. Nam in *Liptinenſi* Concilio a. DCCXLIII. cap. 7. decretum fuit

fuit, ut Presbyteri; vel Diaconi non ſagis laicorum more, ſed caſulis uterentur ritu Servorum Dei, nempe Monachorum. Tandem caſula ad Planetam ſignificandam translata eſt. S. CAESARIUS *Arelatenſis*, ut in antiqua ejus vita legimus, *Caſulam qua in proceſſionibus utebatur, & albam Paſchalem profert, datque egeno, jubetque ut vendat uni ex clero.* De Caſula veſte Sacerdotali fit quoque mentio in Teſtamento S. PERPETUI *Turonenſis*, quod ipſe anno CCCCLXXV. ſcripſit *Spicil. Tom. V. p.* 106. & apud PAULLUM Diaconum *Emeritenſem de vitis Patrum* Emeritenſium *cap.* 5. Vide Planeta.

CATABULUM, ſtabulum jumentorum, quae publicae utilitati ad vehenda onera deſervirent, unde & *Catabulenſes* hi dicti eſſe reperiuntur, qui praedicta oneraria jumenta ductabant. Confer BARONIUM in Not. Mart. *ad D. 16. Januar.* ubi de S. Marcello.

CATACUMBAE. Loquendi obtinuit uſus, ut Catacumbae pro Catatumbis dicerentur: ex *Graeca* enim & *Latina* dictione compoſitum eſt nomen κατὰ, juxta & tumbas. Apud S. GREGORIUM in regiſt. *lib. 3. ep.* 30. ad Catatumbas ſcriptum reperitur. *Non tamen erraſſe dixerim*, inquit BARONIUS in Not. ad Martyr. die Januar. XX., *qui catacumbas legunt; nam* *κατακύμβη eſt locus cavus atque profundus, qualia Romae praeſertim coemeteria eſſe ſolebant in arenariis profundis cryptis excavata.* De Catacumbis plura dabunt BOLDETUS & BOTTARIUS. Confer etiam de hujus vocis etymo CL. *Alexandrum* POLITUM in *comm. ad Januar. Martir. Rom. p.* 335. V. Arenarium, Coemeteria.

CATARACTA, quam *S. Gregorius Turonenſis lib. 1. de Glor. Mart. cap.* 28. *feneſtrellam parvulam* appellat, foramen erat interius in capſa, ſeu arca, qua Reliquiae condebantur, praeter aliud exterius in altari, vel pavimento, ſub quo eaedem Reliquiae conditae erant. Per haec autem foramina, inquit *Valeſius ad Sozom. lib. IX. cap.* 2., *Chriſtiani ſolebant dimittere velamina, ut Sanctorum Reliquias contingerent.* Cataractae vocabulum invenias in epiſtola, quam ad HORMISDAM ejus apud *Juſtinum* Auguſtum Legati ſcripſerunt.

CATASTA. „ Diverſa ſignificatione, *inquit* BARONIUS *ad D.* 16. *Martii*, Cataſta tam apud Gentiles Scriptores, quam etiam Chriſtianos, ac „ penes ipſa Acta Martyrum accepta reperitur. „ Aliquando pro machina longae, ac magnae compedis formam habente, qua ſervi detenti, venales exponebantur: ſic apud PLINIUM *lib. 35. cap. ult.* &c. erat & Cataſta inſtrumentum torquendi, diverſum tamen ab equuleo, de quo habes in Actis S. DOROTHEAE, & in Actis S. MARCELLI Papae & Martyris, & aliis. Cataſta inſuper aliquando ſuggeſtum ſignificat lignis compactum, quem vulgo dicimus *tabulatum*. Super ejuſmodi cataſtam elevabantur cruciandi Martyres, quo illorum tormenta poſſent ab adſtantibus conſpici: ſicque intelligas locum PRUDENTII in *Romano Martyre hymno* 10. quum ille ſuſpenſus equuleo ſuper cataſtam concionabatur ad populum dicens;

Audite cuncti, clamo longe praedico,
Emitto vocem de cataſta celſior.

Erat etiam Cataſta cratis ferrea ad comburendum parata; de qua idem PRU-

PRUDENTIUS *Periſteph.* in LAURENTIO *hymno* 2.

CATECHESIS. In primitiva Eccleſia, qui ad Baptiſmum admittendi erant, prius fidei Chriſtianae myſteriis ab Apoſtolis viva voce imbuebantur; quod inſtitutionis genus *κατήχησις* dicebatur a *κατηχεῖν* viva voce inſtruere.

CATECHUMENI. In actis SS. *Petri*, *&* *Marcellini* legimus: *Ipſe autem, qui eos decollavit, nomine* DOROTHEUS, *publicam poenitentiam geſſit* PAGANUS....... *&* *baptizatus eſt in ſenectute ſua*. Ad quae verba MAZZOCHIUS T. II. Kal. Neap. *p.* 495., *quantivis*, inquit, *pretii locus: ex quo intelligas criminoſos, antequam inter Catechumenos referrentur, publicam poenitentiam egiſſe*; neq. enim Paganus diceretur DOROTHEUS *publicam poenitentiam* egiſſe, ſi illam inter Catechumenos jam adſcitus egiſſet. Vide illum *cit. loc.* Tum vero qui ſacris noſtris idoneus judicabatur, Catechumenis primum adcenſebatur impoſitione manuum vel ab Epiſcopo, vel a Sacerdote ex Epiſcopi commiſſione facta. Hic ſigno Crucis tyronis fronti impreſſo, Deum orabat, ut bene precari Cathechumeno vellet, quo fructum caperet ex inſtructionibus, dignumque ſe redderet Baptiſmatis coeleſtis munere. Hoc in ſtatu Catechumenus longo tempore, verbi gratia triennii ſpatio, permanebat, quo tempore capitibus noſtrae fidei ſcitu maxime neceſſariis imbuebatur. D. AUGUSTINUS ſuculentum *de catechizandis rudibus* tractatum conſcripſit, quo Catechiſtas edoceret modum rite inſtituendi novellos Chriſti milites, formamque, ac veluti ideam adeo fructuoſae functionis ipſe praeberet. Tempus huic inſtructioni deſtinatum alias contrahi, alias produci ſolebat, quo citius tardiuſve tyrones progreſſum in diſcendo facerent. Nec ſolum ad hujuſmodi progreſſum in addiſcendis fidei dogmatibus, verum etiam ad morum, quos ex Paganiſmo adtulerant, emendationem adtendebatur, nec niſi perfecta Catechumenorum obſervata converſione, ex ſtatu illo egredi licebat. Hactenus Catechumeni *Audientes* vocabantur. Ubi vero admitti ad Baptiſmum deſiderarent, illaque gratia digni haberentur, nomina ſua dabant, atque inter *Competentes* numerabantur. Non *Audientes* ſolum, ſed etiam *Competentes* Miſſae tantum intereſſe poterant, quae propterea Catechumenorum dicebatur. Ea expleta, clamabat Diaconus: *Catechumeni exite*, *Poenitentes exite*, & ab Eccleſia recedebant, ſi qui erant infideles, heretici Catechumeni, & Poenitentes, omnes denique, quibus ſacris intereſſe fas non erat, ordinatim abibant, remanentibus ſolis fidelibus, qui etiam diligenter obſervabant, nequis remanſiſſet eorum qui abiiſſe debebant. Oſtiarii fores Eccleſiae claudebant, & qui dimiſſi fuerant, ante januam, in porticu, tempore Sacrificii orabant. S. AUGUST. *Ecce poſt ſermonem fit Miſſa Catechumenis; manebunt fideles*. Mos idem *in Gallia.* S. GERMANUS: *Chathecuminum Diaconus idco clamat ut ... exirent foris qui digni non erant ſtare, dum inferebatur oblatio*. *Competentibus* aliquot Quadrageſimae hebdomadibus elapſis Symbolum tradebatur, quod memoriae mandarent. Ceterum de die, quo Symbolum *Competentibus* erat tradendum, non eadem erat omnium Eccleſiarum diſciplina, de qua conſule MARTENIUM *de antiq. Eccleſ. ritib. Tom. I. Lib. I. cap. 1. art. 11. col.* 86., ubi ex ordine *Romano* eruit *Romae* Symbolum traditum fuiſſe Feria IV. Haebdomadae IV. Quadrageſimae, in *Africa* vero, ex S. AUGUSTINO, Sabbato ante Dominicam IV. tradi conſueviſſe, *Conſtantinopoli*, ex THEO-

DORO

DORO Lectore, in Paraſceve tantum traditum eſſe baptizandis Symbolum; at *Hieroſolymis*, ex S. HIERONYMO *ep. 61.* ad PAMMACHIUM, id moris obtinuiſſe, ut per quadraginta dies baptizandi ſacra doctrina imbuerentur. Quod ad *Gotho-Hiſpanos*, & *Gallos* attinet, ii Symbolum publice tradebant omnes uno, eodemque die, ſcilicet ultima Quadrageſimae Dominica, ſive Dominica Palmarum. *Concil. Agath. Can. 13. Codex Canonum Eccleſiae Gotho-Hiſp. lib. 4. tit. 6.* S. ISIDORUS *offic. l. 1. cap. 27.* ubi de Dominica Palmarum agens: *hac autem die*, inquit, *Symbolum Competentibus traditur*, quibus addenda Miſſale *Mozarabum*, Sacramentarium *Bobianum*, & Miſſalia *Gallicanum*, & *Gallo-Gothicum*, quibus omnibus teſtatum invenimus, Symbolum die Palmarum traditum eſſe ſolemniter *Competentibus*. Eodem quoque die *Mediolani* olim tradebatur, ex S. AMBROSIO *epiſt. 20. edition. Maur. ad* MARCELLINUM. *Romae Competentibus* Symbolum *Conſtantinopolitanum* tradebant, ut eſt in Ordine *Romano* V. HITTORPII, & in Sacramentario *Gelaſiano*, ubi articulum de Spiritu Sancto ita legunt: *& in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem ex Patre procedentem:* in latino HITTORPII eſt *ex Patre Filioque procedentem:* at in *Graeco* ejuſdem legitur ſolum ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. Symbolum enim *Romae*, *Graece*, *&* *Latine* recitabant ob magnum *Graecorum* numerum, qui Urbem incolebant; at *Gotho-Hiſpani*, *&* *Galli* Symbolum Apoſtolorum *Competentibus* tradebant, quod antiquitus etiam *Romae* factum eſſe opinor. Porro Feria quincta in Coena Domini *Competentes*, qui ab hoc maxime tempore *Electi* vocabantur, Symbolum reddere debebant. Primum ergo clara voce, & tantum non cantando Epiſcopus integrum Symbolum recitabat, & ſimul cum eo *Competentes*, & qui adſtabant fideles Symbolum pronuntiabant; tum iterum, ac tertio ſubmiſſiore voce integrum Symbolum omnes repetebant, & poſt ternam hanc repetitionem Epiſcopus articulos Symboli ſingulos primum dicebat, & deinde explicabat; demum totam explicationem brevi paraeneſi concludebat. Confer de his Cl. TROMBELLIUM de *Baptiſmo*.

CATECHUMENUM, ſeu *Catechumenaeum* locus pro Catecumenis in Eccleſiis adſignatus, vel locus ubi Catechumeni in fide inſtruuntur. *Fuitque illi mater ſpiritualis Sancta Domina* ROMANA *Diaconiſſarum*, *quae accipiens eam duxit in Catechumenum.* Vit. S. PELAGIAE *c. 8.* Item Ritualis liber. Confer Bibliothecam noſtram Ritualem *T. II. pag. 461.*

CATHEDRA, Sedes Epiſcopalis in hemicyclo Abſidis collocata plerumque marmorea erat, ſemper autem Presbyterorum ſedibus hinc illinc collocatis eminentior. *Nam altior locus*, inquit S. AUGUSTINUS in Pſ. CXXVI. *3. poſitus eſt Epiſcopis*, *ut ipſi ſuperintendant*, *& tamquam cuſtodiant populum.* Hinc ſaepe Cathedra pro Epiſcopatu ſumitur; qua de re vide SAVARONEM ad SIBONII *Apollin. epiſt. XVI. lib. 9.* In Eccleſia *Hieroſolymitana* S. JACOBI Cathedra magno cum honore ſervabatur, EUSEBIO teſte *lib. VII. hiſt. Eccleſ. cap. 14.* Saepe ſculptorum Leonum tergis imponebantur. *Velatas* Epiſcoporum Sedes appellat AUGUST. ad MAXIM. *ep. 23. Linteatas* S. PACIANUS *ep. 2.* Tapetis & pretioſis aulaeis ornabantur, ut innuunt S. AMBROSIUS *de dignit. Sacerd. cap. 6.*, ENNODIUS *in defenſ. Synodi Rom.* & AMALARIUS *de div. offic. l. 3. c. 10.* Supra hunc Pontificalem

Digitized by Google

lem thronum, quem etiam exedram, & cathedram Veteres appellant, Chriſti D. imago depingi conſueverat, ut GOARIUS obſervat *in Not. ad Euchol. Graecor.* Dixi autem fuiſſe illum in apſide ut plurimum collocatum: ſequiore enim aevo ad dexteram Altaris partem poſitus fuit; quod docet Ordo *Romanus*, & MARCELLINUS Comes *in Chron. ad ann. DXXV.*, ubi de JOHANNE Papa honorifice *CPoli* excepto. Interdum etiam ſumitur Cathedra pro Ambone ſeu Pulpito, ex quo Epiſcopus concionabatur.

CATHEDRA S. PETRI. Antiquiſſima etiam *Romae* haec feſtivitas eſt: Kalendarium *Bucherianum* VIII. Kal. Mart. *Natale* PETRI *de Cathedra*. Kalendarium *Gotho-Hiſpanum*, ſive potius fragmentum *Pinianum* VIII. Kal. Mart. *Cathedra* S. PETRI *Apoſtoli*. Orationale *Gothicum pag. 62. art. 1.* VIII. Kal. Mart. *Incipiunt Orationes de Cathedra* S. PETRI. Huic adde Miſſale *Mozarabum*, cui VIII. Kal. Mart. Miſſ. & Offic. *in Cathedra* S. PETRI inſcribitur. Miſſale *Gallo-Gothicum N. XX.*, & Sacramentarium *Bobianum*: *Miſſa in* Cathedra S. PETRI. Lectionarium *Luxovienſe N. XXIII. Legenda in Cathedra* S. PETRI. Et illud notandum, bis feſtum Cathedrae S. PETRI in vetuſtiſſimis apographis *Hieronymianis* ſignari, alterum XV. Kal. Febr., quo Cathedra *Romana*, alterum VIII. Kal. Martii, quo Antiochena Cathedra celebratur. Sic *Epternacenſe*, *Lucenſe* FIORENTINII, *Corbejenſe* DACHERII, quibus adhaerent *Gellonenſe*, *Romanum* parvum, & his recentiora ADONIS, USUARDI, *Romanum* BARONII, aliaque plura Martyrologia. *Neapoli* olim die XII. Februarii celebrabatur, ut ex Kalendario marmoreo Neapolitano habemus, in quo XII. Febr. D. Q. ELECTUS S. PETRUS PAP. ſculptum eſt, nimirum *die duodecimo Febr. dies, quo electus eſt* S. PETRUS *Papa*. Quae verba ſatis indicant, antiquiores illos non alia de cauſſa hanc feſtivitatem celebraſſe, quam ut Deo gratias ſolemniter agerent, quod in Eccleſia ſua Cathedram principalem, ſive, quod idem eſt, Epiſcopatum Eccleſiae, cum plena ligandi, atque ſolvendi poteſtate, inſtituerit, eamque Cathedram B. PETRO Apoſtolo, & per eum *Romanis* Pontificibus, Succeſſoribus ejus ad finem ſaeculorum tenendam tradiderit. Vide LESLAEUM ad Miſſale Mozarabum *p. 570.*, & MAZZOCHIUM *in Kal. Neap. T. I. p. 49.*

CATHEDRATICUM, de quo Novella *Juſtin. 123. cap. 3.*, erat pecuniarium penſum *Epiſcopo ordinanti* (juxta SVICERUM in theſ. ad voc. ἐνθρονιστικὸν) *vel Clericis*, *vel Notariis Eccleſiaſticis pro ordinatione*, ſeu (ut habet CANGIUS in *Gloſſ. lat. ad voc. Cathedraticum*) *ratione Throni*, *ſeu Cathedrae* ab Epiſcopo ordinato debitum, in *Oriente* commune.

CAUCUS, idem quod vulgo *boccale* dicimus. De *caucis aereis* meminit BEDA. AETHILBERTUS Rex dono miſit S. BONIFACIO *Moguntino caucum argenteum intus deauratum*.

CAUTIO. Chirographum vel pecuniae, vel alterius rei adceptae ſcripta confeſſio, ſimulque illam certo die reddendi ſponſio. S. GREG. *lib. XII. ep. 30. Cautiones vero, quae in ejuſdem* ANTONINI *ſubſtantia ſunt inventae, pariter defer*. Eſt etiam fidei profeſſio, & ſponſio obedientiae *Romano* Pontifici ab Epiſcopis praeſtandae, in Archivo *Romanae* Eccleſiae condi ſolita, cujus antiquam formulam habes in *Libro diurno* Romanor. *Pontific.* Vide MAZZOCHIUM de Ss. Epiſcop. *Neapol. T. II. p. 379.*

Digitized by Google

CELLULANI, CONCELLANEI *Graecis* συγκελλοι. Extat apud ENNODIUM praeceptum *de Cellulanis*, ſcriptum ab eo, ut SIRMONDUS *p.* 72. conjicit, Epiſcopi ſui nomine. „ Quum enim juſſi eſſent a Papa, „ aut Synodo (neque enim proditum eſt) Epiſcopi omnes, contubernales „ Clericos habere, vitae ſuae, actuumque teſtes, ad amoliendas maledico- „ rum calumnias, quibus vexatus nuper fuerat SYMMACHUS: Epiſcopi, „ ut par erat, exemplum ſequuti, Presbyteris item ac Diaconis ſuarum „ Dioeceſium idipſum praeceperunt, ut ipſi quoque ſine aliorum contuber- „ nio non eſſent. „

CERARIUS. REGINO *in Inquiſit. n.* 12. *Requirendum de luminaribus ipſius Eccleſiae, & quot* CERARIOS *habeat*. In quem locum haec BALUZIUS adnotat: *Lib. V. Capitular. cap. CXXVIII. & lib. III. Leg. Longobard. tit. V. cap. I.* „ *De cerariis, & tabulariis, & chartulariis, ſicut a* „ *longo tempore fuit, obſervetur*. Cerarios LINDEBROGIUS interpretatur „ eos, qui cera obſignant litteras, quem ſequitur SPELMANNUS. Heic „ tamen apud REGINONEM longe aliud ſignificat hoc vocabulum. Mo- „ ris haud dubie tum erat, quod & hodie quoque apud *Lemovices* obſerva- „ tur, ut in unaquaque Eccleſia eſſet certus cereorum numerus, ſed cereo- „ rum, qui hominis ſtaturam aequarent; ita porro craſſi eſſent, ut eos ho- „ mo ambabus manibus amplecti, aut comprehendere vix poſſet: moles ce- „ reorum, ut vocat VIGILANTIUS apud HIERONYMUM. Cereos, ut „ dixi, iſtiuſmodi pro cujuſque facultatibus plures, aut pauciores habent „ Eccleſiae *Lemovicum*, qui in multos annos durant, & *Cires* vocantur, „ quod vocabulum nihil praeterea ſignificat, quam iſtud cereorum genus. „ Ii ergo intra Eccleſiam ſervabantur in certo loco, in conſpectu tamen „ Fidelium ſemper poſiti; accendebantur autem in praecipuis feſtivitatibus, „ tum etiam circumferebantur in proceſſionibus. Nam iſta ſic hodie fiunt „ ex veteri haud dubie inſtituto. Et quia cerei illi diu durabant, nume- „ rabantur in ſupellectili Eccleſiae. Eam itaque ob cauſſam inquirebant „ olim, quot Cerarios haberet unaquaeque Eccleſia. „

CEREUS PASCHALIS. *Benedictio Cerei* orationali *Gothico p.* 100. *art.* 1. inſcribitur: *laus luminis*, & a S. AUGUSTINO *lib.* 15. *de civit. Dei cap.* 32. dicitur *laus cerei*. Hujuſmodi benedictionum binae apud ENNODIUM formulae habentur, una extat in Sacramentario *Gelaſiano Deus mundi conditor*, quae apud HITTORPIUM *pag.* 66. in quincto ſuo ordine *Romano*, inter orationes, quibus novum lumen benedicitur, prima eſt: ab hac differt *laus*, ſive *benedictio* cerei, quam S. AUGUSTINUM, quum eſſet diaconus, pronuntiaſſe ferunt, *exultet jam Angelica turba &c.* eſtque vulgaris; & notiſſima cerei Paſchalis benedictio, quae in Sacramentario *Bobiano*, in Miſſalibus *Gallicano*, & *Gallo-Gothico*, in *Ambroſiano* PAMELII, in Miſſali *Toletano*, in *Romano* S. Pii V., & paſſim in Miſſalibus ritus *Gregoriani*, cum aliqua tamen varietate legitur. Hanc recentiores quidam S. LEONI tanquam auctori tribuunt, ſed libri liturgici antiquiores S. AUGUSTINO adſcribunt; & ſane Sanctum AUGUSTINUM benedictionem cerei aliquando ſcripſiſſe, ipſe *de civit. Dei l.* 15. *c.* 22. haud obſcure innuit: *in laude quadam cerei breviter*, inquit, *verſibus dixi. Haec tua ſunt, bona ſunt, quia* *in bo-*

Digitized by Google

tu bonus iſta creaſti, nil noſtrum eſt in eis, niſi quod peccamus amantes. Ab his omnibus benedictio cerei Miſſalis *Mozarabici* diverſa eſt, quam ELIPANDUS S. ISIDORO adtribuit *ep.* ad ALBINUM *oper.* ALCWINI *col.* 917. Laus, ſeu Benedictio cerei a diacono in Eccleſia *Gotho-Hiſpana* canebatur: in Eccleſia *Romana*, ſi fides ſit rubricae Sacramentarii *Gelaſiani* Em. THOMASII, aut ordini *Romano* quincto HITTORPII, cereus a primo Diacono, ſive ab Archidiacono benedicebatur. Sanctus GREGORIUS Papa *lib.* 9. *ep.* 28. permiſit MARINIANO Epiſcopo *Ravennati*, ut preces, quae ſupra cereum in *Ravennati Civitate* dicebantur, & expoſitiones Evangelii, quae circa feſtum Paſchae a Sacerdote fieri conſueverunt, per alium faceret; inde tamen minime conſequitur Epiſcopos *Ravennates* ſolitos fuiſſe cerei benedictionem canere: nam aliae erant orationes, quas Epiſcopus ſuper cereum fundebat, de quibus heic S. GREGORIUS agit; alia erat *laus luminis*, quae a Diacono canebatur. In cerei ſtipite nonnullis in locis Diaconus, priuſquam benedictionem cantare inciperet, annos Dominicae Incarnationis, ac praeſentis anni indictionem, aliis vero in locis A & Ω, & annum ab Incarnatione Domini ſtylo imprimebat. Alibi cereo adfigebantur tabulae, ſeu chartae, in quibus plura notabantur, atque haec inter annus a mundi creatione decurrens. Vide MARTENIUM. *Columna cerea* vocatur Cereus; aſt collocari ſolebat ſuper columnam prope Ambonem, in quo benedictio cantabatur, conſtitutam. Priſcam hanc, & ſolemnem in Eccleſia cerei Paſchalis conſuetudinem ZOSIMO Papae tribuunt ALCUINUS, & AMALARIUS. Mos autem erat, quem iidem Auctores tradunt, ut ex cereo Paſchali, qui Sabbato Sancto conceptis precibus ſacratus fuerat, particulae decerperentur, ac populo die Dominica in Albis poſt ſacram Communionem diſtribuerentur, unde ſuffitum in aedibus ſuis facerent, vel agros, vineaſque munirent adverſus Daemonum praeſtigias, aut contra fulgura, & tonitrua. Quo etiam ſpectant illa ENNODII *Bened.* 11. *ſumptam ex hoc contra procellas, vel omnes incurſus fac dimicare particulam.* Ceterum hic mos olim extra urbem dumtaxat. *Romae* enim cerei Paſchalis vice ceram oleo perfuſam benedicebat Archidiaconus, inde particulas in agnorum effigiem expreſſas adſervabat, populo ſimiliter die, qua dictum eſt, dividendas. Quae res nimirum originem dedit cereis agni coeleſtis imaginibus, quae a Pontificibus ipſis auguſtiore poſtea ritu conſecrari coeperunt.

CEROFERARIUS, Acolythus, ſic dictus quod candelabra, & cereos deferat. Ipſa quoque candelabra nonnumquam hoc nomine donantur. FLODOARD. *lib.* I. *hiſt. Rom. c.* 19. *accenſiſque ſuper cruces cereis, atque ceroforariis*, quae *ceroferalia* in Actis S. SEBASTIANI Martyris appellantur.

CEROSTATA, ſeu *Cereoſtata*, candelabra, in quibus cerei ſtant. Saepius in libro Pontificali indicantur.

CERVI argentei in libro Pontificali ſaepius memorati aquam fundentes in fontibus Baptiſmalibus potiſſimum adhibebantur.

CHARTOPHYLAX, Eccleſiae CPolitanae Bibliothecarius, ſive illius bibliothecae, & archivi cuſtos. Idem quandoque *Chartularius* dicitur.

CHINEA, equus nobilis phaleratus, quem pro cenſu ordinario Rex utriuſque *Siciliae* offert olim die Ss. PETRO & PAULLO ſacra poſt Miſſam ex-

Digitized by Google

tra Baſilicam Pontifici in Palatium reverteuti, nunc poſt Veſperas praecedenics intra Baſilicam.

CHIROSEMANTRA. Vide Semanteria.

CHIROTHECAE, quae & *Manicae*, *Manualia*, ac barbara prorſus voce etism *Wanti* dicuntur, inter Pontificalia indumenta in Miſſa *Illyrici*, in Miſſa RATOLDI, & in ordine *Romano* memorantur. *Wanti caſtanei auro parati* indicantur in vita S. BERTHARII Epiſc. *Carnotenſ.* In ſacro quoque Cimeliarchio S. PAULLI *Londin. Monaſt. Anglic. T. III. pag.* 314. *chirothecas* invenias ann. MCCXCV. *gemmis*, *&* *lapidibus pretioſis ornatas*.

CHORAE ſunt diſtinctiones Pſalmorum, ſingulae tres pſalmos cum una antiphona continentes. S. DONATUS *c.* 75. *Regulae* in duas partes aequales annum dividit, ab uno aequinoctio ad aliud: quo tempore, ideſt ab aequinoctio autumnali ad illud veris, duodecim choras, hoc eſt pſalmos triginta ſex cum duodecim antiphonis, dicendas ſtatuit: ab aequinoctio veris ad autumnale octo tantum choras, ideſt vigintiquatuor Pſalmos cum antiphonis octo.

CHOREPISCOPI. ,, Erant hi, *inquit* ZALLWEIN *Tom. IV. princip.*
,, *Jur. Eccleſ. p.* 170. nihil alind quam Vicarii foranei ab Epiſcopis adſum-
,, pti, ut curam Eccleſiarum ruralium & Parochorum haberent, & quae-
,, dam Epiſcopi munia obirent. Origo *Chorepiſcoporum* neutiquam ex in-
,, ſtitutione Chriſti, & Apoſtolorum eſt derivanda, quum illorum nec Scri-
,, ptura, nec Canones & Conſtitutiones Apoſtolicae, nec IGNATIUS, nec
,, CORNELIUS Papa, licet ambo ordines Eccleſiaſticos ſui temporis adcu-
,, rate recenſeant, mentionem faciant. Itaque in Eccleſia *Orientali* circa
,, initium ſaec. IV. orti ſunt, quum illorum mentio occurrat in Concilio
,, *Ancyrano*, & *Neocaeſareenſi*; in Eccleſia vero *Occidentali* illorum meminit
,, Concilium *Regienſe* ann. CCCCXXXVI. celebratum. Ortum ſuum inde
,, traxerunt, quod quum ſaec. IV. & V. jamjam Eccleſia immenſa adcipe-
,, ret incrementa, & Epiſcopi omnia per ſe ipſos in oppidis, & vicis pera-
,, gere non potuerint, neceſſe habuerint conſtituere quoſdam Epiſcopos *Vi-*
,, *carios*, vel Presbyteros, illiſque dare facultatem quaedam minoris mo-
,, menti negocia expediendi. Officia autem illorum erant ſequentia: 1.
,, erant praepoſiti Presbyterorum ruralium eo ferme modo, quo hodie De-
,, cani rurales, vel Archidiaconi. 2. Ex delegatione Epiſcopi poterant con-
,, ferre ordines minores, & Subdiaconatum. 3. Vocabantur ad *Concilia*,
,, & in iis ſuam dicebant ſententiam. 4. Poterant celebrare ſacrificium in
,, urbibus praeſente etiam Epiſcopo, id quod aliis Presbyteris non licebat.
,, Succeſſu temporis illorum tam numerus, quam auctoritas in tantum excre-
,, vit circa tempora CAROLI M., ut ipſis etiam Epiſcopis formidanda exi-
,, ſteret: ea enim jam ſibi arrogabant munia, quae ſolis Epiſcopis ſunt pro-
,, pria: e. g. auctoritate propria facere ordinationes Clericorum &c. Quare
,, de illorum abrogatione hinc inde actum fuerat, & quidem in Eccleſia
,, *latina* abrogari coeperunt ſaec. VIII. tum a LEONE III., qui ordinationes
,, ab ipſis factas caſſavit, tum in Concilio *Ratisbonenſi*, quod inſuper vetuit
,, poſthac creare Chorepiſcopos. Ultimato tandem Chorepiſcopatus abro-
,, gatus fuit in Concilio *Metenſi* anno DCCCLXXXVIII. in quo ultima

Chore-

,, Chorepiſcoporum fit mentio. ,, Hactenus ZALLWEIN. Diſputant Doctores, an hi veri Epiſcopi fuerint? De qua controverſia vide pro adfirmante ſententia TOURNELY, & SBARALEAM; pro negante de MARCA, WITASSIUM, alioſque; HALLIERUS poſt BELLARMINUM inter Chorepiſcopos aliquos fuiſſe Epiſcopos, aliquos Presbyteros tradit.

CHORUS, locus ubi Cantores hinc inde ſedebant in utroque abſidis latere; ex quo ſaepe etiam duplici nomine appellabatur; puta *chorus dexter*, *chorus ſiniſter*, & apud Monachos *Chorus Prioris*, cui ſcilicet Prior, & *Chorus Abbatis*, cui Abbas praeerat. Aliqui tamen pro Presbyterio Eccleſiae chorum uſurparunt, ut *Ordericus* VITALIS *lib.* 7. *pag.* 662. & Anonymus in vita S. JOHANN. *Eborac.* Archiep.

CHRISMA *tis*, & *ae*, (nam Veteres ſaepe Chriſma faemineo genere donabant, ut in Miſſalibus *Gothico*, & *Gallicano Mabillonii* videre eſt) ,, eſt oleum balſamo mixtum, & ab Epiſcopo adſiſtentibus Sacerdotibus duo- ,, decim, Diaconis ſeptem, ſeptemque Subdiaconis in Feria V. majoris heb- ,, domadae conſecratum. Diximus materiam eſſe oleum cum *balſamo mi-* ,, *xtum*, ubi advertendum, quod *Graeci* praeter oleum, & balſamum com- ,, miſcent triginta tres ſpecies aromatum. Qua de re adi TROMBELLIUM ,, *de Confirm. Tom. II. p.* 221. Item ab *Epiſcopo conſecratum* dixi; inter *Grae-* ,, *cos* vero ſolus Patriarcha hoc Chriſma conſecrat, raro tamen, nec annua- ,, tim, ſicut *Latini* (apud hos tamen *Romanus* Pontifex nonniſi ſingulis ſe- ,, ptenniis Chriſma conficit), & illud omnibus Eccleſiis poſtea diſtribuit. ,, Item *duodecim Sacerdotes* adſiſtunt in memoriam duodecim Apoſtolorum, ,, ac *ſeptem Diaconi* requiruntur in Symbolum ſeptem Diaconorum, quos ,, Apoſtoli ſtatuerant; *ſeptem* vero *Subdiaconi*, ut Diaconorum conſocii ad- ,, duntur; ita ISIDORUS *lib.* 2. *de Eccl. offic. cap.* 8., RUPERTUS *lib.* 5. ,, *de Div. off. cap.* 8. Diximus tandem hanc caeremoniam fieri in Feria V. ,, majoris hebdomadae, ſic enim cautum eſt in Can. *litteris*, *de conſecr. diſt.* ,, 3. & Can. *quoniam de ſent. excomm. in ſexto*. ,, Haec paucis exceptis MACER. Vetuſtiſſimus ordo *Romanus* ampullam chriſmatis ante Summum Pontificem per Acolythum delatam refert. Immo Epiſcopi quoque, iique, quibus baptizandi cura demandata erat, numquam ſine chriſmate proficiſcebantur. Vide GEORGIUM *lib. I. cap.* 4. *n.* 8. Chriſma ſaepiſſime pro Confirmationis Sacramento, cujus materies eſt ſaltem inadaequata (qua de re adi Theologos) accipitur. Sic S. AUGUSTINUS *lib. II. contra litteras Petiliani c.* 104. Confirmationem appellat *Sacramentum Chriſmatis*, THEODORETUS *ad c.* 1. *Cantici Cantic. chriſma*, *& ſpiritalis unguenti*, Concilium LAODICENUM *can.* 7. *&* 48. *Chriſma Sanctum*, *& ſupercoeleſte*, S. LEO M. *de Nativ. Domini Serm. IV. cap.* 5. *Chriſma ſalutis*.

CHRISMALE. GLABER RODULPHUS *lib.* 5. *hiſt. cap.* 1. & vulgatum BEDAE Poenitentiale hoc nomine corporale deſignant. Hinc in *Miſſali Francorum Chriſmale* dici crediderim *miniſterium Corporis D. N. J. C. gerolum*. Communiter tamen adcipitur pro velo, quo ſacri chriſmatis vas tegitur; item pro linteo, quo frons chriſmati cingitur.

CHRISMARIUM, locus dando Chriſmati deſtinatus. Ita vocatur in ordine *Romano X. p.* 106. Eſt etiam Chriſmatis repoſitorium, ut apud

GRE-

GREGORIUM TURONENSEM *lib. IV. c.* 32.

CHRISMARIUS, Notarius, cujus erat nomina babtizatorum adnotare, illorumque numerum, quum Pontifex in die Dominicae Reſurrectionis ad S. MARIAE Majoris aedes procederet, in loco, qui dicitur Merulanus, ſalutato Pontifice, palam edicere, ut chriſmarentur.

CIBORIUM ſeu (quod in *Muſtiolae* Martyris veteri titulo legitur) *Ciburium* Altaris veluti coelum ac tegmen quatuor, aut pluribus columnis ipſi Altari ſuperpoſitum, quod *propitiatorium* aliquando ANASTASIUS de Roman. Pont., *umbraculum altaris* vulgatus ordo *Romanus*, Cameram NICOLAUS I. ep. 2. appellat; ſupra Ciborium Crux ſtabat, aut Crucifixi imago.

Hoc nomine etiam denotantur aediculae, ſeu tabernacula, in quibus extra altare Sanctorum Corpora condebantur. HUGO Flaviniacenſ. *in Chron. Virdun. p. 166. In medio quidem alto, & prominenti ciborio Sanctus requieſcit* VITONUS. Confer MAZZOCHIUM *in Kal. Neap. T. I. p. XXXII.* Erant interdum hujuſmodi ciboria inſtar pyramidis conſtructa. Quare THEOFRIDUS Abbas *Epternacenſis* in verſibus operi *Florum Epitaph. Sanct.* praefixis:

Extruo Pyramides, ciboria, colligo flores;
Spargo ſuper tumulos Sanctorum carne ſacratos.

Hodie Ciborii vocabulo Tabernaculum deſignamus, in quo Sacroſancta Euchariſtia adſervatur. Vide ſupra ARMARIOLUM, CAPSAE, CAPSELLA. Ciborium praecipuis quibuſdam feſtis diebus *illuminari* jubet BERNARDI *Ordo Cluniacenſis P. I. cap.* 50.

CICINDELA, quae in Eccleſiae miniſterio lampadis genus eſt, nomen duxit a parvis animantibus, quae per arva noctu lucent, quaeque *cicindelae* a PLINIO, & ab ISIDORO vocantur. De hujus etymo vide VOSSIUM. In ſemipriſcis monumentis varie ſcribitur, nimirum *cicindile*, *cicendile*, *cecindillus*, *cicindilis*, *cicindela &c.* De quibus CANGIUS ad haec verba. Paucis nos exemplis contenti erimus. In Charta *Cornutiana cicindelae argenteae quinque cum catenulis ſuis.* FULBERTUS *Carnot. ep.* 68. *Inter organa Vatum, & ardentes cicendulas.* GREGORIUS *Turon. lib.* 4. c. 31. *In ſacrarium ſub velo tranſiens cicendelem extinguere voluit. Mediolani in Ambroſiana* Baſilica legitur epitaphium cujuſdam LANTERII, qui anno MCLIV. multa legavit eidem Baſilicae, diverſis tamen ſub oneribus, inter quae: *Ipſi perpetuo ſuper hoc ſepulcrum Cicendulum adcendant. Quotidie in Quadrageſima minore cicendulam ardere faciant ſupra ſepulcrum. Venetis* hodieque *ceſendelo* idem eſt quod parva lampas, cujuſmodi quae ante ſacras Imagines in triviis, officinis &c. adcendi ſolent.

CIDARIS, Mitrae genus.

CIMELIARCHA, ſacrorum vaſorum cuſtos. Erat *Bergomi Cimeliarcha* Eccleſiae S. VINCENTII Martyris A. D. DCCCCXXIX. quo ADALBERTUS *Bergomatum* Antiſtes decrevit, ad *Cimeliarcham* S. VINCENTII ſpectare, ut lampas perpetuo arderet ante Altare Sanctiſſimae Trinitatis. Celebrior eſt *Cimeliarchae* in Eccleſia *Mediolanenſi* dignitas, de qua mentionem fieri in Actis S. SIMPLICIANI *Mediolanenſis* Epiſcopi adfirmat *Johannes Andreas* PURICELLUS in ejuſdem SIMPLICIANI vita. *Cimeliarcha Mediolanenſis*

nenſis

Digitized by Google

ſenſis Eccleſiae quandoque *cuſtos Theſaurorum* B. AMBROSII appellatur, ut in litteris PAULLI Sacerdotis, & GEBEHARDI virorum religioſorum Eccleſiae *Ratiſponenſis* A. D. MXXIV. ad MARTINUM *Presbyterum, & Theſaurorum* S. AMBROSII *cuſtodem* ſcriptis. Saepe etiam in monumentis vetuſtis *Neapolitanae* Eccleſiae *Cimeliarchae* mentio incidit. *Johannes Archipresbyter &* Cimeliarcha *Sanctae* Neapolitanae *Eccleſiae* ſubſcripſit litteris SERGII *Neapolitani* Archiepiſcopi A. D. MCLXXVII. datis; itemque definitioni ejuſdem SERGII A. D. MCLXXXIII.

CIMILIA, & CIMELIA vaſa ſunt aurea, & argentea, aliaque pretioſiora ad ſacram alicujus Eccleſiae ſupellectilem ſpectantia. Saepius hoc nomen invenias in libro Pontificali, ut in HONORIO *num.* 1., in SERGIO, *num.* 13., in HADRIANO *num.* 24.

CIMILIARCHIUM, *Cimelium &c.* locus, in quo theſaurus Eccleſiae ac ſacra ſupellex adſervatur, & cuſtoditur. *Res autem, quae apud eum inventae ſunt, in Cimiliarchio Eccleſiae tuae ſervari modis omnibus ſtudebis,* Sanctus GREGOR. *lib. I. ep.* 10.

CINERARIUM, Vas ſeu theca, in qua conſervabantur cineres, ſeu oſſa Sanctorum, ideoque & *oſſuarium* dictum.

CINERES. Juxta priſcam Eccleſiae diſciplinam, qui publicam ſuſcipiebant poenitentiam, habitum mutabant, illis cilicium ſolemniter imponebatur, & adſpergebantur cinere. Hinc quum de Poenitentia loquuntur Patres, frequenter *ſaccum, cinerem, & cilicium* commemorant. TERTULLIANUS *de pudic. cap.* 5. Poenitentes *in ſacco & cinere* deſcribit, & S. AMBROSIUS *ad Virg. lapſ. cap.* 8. vult, ut corpus Poenitentis ſit *jejuniis maceratum, cinere adſperſum, & opertum cilicio*. Immo olim ſolis publice Poenitentibus cinis ſolemniter feria IV. poſt Quinquageſimam imponebatur, deinde alii, pietatis cauſſa, ad accipiendos cineres adcedebant, illiſque ſeorſim a publicis Poenitentibus dabantur; demum URBANUS Papa II. in Concilio *Beneventano*, anno MXCI. *Can. IV.* ſtatuit, *ut omnes tam viri, quam mulieres, tam clerici, quam laici cinerem ſuper capita ſua adciperent*; exinde mos adcipiendi ab omnibus indiſcriminatim cineres ubique ſuſceptus eſt. Cineres autem variis ritibus benedicebantur, de quibus adi MARTENIUM. Illud vero in antiquis *Romanis* ordinibus paſſim praeſcriptum invenias, quod & Miſſalis *Romani* Rubricae praecipiunt, cineres fieri debere de *ramis olivarum, ſive aliarum arborum praecedenti anno benedictis, Ambroſiani* cineres prima die ſuarum Rogationum benedicunt.

CINGOLUM, *Zona, Baltheus* albam ne defluat, & greſſum impediat, adſtringit. Varia fuit ſemper cingulorum materies, varius ornatus, & color. Apud UGHELI. *Ital. ſacr. T. VII. p.* 1275. FALIO *Vigilienſis* Judex donaſſe legitur Eccleſiae S. MARGARITAE *unam Zonam de ſeta rubea;* RICULPHUS vero *Helenenſis* Epiſcopus in ſuo Teſtamento, quod extat in BALUZ. append. ad REGINON. legavit *Zonas quinque, unam cum auro, & gemmis pretioſis, alias quatuor cum auro.*

CIRCITORIA, de quibus LEO Oſtienſis *lib. III. Chron. cap.* 57. & Petrus Diaconus *lib. IV. Chron. Caſ. c.* 13., vela erant operis phrygii, auro, gemmiſque ornata, quibus altaris frons veſtiebatur. Pallium nunc dicimus.

V. PAL-

Digitized by Google

V. Palla, Pallium. CANGIUS vela interpretatur, licet ſubdubitans, Quadrageſimalia, quibus, dum ſacra Liturgia peragebarur, altaris conſpectus Quadrageſimae tempore prohibebatur. Verum, ut recte animadvertit P. Cajetanus M. CAPYCIUS in erudita Diatriba *de vetuſto altaris pallio p. 39.*, vix hujuſmodi Quadrageſimalia pallia tam pretioſi operis fuiſſe aliquis ſibi perſuadeat.

CIRCULARES epiſtolae, ſeu Encyclicae; quae a Synodo vel Papa ſcribuntur ad totam Eccleſiam, & hae etiam vocantur *Catholicae*. De his prolixam diſſertationem BENCINIUS edidit.

CIRCULUS PORPHYRETICUS, qui a BURCHARDO *lapis porphyreticus*, & a CENCIO Camerario in *ord. Rom. XII. cap. 39. §. 64. Rota porphyretica* dicitur, lapis marmoreus orbicularis eſt, in pavimento Baſilicae *Vaticanae* poſitus, deſignabatque ſitum ſeu locum, in quo functiones quaedam a Pontifice peragebantur. Exſtant hodieque hujuſmodi lapides porphyretici non modo in ipſa *Vaticana* Baſilica, ſed & in aliis urbis Eccleſiis. Confer TURRIGIUM *de cryptis Vatican. cap.* 8. & egregium, ſi quando prodierit, Franciſci CANCELLERII *de novae ac veteris Baſilicae Vaticanae Secretariis* ſyntagma, ubi praeter antiquos Rituales libros inſignem *de rota porphyretica* GRIMALDI locum recitat. Vide infra Pavimentum.

CIRCUMCISIO *Domini*. Ineunte ſeptimo ſaeculo, *Gotho-Hiſpani* Kalendis Januarii novum annum cum jejunio incipiebant. *Concil. Toler. IV. Can. XI.* & S. ISIDORUS *de offic. lib. I. c.* 40. & ad veſperam Miſſam Circumciſionis celebrabant. *Orat. Goth. pag.* 46. Idem mos in *Gallia* ſervabatur. *Concil. Turonenſ. II. can.* 17. Sed ante mortem S. ISIDORI, quae anno DCXXXVI. contigit, Kalendis Januarii ſolemnitas Circumciſionis celebrari coepit, S. ISIDORUS *Reg. man. cap.* 12. quae circa medium hujus ſeptimi ſaeculi legibus *Wiſigothorum* inter praecipuas feſtivitates, quibus etiam forum vacabat, relata eſt, *Cod. Wiſigoth. l. 2. T. I. l. 11. & lib. 12. tit. 4. l. 6.* ante quam Epocham difficile erit invenire hujus ſolemnitatis certum aliquod teſtimonium. Nam Concilium *Turonenſe* 2. *Can.* 17. aperte Kalendas Januarii de feſtorum numero excipit, & ſtatuta Eccleſiae *Rhemenſis* apud LABBE *Concilior. Tom. V. col.* 1693. quae SONNATIO Epiſcopo, ei qui ann. DCXXV. Concilio *Rhemenſi* praefuit, tribuuntur, opus ſunt recentioris aevi, ut animadvertit P. LONGUEVAL, eruditus Hiſtoriae Eccleſiaſticae *Gallicanae* Scriptor. *Hiſt. Eccl. Gall. Tom. III. l. 9. p.* 459. *Ex Hiſpania* brevi in *Galliam*, inde in *Germaniam* feſtivitas Circumciſionis propagata eſt, ut probant ſtatuta S. BONIFACII *Germaniae* Apoſtoli & Martyris, *Spicil.* DACHER. *T. IX. p.* 66. quibus praeſcribitur, ut Circumciſio Domini Kalend. Januarii obſervetur immunis ab omni opere ſervili: & antea Miſſale *Gallo-Gothicum*, Sacramentarium *Bobienſe*, & Lectionarius *Luxovienſis Kal. Januarii* celebrant Circumciſionem Domini. Libri antiquiores Liturgici, & Martyrologia, vel *Octavas Domini*, ut *Gelaſianum* Em. THOMASII, & *Ambroſianum* PAMELII, vel *Circumciſionem Domini*, ut Miſſale & Breviarium *Mozarabum*, vel utrumque, ut pleraque Martyrologia, commemorant. Ceterum qui Circumciſionis myſterium diſtincte colunt, non pauca de Incarnatione, de Infantia Chriſti, & de Octavis Nativitatis miſcent; ii vero, qui Octavarum

Domini

Domini diem celebrant, Circumciſionem non praetermittunt, & in omnibus vetuſtioribus Liturgiis hac die aliqua invenire eſt, quibus Fidelium mentes contra profanos Paganorum ritus praemuniantur.

CLAMOR *pro tribulatione inter Miſſarum ſolemnia*. Quomodo fieret hic clamor, quique forent ejus ritus, docet MARTENE *loc. c. p. 869.* ex Conſuetudinibus *Farfenſibus* hoc pacto. „ Ad Miſſam principalem jam dicta „ Oratione Dominica, Miniſtri Eccleſiae cooperiant pavimentum ante al- „ tare cilicio, & deſuper ponant Crucifixum, & Textum Evangeliorum, & „ Corpora Sanctorum: & omnis Clerus in pavimento proſtratus jaceat, ca- „ nendo Pſalmum: *Ut quid Deus repuliſti in finem* ſub ſilentio. Interim duo „ ſignacula percutiantur ab Eccleſiae cuſtodibus, ſoluſque Sacerdos ſtet ante „ Dominicum Corpus, & Sanguinem noviter conſecratum, & ante praedi- „ ctas Reliquias Sanctorum, & alta voce incipiant hunc clamorem dicere: „ *Oſtende nobis Domine &c. (ſequuntur preces)*. Quo clamore facto, repor- „ tentur Reliquiae ſuis locis, & dicat Sacerdos ſub ſilentio Collectam: *Li-* „ *bera nos &c.* „

CLAMASTERII, ſeu *Clamaſterii*, quorum meminit liber Pontificalis *Tom. III. p. 75.*, tintinnabula erant argentea e coronis argenteis ornatus cauſſa pendentia. CANGIUS bullas interpretatur, vel alios ornatus e lychnis pendentes, atque legendum putat *Cremaſterios*.

CLARIFICARE *Reſponſum*, praecinere, inchoare reſponſorium. *Hebdomadarius Melodiae primum clarificet reſponſum: reliqua vero Reſponſoria a junioribus ad priores derivare debent*. MARTENE *lib. II. de ant. Monach. ritib. cap. 1.*

CLASSICUM, plurium Campanarum pulſatio. In Mſ. Rituali *Turonenſi* apud MARTENE: *Illis chorum intrantibus ſonant Claſſicum campanarum chori*. Huc ſpectat *Claſſicum tabularum*, cujus meminit BERNARDUS *Ordin. Cluniac. P. I. cap. 67.*, nempe pulſatio plurium tabularum, ſeu majoris illius ligni, quo in Paraſceve ad Officium divinum ſignum datur.

CLAVES S. PETRI, Claves aureae inſtar illarum, quibus Confeſſio S. PETRI claudebatur, efficte cum limatura catenarum ejuſdem Principis Apoſtolorum in illis incluſa, quas *Romani* Pontifices ad Reges, & Principes pro ingenti munere mittere conſueverant. Hujuſmodi CLAVES ad CAROLUM *Martellum* GREGORIUS III., atque ad CAROLUM M. miſit LEO III. Vide etiam GREGORIUM VII. *lib. VI. ep. 7.*, & GREGOR. Turon. *lib. 1. de mirac. cap. 28.* Alia dabit Cl. MONSACRATUS *de Catenis* S. PETRI §. 6. Cur autem Romani Pontifices Claves potiſſimum mittere conſueverint, facile intelliget quicumque norit, Claves praecipuum illorum, Romanaeque Eccleſiae inſigne fuiſſe in Clavium B. PETRO a Chriſto traditarum memoriam. Conſule Illuſtriſſ. GARAMPIUM in *Carfagnanae* ſigillum *p. 107. ſeqq.* Ceterum JOH. quoque *Hieroſolymit.* Patriarcha ad CAROLUM M. claves miſit Locorum Sanctorum, ut tradunt Annales *Francorum*, & Monachus *Engoliſmenſis* apud CENNIUM *Tom. II. Cod. Carol. p. 12.*

CLAVIGER dicitur S. PETRUS, quia Regni Caelorum claves Chriſtus Dominus ei tradidit, & ligandi, ſolvendique ampliſſimam poteſtatem, quae in ejuſdem PETRI Succeſſoribus, nempe *Romanis* Pontificibus manet.

Digitized by Google

Quamobrem S. THEODORUS *Studita* LEONEM III. *Regni Caelorum Clavigerum* appellat *lib. I. epiſt. 33. & lib. II. ep. 12.* & PASCHALEM I. *Claves Chriſti* adcepiſſe ſcribit *ab eodem Chriſto per Apoſtolorum Antiſtitem, & per eos, qui ſucceſſione praeceſſerunt, ac Romanam Eccleſiam eſſe primariam ſedem, in qua Chriſtus poſuit* Claves fidei. Vide ARCHICLAVUS.

CLERICAE LITTERAE a D. CYPRIANO vocantur *ep. IV. Pamel.* edit. illae, quae a Clero ſcribi ſolent, Sede vacante.

CLERICI. ISIDOR. *lib. VII. Origin. cap. 12. Generaliter autem Clerici nuncupantur omnes, qui in Eccleſia Chriſti deſerviunt; quorum gradus & nomina haec ſunt: Oſtiarius, Pſalmiſta, Lector &c.* Antiquius id nomen eſt, quam Proteſtantes, & ſeveriores aliqui Critici contendant, ex ipſiſque Apoſtolicis Actibus ductum. Vide MAZZOCHIUM *in Kal. Neap. Tom. I. p. 253.*

Clerici PARVULI, forſitan ſola prima tonſura initiati: PURICELLUS *monum. Baſil. Ambroſ. p.* 428. refert Teſtamentum TADELBERTI confectum a. MLIII. pro *Ambroſiano* Monaſterio, ubi inter alia habetur: *Magiſtro Scholarum ſex denarios: uni Lectori quatuor: alteri ſimiliter: ei vero, qui cantat pſalmellum, denarios duos: aliis Parvulis Clericis cantantibus in Choro panem, & vinum ſecundum conſuetudinem feſtivitatum.* In Veneta ditione Clerici Minores communi vocabulo *Zaghi* nuncupantur; non quaſi *ſaggi, ſapientes*, ut conjicit GALLICCIOLLIUS *Iſagog. Liturg. p.* 224., ſed veluti Miniſtri, ac Diaconi, ex pervulgata ſyllabae *Dia* in *Za* commutatione; unde in veteri Chriſtiano lapide *Zaconus* pro *Diaconus*. Alicubi ii quoque qui tonſurati quum non ſint, ex condicto tamen ad Miſſam miniſtrant, Clericorum nomine donantur. Vide *Miniſteriales*. *Clericus* ſequiore aevo vir litteratus audiebat, etſi ſacrae militiae adſcriptus non erat. Vide infra LAICUS.

Clerici PAUPERES vocabantur, qui feria V. in Coëna Domini pro faciendo mandato vocati fuerant. Conſuetud. S. GERMANI: *Hebdomadarius Miſſae matutinalis ibit celebratum ad altare Sanctae Crucis, quam Miſſam una cum Miniſtris in* Vincentiano *Monaſterio cantabant Pauperes Clerici.*

CLINICI, Catechumeni qui ſalutis aeternae obtentu Baptiſmum in ultimam aegritudinem differebant; dicti etiam contemptus cauſſa *grabatarii*, & *lecticarii*. *Canon. XII. Neocaeſarienſ. Concilii* ann. CCCXIV. illum a Sacerdotio excludit, qui aegrotus fuerit *illuminatus*, ideſt baptizatus, eo quia per acediam, & ſalutis animae ſuae neglectum in id temporis baptiſmum diſtulerit. CORNELIUS quoque Papa ann. CCLV. in epiſt. ad FABIUM *Antiochenum*, relata ab EUSEBIO *lib. 6. hiſt. Eccl. cap. 35.*, diſerte adſerit, NOVATIANUM non potuiſſe conſecrari Epiſcopum, quia non licet baptizatos in lecto adſumere in Clerum. Praeterea Concilium *Pariſienſe* ann. DCCCXXIX. *Can.* 8. vetuit, ne in aegritudine baptizati in Clerum *cooptentur*.

CLOCCA, barbara vox, quae ad campanas denotandas octavo ſaeculo primum audiri coepit. Ea utitur S. BONIFACIUS *Moguntinus ep. 9.* Scribitur etiam *Glogga* in vita S. STURMII Abb. *Fuldenſis*, & *Clochum* in vita S. LIOBAE Abbatiſſae.

COCHLEAR. *Graeci* antiquitus non cochlearia, ſed forcipes aureas (Gr. λαβίδας) ad tangendam reverentiae cauſſa Euchariſtiam adhibebant.

Hinc

Digitized by Google

Hinc *divinam forcipem* S. THEOPHANES nominat *ep. 3.* Nunc λαβὶς *Graecis* eſt cochlear, quo ad Communionem fidelibus porrigendam utuntur. Apud Latinos cochlear quoque a Sacerdotibus adhibitum ad aquam in calice ponendam docet Ordinarium *Burſfuldenſe* apud MARTENE *lib. 2. c. 4. Diaconus miniſtrans panem ſuper patenam, & vinum in calice ..... miſceat Abbas per ſe, & fiat mixtura cum parvo cochleari in omni Miſſa:* & infra: *Presbyter ſumpto parvo cochleari paullulum aquae ſimiliter infundat.*

COCLERIUM, aut CLOCHERIUM, Turris campanaria. Vide FALCONIS chronicon ad ann. 1102.

COEMETERIUM κοιμητήριον, latine dormitorium, a κοιμάω dormio: Coemeteria ſunt dormitoria mortuorum; qui ab Eccleſia ideo *dormientes* vocantur, quia excitandi, & reſurrecturi non dubitantur. Coemeteria deſcribuntur a S. HIERONYMO in Ezech. *cap.* 4. & a PRUDENTIO in hymno de S. HIPPOLYTO M. V. CATACUMBAE.

COENA Euchariſtiam deſignat *I. Cor. XI.* 20., quod tamen nonnulli ex noſtris Theologis, ut GENEBRARDUS, SANCTESIUS, & VASQUEZ negant. Patres & illud uſurpant, ſed plerumque aliquid addunt. Sic dicitur a TERTULL. lib. *de ſpectac. Coena Domini*; ab ELIGIO *Noviomenſi* hom. 10. *Coena Domini*, a S. CHRYSOSTOMO hom. de JOB, & ABRAHAM *Coena Dominicarum Carnium*, & hom. 24. & 26. 1. ad Cor. *Coena myſtica*. Feria V. in Coena Domini magni hujus myſterii inſtitutio ab Eccleſia recolitur. Hinc ante medium quinti ſaeculi denominabatur *Natalis Calicis*, ut ex Calendario apud BOLLAND. Tom. VII. Junii pag. 178. habemus. Rationem reddit S. ELIGIUS Noviomenſis (in Bi-*bl. Patr. Colon. T. VII.* editus) *hom. X. de Coena Domini*, ubi haec habet: *vocatur enim haec dies Coena Domini, vocatur & Natalis Calicis, & merito, quia hac die myſticum paſcha Dominus cum diſcipulis ſuis celebrans, Sacramenta Corporis, & Sanguinis ſui illis, atque illos nobis tradidit, & ipſe celebrationis initium fecit.* In aliquibus locis olim hac die Jejunium Quadrageſimale ſolvebant ſolemnitatis cauſſa, & in aliis, quia feria quinta omnino non jejunabant. ATTO *Vercellens. Capitular. cap.* 70. S. AUGUSTINUS *epiſt. LIV.* ad JANUARIUM. *Priſcillianiſtae* in contemptum Dominicae Paſſionis non modo hac die ſolvebant Jejunium Quadrageſimae, ſed Miſſas defunctorum celebrabant. Hoc Concilium *Braccarenſe* Can. 16. repreſſit ſtatuens: *ſiquis feria Paſchali, quae eſt Coena Domini, hora legitima, poſt Nonam jejunus in Eccleſia Miſſas non tenet, ſed ſecundum ſectam Priſcilliani feſtivitatem Diei, ab hora tertia, per Miſſas defunctorum, ſoluto jejunio, colit, anathema ſit.* Ad hunc abuſum ex *Hiſpania* penitus exterminandum in Codice Canonum Eccleſiae *Goto-Hiſpanae lib. XIV. Tit. XIX.* nonnulla leguntur Conciliorum decreta. Jam vero ex S. ISIDORO *Off. lib. I. cap.* 27. hac die conficiebatur ſanctum chriſma, Epiſcopus pedes Subditorum ſuorum lavabat, altaria, vaſa ſacra, Templorum pavimenta, & parietes lavabantur. Oſtia Baptiſterii ex decreto Concilii XVII. *Toletani can.* 2. aperiebantur, Miſſa quoque poſt Nonam, in qua fideles omnes communicabant, celebrebatur. Sed de his, aliiſque hujus diei apud varias Eccleſias ritibus conſulendi MARTENIUS, & BENEDICTUS XIV. *de Feſt. lib. I. cap. 6.*

COENOBIUM (*κοινόβιος* communis vita) locus ubi in communi vivitur : hinc *Coenobiarcha*, qui praeeſt ſic viventibus.

COLATORIUM, ſeu COLUM immo & COLA, & COLTORIUM (vide *Veterem diſciplinam Monaſticam p.* 242. *&* 523.) vas erat imo fundo ſubtiliſſimis foraminibus pertuſum, per quod vinum pro Sacrificio in calicem infundebatur. Multa ex veterum monumentis de *colo*, & *colatorio* argenteo, & aureo, ſeu deaurato tibi ſuggeret CANGIUS, & BLANCHINIUS *Tom. II.* ANASTASII *p.* 179. Inſtar acerrae efformatum fuiſſe, ac *Syon* quoque, ſeu *Sion* appellatum fuiſſe docent geſta HUGONIS Epiſc. *Cenomanenſis* a. MCXLII. defuncti *cap.* 37. *Aliud dedit vaſculum gemmulis undique ſeptum nitentibus, acerrae exprimens ſimilitudinem, ſi non ab inferiori capite modice falcato, unci ſpeciem retineret. Per hoc forate ſubtiliſſime vinum quandoque funditur in Calicem, ne pili, ſive quae immunda aer movet agitabilis valeant admiſceri.* Syon *antiquorum vocavit docta diſcretio, & a Subdiacono feſtive geritur pro manipulo.* In vulgato item ordine Romano legimus : *Archiſubdiaconus quippe, ut Evangelium ab omnibus clericis deoſculatum, ſuper altare depoſuerit, accipiet calicem ab acolytho, Archidiacono apportet vinum per* colum, *quod in ſiniſtra manu Romanus ordo Archiſubdiaconum auriculari digito ferre jubet, purgandum. Quod utique vas in id opus ex aliquo metallo formatum, in medio ſui plurima quaſi acus foramina, ad excolandum vinum oſtendit : & illud Archiſubdiaconus per totum Miſſae officium in ſiniſtra manu, illo quo praediximus digito, anulo ſuſpenſum portaturus eſt.* Inſtar cochlearis quoque aliquando erat hujuſmodi colatorium ; aliquando inſtar ſcutellae, ut ex BONA ipſa melius purgaretur, & aptior eſſet ad ſacrificium. In Conſtitutionibus S. WILHELMI Abbatis *Hirſaugienſis lib. II. cap.* 34. *Diaconus accepta cola aquam calici per eam infundit.*

COLLATIO veſpertina diebus jejunii. Fuit ea primis Chriſtianae Eccleſiae ſaeculis ignota. Nono autem ſaeculo Monachis indultum fuit, ut in jejuniis non Regularibus modo, ſed etiam Eccleſiaſticis ante Completorium potum ſumere poſſent. Haec prima collatiunculae veſpertinae origo. Sequentibus ſaeculis paullatim potui aliquid cibi additum fuit. Vide hiſtoriam jejunii a *Benedictino* DE L' ISLE conſcriptam *lib. IV. cap.* 1. Hoc tamen notandum XV. ſaeculo ita collationis uſum obtinuiſſe, ut ne arctioris quidem vitae ſtudioſiſſimi quique ab ea abſtinerent ; ejuſmodi fuit B. HELENA Auguſtinienſis a. MCCCCLVIII. demortua, ut ex Mſ. ejus vita GARAMPIUS Praeſul numquam mihi ſine laude nominandus docet in vita B. CLARAE *Ariminenſis pag.* 197. Collationis nomen huic refectiunculae inditum fuit.

COLLECTA ſaepe ſumitur pro hominum multitudine in unum congregata, ut in Capitul. CAROLI M. *lib.* 3. *c.* 74. *& lib.* 5. *cap.* 150. & verius pro conventu fidelium. Hinc TERTULLIAN. *lib. de fuga in perſequut. ſed quomodo* COLLIGEMUS? *Quomodo Dominica ſolemnia celebrabimus? Poſtremo ſi colligere interdiu non potes, habes noctem.* HIERONYMUS *quoque in Epitaph.* PAULLAE : *poſt alleluja cantatum, quo ſigno vocabantur ad collectam.* PACHOMIUS Abb. Reg. *cap.* 17. *In die Dominica, in collecta, in qua eſt offerenda oblatio.*

Inter-

Interdum ſumitur pro eleemoſynis, quae intra Miſſarum ſolemnia indicebantur: 1. *Cor.* 16. JUSTIN. *apol.* 2. TERTULL. *apol. c.* 39. CYPRIAN. *ep.* 60. ad JANUAR.

Praecipue vero adcipitur pro brevi oratione, quam Sacerdos ſalutato populo recitat. De Collectarum concluſionibus vide BONAM *lib.* 2. *cap.* 5. *&* 6. Vide Benedictio. Decuria.

Tandem ipſum Sacrum ſignificat. AUGUST. *in Brevi. collat.* cum *Donatiſt.* in collat. tertiae diei: *Confitebantur, ſe collectam, & Dominicum egiſſe.*

COLLECTANEUM: Codex, in quo Collectae continentur. *Prior, quando viderit competere, mittat Sacerdotem cum Collectaneo, & ſtola.* Vide *Biblioth. noſtrae Ritual. Vol. I. pag.* 103.

COLLECTARIUS, ille, cujus erat populum cogere ad functiones ſacras. *Lib. uſuum Ciſter. cap.* 81. Significat etiam librum, ex quo collectae ſunt recitandae. V. BERNARDI Ordinem Cluniacenſem *P. I. cap.* 14.

COLLECTIO, brevis illa lectio e ſacris litteris ſumpta, quae in ſingulis officiis recitatur. Item orario Miſſae, ut in Miſſalibus *Gotico*, & *Gallicano*: *Collectio poſt nomina, collectio ad pacem, collectio poſt Eucharistiam.*

COLLIGERE abſolute, idem eſt quod collectas, & ſynaxes facere: TERTULLIANUS in lib. *de fuga in perſequut.* ſtatim initio capitis 14. *Sed quomodo* COLLIGEMUS, *inquit? Quomodo Dominica ſolemnia celebrabimus?* Adi MAZZOCHIUM in Kal. Neap. *T. I. p.* 218.

COLOBIUM, tunica ſine manicis, qua Sacerdotes ante translatas in uſum ſacrum caſulas induebantur. Manicas addiderunt *Romani*, quod brachiorum nuditas diſpliceret, vocaruntque *Dalmaticas manicatas*. Has poſtea Diaconis reliquerunt. Martyres olim ſepelliebantur aut cum *Dalmatica*, aut cum Colobio purpurato. Vide librum Pontificalem in S. EUTYCHIANO *T. I. p.* 65.

COLOR: colores, quibus communiter utitur Eccleſia tum in ſacrificio Miſſae, tum in aliis functionibus ſacris, ſunt quinque, ſcilicet Albus, Rubeus, Viridis, Violaceus, & Niger. Albus adhibetur in omnibus Feſtis Domini Noſtri JESU Chriſti, & in Feſtis B. V. MARIAE, Confeſſorum Pontificum, & non Pontificum, Virginum, & Viduarum: in Dominicis a Paſcha uſque ad Pentecoſten, & in feſto S. JOHANNIS BAPTISTAE, & Evangeliſtae, & in Octavis ſupradictorum dierum.

Color rubeus in Feſtis Pentecoſtes, & per Octavam uſque ad Sabbatum, in Feſtis Apoſtolorum, & Martyrum, & eorum octavis, & in octava Innocentium.

Color viridis in Dominicis poſt Epiphaniam uſque ad Septuageſimam; & a prima poſt Trinitatem uſque ad Adventum.

Color violaceus in Quadrageſima, in Adventu, in Feſto Innocentium, in benedictione Candelarum, in Proceſſione S. MARCI, & Rogationum, in feriis quatuor Temporum, in Miſſis votivis, tamen ſecundum ritum.

Color niger in Paraſceve, in Miſſis Defunctorum, & eorum Exequiis.

Praeter hos colores alium reperi, nempe *fuſcum* apud MARTENE *de antiquis Monachorum ritibus lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 2. *Diebus Dominicis, & privatis ad majorem Miſſam Sacerdos caſula utatur fuſcha.* De conſuetud. Quadrag.

drsg. ex lib. *conſuetud.* S. BENIGNI: Conſuetud. quoque *Cluniacen.* fer. 6. in Paraſceve: *Sacerdos indutus caſula fuſca ferens ſiniſtra miſſalem librum, Praesbyter cum Diacono induti Planetis fuſcis:* Ex Mſ. Divionenſi: *Sacerdos indutus caſula fuſca.*

Non idem tsmen colorum genus ſervatum fuiſſe in Monsſteriis antiquitus, patet ex cit. MARTENE. Nam *Colore rubro* in prima Miſſa Nativit. Domini veſtiti erant Sacerdotes, & Miniſtri *Corbejen.* & *Pariſien.* S. GERMANI Monaſter.

Colore rubro, ſeu purpureo in feſto Purificationis B. MARIAE in Candelarum benedictione veſtiebantur duo Sacerdotes. *De hinc duo Saeerdotes purpureis induti Planetis.*

Caſulis quoque purpureis induebstur Abbss *Caſſinenſis* in Miſſa ſolemni Dominicae Palmarum: & ex Conſuetud. S. BENIGNI *Divionen.* *Ad Miſſam Sacerdos auratis utitur veſtimentis, & caſula rubea aurata.* Ad Veſperas quoque ejuſdem diei Abbas ſolemniter illas decantans, Cappa rubea erat indutus, ex Conſuetud. *Dionyſianis:* & ex illis S. GERMANI *a Pratis*, qui cantabat Veſperas, habebat Cappam de Pallio albo. *Laudunenſes Monachi in Paramentis rubeis* feria quincta in Coena Domini cantabant. *Cappam rubeam* quoque in Monaſterio S. GERMANI induebat, qui Veſperas csntabat in Sabbato ante Dominicam in Albis, & in ipſa etiam Dominica. In Eccleſia eadem in Anniverſario DAGOBERTI Regis: *Miſſa debet ab Abbate celebrari ad Majus Altare, cum Diacono, & Subdiacono indutis Tunica, & Dalmatica ex Purpureo.*

Abbas Caſulas *Corbejenſes* indu[illegible] Adventus & etiam *San-Germanenſes: Saeerdos habens caſulam albam.* Ad Veſperas feriae quartae majoris hebdomadae *Abbas cantabat in Pallio albo.*

Nigro colore ſeu nigris caſulis aqusm benedicebsnt in Dominicis *Caſſinenſes*, illiſque induebantur in Dominica prima Adventus. *In nigris Planetis ad Miſſam procedunt.* Idem ſervabsnt in feſto *Innocentium: ad Miſſam Diaconus & Subdiaconus in nigris planetis incedant:* quod & praeſcribitur in Dominica Septuageſimae, in die Cinerum, & in diebus Rogstionum. De his coloribus ſelecta quaedam quaere spud GEORGIUM *de Liturg. Rom. Pontif. lib. II. capp. 9. & ſeqq.* Hanc quidem colorum varietatem Proteſtantes irrident; ſed eos SAZA in BONAM apte refellit.

COLUM V. Colatorium.

COLUMBA. Ssepius *columbae argenteae & aureae* in vetuſtis Eccleſiae monumentis occurrunt: Eae autem, ut MABILLONIUS notsvit *l. I. de Liturg. Gallic cap.* 4., ad triplicem uſum inſtitutae fuerunt, ſcilicet ad *figuram*, ſeu *myſterium*, *ad ornatum*, *& ad repoſitorium: pro ornatu*, & miſterio in Baptiſteriis, & in quibuſdam altaribus collocabantur; paſſim vero uſus earum erat ad *Euchariſtiam* continendam. Vide ROSWEYD. in *Not.* ad PAULLINI *ep. XII. p.* 789.

COLYMBETHRA eſt, qua in Baptiſterio aqua baptizsto ſuperfuſa per meatus, & aquaeductus in inferiorem locum, quem vocant *piſcinam*, ſecedit.

COMA BREVIS. Ea erat olim totius Eccleſiae occidentalis conſuetudo, ut

do, ut

do, ut comam fluentem ſtatim ponerent, qui ſe militiae ſacrae adcinxerant. PRUDENTIUS de S. CYPRIANO:

Deſlua Caeſaries compeſcitur ad breves capillos:

Et manent hujus moris veſtigia in ſacro ritu, quo fiunt Clerici. Epiſcopus enim quos cooptat, iis capillorum cincinnos hinc inde delibat, quae prima Tonſura nominatur, & Tonſi olim ejus gradus clerici. Olim enim revera tondebantur, nec poſtea integrum erat comam alere. Inde Concilii IV. Chartaginenſis *Can. XLIV. Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat.* SIRMONDUS ad SIDON. *lib. IV. ep.* 24. Vide Barba. Tonsura.

COMES, Liber Comitis. Charta *Cornutiana Evangelia IV., Apoſtolum, Pſalterium, & Comitem.* Ad quem locum obiter MABILLONIUS adnotavit, ex hac denominatione Libri *Comitis* vetuſtiſſimum nomen deſignari; quod ſi HIERONYMUM Auctorem non habet, aequalem tamen habet, aut ſupparem. Plerique enim Scriptores Liturgici hunc librum *Comitis* HIERONYMO adſcripſere, quod jampridem monuit *Jacobus* PAMELIUS in Prolegomenis ad ſecundum *Liturgicorum Latinorum* volumen. Eſt autem Liber Comitis, liber continens ſeriem lectionum, atque epiſtolarum, quae in Miſſarum celebratione locum habent. Conſule noſtram Bibliothecam Ritualem *Tom. I. pag. 36.*

COMMEMORATIO OMNIUM DEFUNCTORUM. Vide Defuncti.

COMMEMORATIO S. PAULLI 30. Junii; licet pridie hujus diei, tam PETRI, quam PAULLI acta ſit ſolemnis celebritas, tamen hac potiſſimum die ſolius PAULLI Commemorationem fieri debere ex Sancti GREGORII inſtitutione docet MICROLOGUS *Cap.* 42., cujus rei cauſſam prodit hymnus 12. PRUDENTII de Ss. PETRO & PAULLO Apoſtolis, ſub finem conſueviſſe nimirum *Romanum* Pontificem uno eodemque die Pontificias functiones in utraque Baſilica exercere: quum autem hoc propter nimiam locorum inter ſe diſtantiam, non ſine gravi, atque intolerabili labore perfici poſſe videretur, conſultius viſum eſt ſequenti die in Baſilica S. PAULLI ſacra peragere, uberiuſque perſolvere, quod pridie ea de cauſſa ibidem loci fuiſſet omiſſum.

COMMEMORATIONES Feriarum, vel Sanctorum ſunt, quae in officio diei currentis faciendae ſunt ad utraſque, vel ſaltem ad alterutras Veſperas, nec non ad Laudes. Sunt autem aliae Communes, quae & *Suffragia Sanctorum* dicuntur; aliae ſpeciales. Vide AZEVEDII *Exercitationes Liturgicas XVIII. & XXXIX.*

COMMEMORATORIUM. Vide Brevis.

COMMENDATORIAE EPISTOLAE, quae Clericis peregrinantibus dabantur a ſuo Epiſcopo.

COMMENTARIENSIS. Erat Carcerum cuſtos, qui in commentariolo conjectos in carcerem ſcribere ſolitus erat. Vide BARON. *in Martyrol. ad diem XXVII. Martii*, ubi & alia Commentarienſium genera percenſet.

COMMUNICALES, BULENGERO ſunt vaſa aurea, vel argentea, quae communicaturis adponebantur. BULENGERUM ſequi videtur CANGIUS. *De Communicalibus* ANASTASIUS in LEONE III. *Fecit vero Communicales ex argento puriſſimo per ſingulas Regiones, qui praecederent per ſtationes*

Digitized by Google

tiones per manus Acolythorum num. XXIV. penſ. ſimul lib. . . . . . „ An forte, „ inquit GEORGIUS *Tom. I. pag. CXIX.* Tabellae ſunt, velut menſulae, „ quae olim Euchariſtiam accepturis ſupponebantur, quemadmodum hodie „ linteamina, qua de re BARONIUS ad ann. LVII. §. 146. ex ATHA- „ NASIO, & *Joh.* CHRYSOSTOMO? Quid aliud ſibi velit haec vox, „ non bene diſpicio. MACRIUS *Communicales* putat eſſe vas, ſive cali- „ cem, in quo Sanguis Dominicus diſtribuebatur, at ſubinde ſententiam „ mutat „.

COMMUNICANTES, oratio eſt infra actionem, ſeu pars Canonis, eaque non Sanctorum communio, ut aliqui exiſtimarunt, ſignificatur; ſed fidelium, ut MICROLOGUS ſenſit *cap. 12.* Suadent id verba, quae ſummis feſtivitatibus interponuntur hoc modo: *Communicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes*, & paullo poſt: *ſed & memoriam venerantes*, ubi particula adverſativa *ſed* cum copula *&* diverſitatem importat. Refertur igitur *Communicantes* ad vocem praecedentem *offerimus*, vel *offerunt*, ut ſenſus ſit: *offerimus inter nos communicantes in hoc unitatis ſigno*, quo nomine hoſtiae oblationem Tridentinum Concilium denotavit: *Seſſ. XIII. cap. 8.*; *diemque celebrantes; ſed & praeterea memoriam venerantes &c.*

COMMUNICATORIAE EPISTOLAE. Vide Formatae.

COMMUNIO ECCLESIASTICA. Tot ejus genera erant, quot ordinum gradus. Aliter enim inter ſe, & cum aliis Clerici minores, aliter Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi communicabant. Quum enim aliquis ob aliquod delictum Ordinis ſui munia exercere non poſſet, is Communione privari dicebatur, quia cum aliis in his, quae ſui ordinis erant, communicare vetitum erat. Si autem perpetua depoſitione a ſui gradus honore removebatur, omne jus Communionis Eccleſiaſticae amittebat, & laicos inter relegatus, ipſorum tantum Communione fruebatur, ideſt extra Altaris ſepta Laicorum more.

COMMUNIO LAICA erat jus Societatis, & Communicationis cum reliquis fidelibus in rebus tam Eccleſiaſticis, quam civilibus, Laicorum more: ex quo conſequens erat, ut Clerici ad eam damnari, & aliquando a gradu dejecti, in ordinem plebis redigerentur: unde fit ut Communio laica, quae Laicis honor erat, Eccleſiaſticis eſſet dedecus; illis enim in poenam irrogabatur.

COMMUNIO PEREGRINA quaenam fuerit, inter doctos viros non convenit. Receptior tamen ſententia eſt tunc mulctatos fuiſſe Clericos Communione peregrina, quando in eo ſtatu, & loco collocabantur, in quo poni ſolebant Clerici peregrini, ideſt, qui ſine litteris commendatitiis, quas *Formatas* vocabant, nunc autem *Dimiſſoriales*, peregrinabantur, benigne tamen excipiebantur, ſumptibus Eccleſiae alebantur, Clericorum tamen nullus eum illis, tamquam cum Clericis communicabat, nec ullus Ordinis ſui muneribus fungebatur. Hujus Communionis Peregrinae meminit *Agatherſe* Concil. Can. 2. *Contumacibus Clericis, qui prioris gradus elati ſuperbia, Communionem fortaſſis contempſerint, aut Eccleſiam frequentare, vel officium ſuum implere neglexerint, Peregrina Communio tribuatur, itaut quum eos poenitentia correxerit, reſcripti in matricula, gradum ſuum dignitatemque recipiant.*

COM-

COMMUNIO, & COMMUNIO PACIS, Abſolutio. Vide Reconciliatio Poenitentium.

COMMUNIO per *Eulogias*. Vide Eulogiae.

COMMUNIO EUCHARISTICA. Hoc nomine ipſum, quo conficitur Euchariſtia, Sacrificium aliquando deſignatur, cum primis autem ejus uſus. V. DAMASCEN. *lib. IV. de fide Orthod. cap.* 14. Ad ritus porro, qui ad Euchariſtiae uſum ſpectant, tribus modis apud *Orientales* Euchariſtia diſtribui ſolet. Primo ſimpliciter, & magis ad antiquiſſimum morem Corpus Chriſti praebetur, & poſtea calix, ex quo qui communicat, bibit. Ita communicant Sacerdos celebrans, & alter qui vocatur miniſtrans, ſeu, ut dicunt Rituales noſtri, Presbyter adſiſtens, Diaconuſque miniſterio fungens; tum Epiſcopus ſi adſit, nec ipſe celebret. Secundus modus eſt, ut Corpus Chriſti praebeatur a Sacerdote, Sanguis a Diacono, qui calicem tenet; atque ex eo guttam cochleari praebet Sacerdotibus, & aliis primi ordinis Eccleſiaſticis. Tertius eſt Communio intincta, ſcilicet ex fractis majoribus Hoſtiae partibus plures particulae in calicem immittuntur, quas cochleari ſacro ad id tantum adhibito praebet Diaconus; atque hac ratione ſecundi ordinis Eccleſiaſticis & Laicis Communio diſtribuitur.

Quod ad *Occidentales* pertinet, more antiquo Diaconus Calicem populo Communicanti porrigebat. S. CYPRIANUS *de lapſ.*, S. AMBROS. *lib. I. de offic. c.* 41. nec tantum Sanguinem, ſed aliquando Corpus quoque Chriſti tradebant Diaconi Communicantibus. JUSTINUS *Apol.* 2., Concilium *Ancyranum* Can. 2. hunc morem aperte indicat. Sed a Concilio *Nicaeno* Can. 18. al. 16., *Arelatenſi II.* Can. 15., & *Carthaginenſi IV.* Can. 38. vetitum fuit, ne Diaconi aut Presbyteris traderent, aut aliis traderent, praeſente Presbytero. Manſit tamen Diaconis jus tradendi Calicis ſaltem *Romae*, in *Hiſpania*, & in omni *Occidente*. S. ISIDORUS *de officiis lib.* 2. *cap.* 8. ſcribit: *ipſis enim Sacerdotibus non licet a Menſa Domini tollere Calicem, niſi eis traditus ſit a Diacono.* *Romae*, & in aliis quibuſdam Eccleſiis Epiſcopi non ad altare, ſed ad Sedem Corpus Chriſti, & Sanguinem ſumebant. Sumpto autem Corpore Domini, Archidiaconus Calicem deferebat ad Sedem Pontificalem, & ante Pontificem manibus tenebat; e quo Pontifex *fiſtula*, ſeu *calamo*, aut *pipa* ex auro, vel argento Sanguinem ſumebat. Ordo *Romanus VI.* apud MABILLONIUM *Muſ. Ital. Tom. II. pag.* 75. *Ipſe autem Diaconus tenens Calicem, & fiſtulam ſtet ante Epiſcopum uſque dum ex Sanguine, & Corpore Chriſti, quantum voluerit, ſumat.* Et HONORIUS *Auguſtodunenſis lib.* 1. *c.* 63. ait: *Diaconus Calicem tenet dum Papa Sanguinem ſumit.* Haec, & nihil aliud innuunt Ordines *Romani*; primus ibid. *pag.* 14. quum ait: *Et Pontifex confirmatur ab Archidiacono.* Tertius vero ibid. *pag.* 59. diſtinctius quum ait: *& ipſe Pontifex confirmatur ab Archidiacono de Calice Sancto.* Lege ſi vacat Cl. GEORGIUM *de Liturg. Rom. Pontif. Tom. diſquiſit. de ſacro Miniſterio cap.* 18. *& Tom. III. cap.* 18. *pag.* 164. *& ſeq.* Modum communicandi in *Hiſpania* Concilium *Toletanum IV. Can.* 18. conſtituit. Quod ad rem praeſentem ſpectat, Epiſcopus ante Altare Sacerdotes & Diaconos communicabat, Clerum vero in Choro, extra Chorum in Senatorio, & Matroneo ſplendidiores Civium utriuſque ſexus; populum ve-

ro Presbyteri Corpore Domini reficiebant. Iis autem, quibus Epiſcopus Corpus Domini tradiderat, Calicem porrigebat Archidiaconus, reliquo populo Diaconi.

Formula, qua in praebenda Populo Euchariſtica Communione utimur, unum Corpus D. N. Jeſu Chriſti diſerte appellat; quod & apud antiquiores in uſu fuiſſe docent MENARDUS, BONA, MARTENE, aliique paſſim. Nec mirum Sanguinem concepto verbo non memorari; Fideles enim, praeſertim poſt abolitum Calicis uſum, norunt, ſe cum Corpore Chriſti ejus quoque Sanguinem ſumere. Ceterum non ſolum in Miſſali XII. ſaeculi apud GEORGIUM *de Liturg. R. P. T. III. p. 536.* atque in Peruſino Codice, de quo Illmus GARAMPIUS de B. CLARA Arimin. *p.* 191., ſed etiam in opuſcolo *de officio Sacerdotis* inter S. THOMAE *Aquinatis* opuſcula num. LXV. monetur Sacerdos, ut ſacram particulam porrigens dicat: CORPUS, ET SANGUIS *Domini noſtri Jeſu Chriſti conſervet, & cuſtodiat te in vitam aeternam*. Nempe quo haec ſcribebantur tempore, calicis uſus fuerat in Eccleſiis, ad quas Liturgici ii libri, Auctorque indicati opuſculi ſpectabant, populo non multo antea interdictus. Quare ut ejuſdem populi inſtitutioni, & fidei conſuleretur, diſſerta Sanguinis mentio a Sacerdote hoſtiam praebente tunc prudentiſſime injicebatur, ne adcipientibus ulla ſuboriretur dubitatio, amoto jam calice, ſe ſe Dominico Sanguine privari. Vide EUCHARISTIAE ADMINISTRATIO.

COMMUNIO INFIRMORUM. V. INFIRMORUM COMMUNIO

COMMUNIO MORTUORUM. V. MORTUORUM COMMUNIO

COMMUNIO PUERORUM. V. PUERORUM COMMUNIO.

COMMUNIO Antiphonam quoque ſignificat, quae in choro cantabatur, dum fideles communicabant. Hinc in Antiphonario *Gregoriano* inſcribitur Antiphona ad Communionem, & in Miſſali *Mozarabum* Antiphona *ad accedentes*. *Ritu Ambroſiano* vocatur *Tranſitorium*, tunc enim Sacerdos a cornu Evangelii tranſit ad illud Epiſtolae. Confer LESLAEUM ad indicatum Miſſale *Mozarab. pag.* 157.

COMPAGI, *& compaga, compagia* pro caligis adcipiuntur in Ord. Rom. Tit. *de ordinat. Epiſc. Induunt Electum Compagos, ſandalia &c.* Ceterum communius pro ſandaliis ſumuntur. Eorum uſum aliquando a Summis Pontificibus conceſſum fuiſſe Diaconis docet S. GREGORIUS M. *lib. VII. ep.* 28. *ad Joh. Syracus. Hinc* PAPIAS *Compagos* eſſe ait *genus calceamenti, quo utebantur Diaconi Romani, vel quibus a Pontifice licentia daretur*.

COMPETENTES. Ex quo Competentes erant, *Subſcripti* etiam Catechumeni dicebantur. Confer ENNODII epigramma XXXVI., in illudque SIRMONDI adnotationem. Vide etiam CATECHUMENI.

COMPLENDA ſive oratio ad complendum, eſt illa Antiphona, & oratio, quae poſt ſumptionem Sacramenti, manuumque Lotionem dicitur a Sacerdote. *Finita Antiphona, ſurgit Pontifex cum Archidiacono, & veniens ad Altare dat orationem ad Complendum*. Poſtcommunio appellatur in *Gregoriano* libro Sacramentorum; eaque olim *benedictionis* nomine paſſim deſignabatur, ut diſerte tradit STRABO in fine *cap.* 22. Vide POST COMMUNIONEM.

COMPLETORIUM poſtrema inter horas Canonicas ſic dicta, vel quia diei

Digitized by Google

diei curſus, noſtraeque ſervitutis penſum hac hora completur; vel quia in illa eſus, potus, & alia ad Corporis ſuſtentationem neceſſaria complentur, & conſummantur. Ordo autem Completorii Monachis debetur. Hinc *Romano* more Completorium incipit a *Jube* cum Lectione, quemadmodum ſtatuerat S. BENEDICTUS, ut veſpere ad Collationem habendam, cui initium dabat lectio, conveniendum eſſet. Poſtquam vero per horae ſpatium lectio facta fuerat, Praepoſitus, ut finis imponeretur, ſignum edebat dicens: *Tu autem*, Lector autem reſpondebat: *Tu autem Domine.... Miſerere*. Porro haec lectio, ſive Collatio ſub clauſtro, vel in Capitulo fiebat; & ad ejus finem Prior dicebat: *Adjutorium noſtrum*; inde ad Eccleſiam ibant, atque ibi quilibet conſcientiam ſuam ſcrutabatur, ſignoque accepto a Priore invicem, confitebantur dicentes: *Confiteor*, poſtea *Miſereatur* juxta Regulae praeceptum: *Dicunt omnes quilibet cum ſocio Confiteor*, cui reſpondebant, *Miſereatur tui*. *Romae* tribus ante Paſcha diebus Completorium a *Confiteor* incipit: ea quae praecedunt, in choro non dicuntur; atque reliquo anni tempore Monachorum Collationi Capitulum ex epiſtola S. PETRI ſubſtitutum fuit; quae lectio, uti in pluribus Ordinibus Monaſticis adnotatur, ab iis recitabatur, qui Completorium extra chorum abſolvebant; Lectio brevis extra chorum, *Fratres, ſobrii eſtote*. Oratio Dominica ante Completorium in recentioribus tantum Monaſticis Conſtitutionibus reperitur. Nam PIUS IV. eam Breviario *Romano* inſeruit, & ſecreto recitari juſſit, ut doceret, eam non eſſe officii partem, neque unquam eo loco recitatam fuiſſe. Loco *Confiteor* in S. FRUCTUOSI Regula *c.* 2. ſtatutum eſt, ut poſt Completorium venia invicem petatur, priuſquam cubitum eatur: *Recepto nocturno ſilentio, vale facientes invicem & reconciliationi, ac ſatisfactioni alterutrum inſiſtentes laxant mutuo debita*. Hinc *Pariſiis*, atque in pluribus aliis Eccleſiis *Confiteor* ad finem eſt Completorii, non vero ad initium, ut in *Romano* officio. Verſiculus *Converte nos* novum eſt additamentum. Nam S. BENEDICTUS incipit *a Deus in adjutorium*, atque *Converte nos* ſequebatur poſt *Miſereatur*, & *Indulgentiam*; quare quidam Ordines praecipiunt ut praetermittatur, quando *Confiteor* non dicitur. Hinc *Romae* ſubmiſſa voce canitur, quae ad *Deus in adjutorium* tantum altius extollitur.

COMPLETUM, idem quod Completorium: *Recepto ſilentio nocturno, cum reverentia intrent oratorium ad Completum*. Ordo Converſat. Monaſticae.

COMPOTUM. REGINONIS Inquiſitio *n.* 92. *Si compotum minorem, ideſt Epactas concurrentes regulares, terminos Paſchales, & reliquos ſapiat*. Capitula HERARDI Cap. CXXV. *Ut Presbyteri compotum diſcant*. Iſtud ſumma cura tum providebant Epiſcopi, ut nullus Presbyterorum ignoraret computum. Nimirum ut eo pacto invenire facile poſſent epactas concurrentes, litteras Dominicales, feſta mobilia, & alia hujuſmodi. Extat autem de hoc argumento dialogus RHABANI nondum editus, MACARIO Monacho dicatus, cujus meminerunt RUDOLPHUS Monachus & TRITHEMIUS.

CONCELEBRATIO mos eſt, quo unum & idem Sacrificium a pluribus interdum Sacerdotibus celebratur. Confer MORINUM *in lib. de ſacr. ordinat. p. 115. Exercit. 8. cap. 1.*, BONAM *lib. I. Rer. Liturg. cap. 18.* §. 9., & Dominicum GEORGIUM in Diſſ. *de antiquo concelebrationis ritu T. III.* Hic

III. Hic mos haſtenus ſervatur a *Graecis*; apud nos vero in ſolis ordinationibus Presbyterorum & Epiſcoporum permanſit, quum olim ſolemnioribus diebus ſervaretur, Paſchae, Pentecoſtes, S. PETRI, & Nativitatis Domini; his enim diebus, uti fert Ordo *Romanus, habebant colligendas Presbyteri Cardinales &c. & ſimul conſecrabant Corpus & Sanguinem Domini.*

CONCEPTIO immaculata B. V. Feſtum Conceptionis a S. ANSELMO primum in *Anglia* ſaeculo XII. ineunte inſtitutum fuiſſe, Patres Concilii *Londinenſis* a. MCCCXXVIII. celebrati tradunt: confer SPELMAN. *Concil. Angl. Tom. II. p.* 494. In *Graecia* ex decreto *Manuelis* COMNENI Imperatoris *Conſtantinopolitani*, ab anno MCLXVI. inter eas feſtivitates, quibus forum vacat, celebrata eſt. Morem *Graecorum Armeni, Orientales, & Coptitae* imitati ſunt. In *Occidente* die VIII. Decembris, apud *Graecos* die IX. ejuſdem menſis celebratur, apud quos *Conceptio Sanctae* ANNAE inſcribitur, ut in Menologio BASILII: ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας Ἄννης τῆς μητρὸς τῆς Θεοτόκου, *Conceptio Sanctae* ANNAE *Matris Deiparae*. Feſtivitas iſta ignota erat *Gotho-Hiſpanis*: eam a *Gallis* ſuſcepiſſe videntur *Mozarabes*, quorum more die VIII. Decembris in Miſſali, Miſſa propria, & in Breviario *Mozarabum* officio proprio colitur; at tam Miſſa, quam officium ex orationibus hinc inde a Miſſis, & officiis *Goto-Hiſpanis* deſumptis compoſita ſunt. *Neapolitani* tam in titulo feſtivitatis, quam in die ſolemni conſuetudinem *Graecorum* olim ſequuti ſunt, ut ex Kalendario *Neapolitano* marmoreo diſcimus, in quo VIII. Decembris CCEPTIO S. ANE MARIE VIR. ſculptum legitur: *Conceptio* S. Annae Mariae *Virginis*.

CONCHA. S. PAULLINUS *ep.* XII. ad SEVER. *Totum vero extra* CONCHAM *Baſilicae ſpatium &c.* Idem mox: *Cum duabus dextera laevaque conchulis intra ſpatioſum ſui ambitum apſis ſinuata laxetur.* Vides utrobique *Concham* ad apſidem pertinuiſſe. Inter monumenta Chriſtiana in *Gruteriano* Theſauro Inſcriptionum *pag.* 1168. *n.* 4. carmen hoc de ſimili Concha capio:

Perdiderat proprium, ſacrae quae praeminet arae
Tecta vetuſtatis ſyrmate, concha diem:

Erat pars Templi, ubi ſacrificium offerebatur. Hinc in Gloſſario Ms. Bettiniano apud ROSWEYDUM in PAULLIN. *p.* 795. *Abſida, ſacrarium.* Myſterium Conchae, ſeu abſidis in templis veterum explicat GERMANUS *Conſtantinopolitanus* Archiepiſcopus in hiſtoria ſua Eccleſiaſtica, & *myſtica theoria*: ANASTASIO Bibliothecario interprete: *Concha eſt in ſimilitudinem ſpeluncae, quae fuit in Bethleem, in qua natus eſt Chriſtus, & in ſimilitudinem ſpeluncae, in qua ſepultus eſt.* Concha vas quoque aquarium ſignificat. HILARUS Papa ante oratorium S. Crucis fecit *lacus* & conchas *ſtriatas duas cum columnis porphyreticis radiatis, foratis aquam fundentes: & in medio laeum porphyreticum, cum* Concha auſata *in medio, aquam fundente.* Inter ſacra vaſa Monaſterii *Centulenſis* fuit Concha *argentea major cum imaginibus argenteis una.* Item Conchae *argenteae pendentes II.* De *Concha* Baptiſmali Concilium *Eliberitanum.* RICULFUS Epiſcopus *Helenenſis* A. D. DCCCCXV. legavit Eccleſiae ſuae pro cultu Dei inter alia, *Conchas aereas II.* Nimirum finita Miſſa Sacerdos debet lavare manus juxta UDALRICUM *l. V. c.* 30. propter calicem, & propter corporale reportandum. Hujus ritus menrio in *lib.*

Digitized by Google

lib. 2. de geſtis Sanctorum Rotonenſium c. 1. Accelera huc Cuncham aeneam cum aqua, in qua lavant Sancti Sacerdotes manus ſuas poſt immolationem.

CONCILIA MARTYRUM, locus ubi plura Martyrum Corpora ſepulta ſunt. S. HIRON. in Epitaph. NEPOTIANI. *Martyrum*, inquit, *Concilia diverſis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis obumbravit.* Immo inter Sermones S. GAUDENTII *Brixienſis* unus exiat in dedicatione Baſilicae *Concilii Martyrum*, cujus praeterea nominis cauſſam S. Epiſcop. profert. Vide BARON. *in notis* ad Martyrol. 23. Junii.

CONCILIUM, Synodus, eſt adunatio Eeelcſiae alicujus, vel *Sanctarum Dei Eeelcſiarum*, ut ait auctor libri Pontificalis *T. I.* in S. SILVERIO *pag.* 105. & in S. AGATONE *p.* 176.; prout ſcilicet vel unius Eccleſiae adunatio eſt, quam *Dioeceſanam* dicimus; vel Eeelcſiarum alicujus Provinciae, aut Nationis; quam Provincialem, ſeu Nationalem, quin & ſi a Patriarcha indicta ſit, Patriarchalem appellamus; vel demum univerſae Eccleſiae, indicente ſummo Pontifice, quam *generalem* vocamus, & ſi ab eo confirmata fuerit, Oecumenicam. Antequam inchoentur Concilia, Patribus triduanum jejunium praeſcribitur ex veteri diſciplina, cujus meminit TERTULLIANUS in lib. *de jejuniis adverſus Pſychichos*. Solemnes praeterea preces cum litaniis indicuntur; cujus moris ſuppetunt monumenta in Concilio *Remenſi II.* ann. DCCCXIII., *Moguntino* ejuſdem anni, alio *Moguntino* ann. DCCCLVII. & *Romano* ann. MLXXIX. adverſus BERGARIUM ſub S. GREGORIO VI. Porro Concilia, uno vel altero exceptis (ut *Nicaeno I.* quod in aula Palatii *Conſtantiniani* cap. 12. & ſexto generali, itemque Quiniſexto habito in Trullo) vel in Eccleſiis, ut *Conſtantinopolitanum* generale II. in S. IRENES, *Epheſinum* in S. JOHANNIS, *Chalcedonenſe* in S. EUPHEMIAE coactum, vel certe in Baſilicarum Secretariis, ut plura *Carthaginenſia*, & *Romanum* ſub MARTINO I., celebrari conſueverunt. In ipſo autem Conventu altare cum Cruce, ſacra Euchariſtia, & Reliquiis Sanctorum, libri S. R. E. Caeremoniales erigi jubent. Olim honorificentiſſimus thronus excitabatur, ubi facer Evangelii Codex cum Sanctorum Reliquiis, ſacriſque imaginibus collocabatur. Hujus moris teſtem habemus CYRILLUM *Alexandrinum* in Apologetico Actis *Epheſinae* Synodi inſerto *lib. III. cap.* 13. ac de VIII. Synodo generali THEODORUM *Studitam* a SIRMONDO vulgatum. In ordine autem ſedendi praeter eminentiorem locum, qui Pontifici, ſi adſit, debetur, praecedunt Cardinales Patriarchas, Patriarchae Primates, Primates Archiepiſcopos, Archiepiſcopi Epiſcopos, inter quos praeter Concilia *Milevitanum II. Can.* 3. *Braccarenſe II. Can.* 6. *Toletanum IV. Can.* 3. S. LEO M. *ep. V.* ad DORUM *Benevent.* & S. GREGORIUS M. *lib. VII. ep.* 112. ad SYAGRIUM, ſedendi ordinem ad tempus, quo ſinguli ordinati fuerint, exigendum eſſe ſtatuerunt. Sacras denique veſtes Patribus Concilii omnium fere ſaeculorum diſciplina praeſcribit, qua de re vide CATALANUM in Prolegomenis ad *Tom. I. Concil. cap.* 19. & *T. I. Comment. Caeremon. S. R. E. p.* 379.

CONCLAVE, locus, in quo Cardinales includuntur, ut *Romanum* Pontificem eligant. Falli eos, qui *Viterbii* primum poſt CLEMENTIS IV. obitum Conclave coeptum fuiſſe contendunt, multis oſtendit CATALANUS

in Cae-

in *Caerem. S. R. E. T. I. p. 3.* GREGORIUS tamen X. qui in *Viterbienſi* illo Conclavi electus fuit, edita in *Lugdunenſi II.* Concilio Conſtitutione, certam formam Conclavis, quod licet non ſemel uſitatum, nullo tamen jure cautum erat, praeſcripſit.

CONCURRENTIA OFFICII eſt duorum officiorum, quae ſe invicem continuis diebus conſequuntur, conflictus, & pugna mutua. ,, Hinc Con-
,, currentia inter officia tantummodo datur, quae jus habent aliquod in
,, Veſperas illas, veluti intermedias, & utrique communes. Eorum numero
,, adcenſenda ſunt Feſta omnia duplicia, cujuscumque ordinis, ac ſemidu-
,, plicia, quae quum utraſque habebant Veſperas, concurrentiam tum *acti-*
,, *vam*, quam *paſſivam* inferunt. Nomine autem concurrentiae *activae* ea
,, intelligenda eſt, quae eſt ex parte ſecundarum Veſperarum Feſti praece-
,, dentis, quod proprie cum ſequenti concurrit. *Paſſiva* vero concurrentia
,, illa dicitur, quae eſt ex parte primarum Veſperarum Feſti ſequentis,
,, cum praecedenti concurrentis. Unde quaedam Feſta duplicem habent
,, concurrentiam, uti duplicia, & ſemiduplicia, quae utraſque ſibi vindi-
,, cant Veſperas. At feſta ſimplicia, quae tantum primas habent Veſperas,
,, ſolam ſortiuntur concurrentiam *paſſivam*: olim tamen, quum ſecundae Veſ-
,, perae eis eſſent adſignatae, concurrentia quoque *activa* competebat. In
,, eo itaque verſatur concurrentiae effectus, ut Veſperae vel integrae fiant
,, de alterutro concurrentium Feſto, vel inter utrumque dividantur. Porro
,, concurrentia aut eſt majoris cum minore, aut minoris cum majore, aut
,, aequalium inter ſe: in primo & ſecundo caſu Veſperae ſunt integrae de
,, majore cum ſola Commemoratione minoris; immo nonnumquam etiam
,, abſque Commemoratione, prout dignitas major poſtulat. In tertio au-
,, tem caſu Veſperae dividuntur, adeo ut Pſalmi cum Antiphonis ſint de
,, officio praecedenti, Capitulum vero cum reliquis de ſequenti cum Com-
,, memoratione praecedentis. ,, Ex P. AZEVEDII *Exercit. XX.*

CONDITORIUM, ideſt ſepulcrum. *Conditorium* SYAGRII *Conſulis* memorat SIDONIUS *lib. V. ep. 171.*

CONFESSIO, praeter Sacramentalem Confeſſionem plura ſignificat. Ac primo idem inquit PANVINIUS apud *Latinos*, quod apud *Graecos Martyrium* deſignat. Hi enim Eccleſias Deo privatim dicatas, Dominica; Martyribus vero, Martyria vocabant, hoc eſt, in quibus Martyrum Corpora jacerent, aut eorum memoria coleretur. Nunc vero in omnibus totius orbis Chriſtiani Eccleſiis, quae duplices ſunt, ſuperior ſcilicet, & inferior (quales multae per totam *Longobardiam*, *Romae* etiam modo extant, & plures exſtabant) Confeſſio etiam nunc appellatur inferior Eccleſiae pars ſub altari majori aedificata, ut *Parmae* in Cathedrali, *Veronae* ad ſancti STEPHANI, *Romae* ad Sanctae PRISCAE, S. MARTINI in Montibus, & alibi. Earum ſimilitudine Confeſſio dicitur locus imus ſub gradibus, & altari majori Eccleſiarum S. PETRI, S. PAULLI, *Lateranenſis*, S. LAURENTII extra muros, S. MARIAE Majoris, & aliarum. Exempla paſſim occurrunt in libro Pontificali. Sic in Vita XISTI III.: *fecit*, inquit ANASTASIUS, *Confeſſionem Beati* LAURENTII *Martyris cum columnis, porphyreticis, & ornavit tranſennam. Fecit quoque ibi ad Confeſſionem altare* S. LAURENTII *de*

argen-

Digitized by Google

argento puriſſimo librarum quinquaginta cancellos argenteos ſupra Platonias Porphyreticas librarum CCC., abſidam ſuper Cancellos cum ſtatua Beati LAURENTII *argentea librarum ducentarum* . Vide ROSWEIDUM *in epiſt.* PAULLINI XXXIII. *p.* 812. & BARONIUM in Martyr. ad d. *6.* Julii , ubi quod ſupra ex PANVINIO adtulimus, Baſilicas Martyrum *Confeſſiones* a Latinis fuiſſe appellatas, refellit.

II. Sumitur pro *Confiteor,* quod ad *Primam & Completorium* dicitur . *Ordo* Converſationis Monaſticae *: Convenientes Fratres ad Primam , dum completur ipſum officium , ante Pſalmum Quinquageſimum donent confeſſiones ſuas viciſſim , pariter ſupplici voto eorum certatim pro ſe orantes .* CRODEGANGUS *Meſenſis* Epiſcopus in ſua ad Canonicos Regula *: Poſt donent Confeſſiones ſuas viciſſim dicentes : Confiteor Domino &c.*

III. Adcipitur pro Confeſſione, quae fit in Miſſa. Ejus formula recitari ſolita incertum auctorem habet. Variae olim erant illius formulae, quarum non paucas exhibent BONA *lib. II. cap.* 11. §. 5. *&* 7. in eumque SALA *T. III. p.* 38. *ſeqq.* In aliquibus Eccleſiis, uti in *Rhemenſi*, & *Laudunenſi* , extra altare in ipſo ſacrario fiebat.

CONFESSOR. Veteres neminem hoc nomine appellabant, niſi eum, qui Chriſti fidem interpellatus coram fidei hoſtibus confeſſus eſſet. Si vero aliquod genus tormentorum eſſet expertus, nec tamen martyrio occubuiſſet ; tunc & Martyr vocatus*:* idemque aliquando etiam dictus reperitur Confeſſor, quod ſcilicet nondum Martyrium conſummaſſet. Juxta S. CYPRIANI ſententiam, qui non interpellatus ſe martyrio ingerebat, hic dicebatur *Profeſſor*. Si adhuc autem quis timore correptus, ne fidem proderet, ſua ſuoſque relinquens , exilio ſpontaneo procul a Patria vitam ageret, hic appellabatur *Extorris*: cujus non erat deſpicienda conditio : nam & in numero Martyrum recenſendus erat ſi ea de cauſſa mortem oppetiiſſet. Haec omnia more Majorum, atque vetuſto loquendi genere. Obtinuit poſtmodum uſus, ut omnes qui ſancta, & laudabili vita vixiſſent, ſanctoque demum ac probato fine in Domino quieviſſent, Confeſſores appellarentur. Ita BARONIUS *in notis* ad Martyr. die II. Januar.

Ad ceteros illos Confeſſores, quos magno numero fideles in agris, aut domi ſuae alebant, pertinent Concilii *Toletani I. Can. VI.* quo prohibetur, ne *puella Dei* ſive ſacra Virgo *familiaritatem* habeat cum Confeſſore, aut cum laico ſanguinis alieni , ad periculum , & malam famam vitandam, & *Can. 9.* quo prohibet, *ne ulla vidua abſente Epiſcopo , aut Presbytero Antiphonas domi cum Confeſſore , vel ſervo ſuo faciat;* nam Confeſſores, quos domi alebant, meri laici, non debebant munera Clericorum propria uſurpare, cujuſmodi erat celebratio officii divini*;* id enim ſignificat *Antiphonas facere.* Non ignoro, viros eruditos, inter quos *Hugo* MENARDUS in notis ad Sacramentarium *Gregorianum pag.* 61., *Natalis* ALEXANDER Saec. V. agens de Concilio primo *Toletano* , & *Liberatus* FASSONIUS in diſſert. *de Puellarum Monaſteriis pag.* 36., opinatos eſſe *Confeſſorem* in citatis Canonibus Conciliorum , & in oratione Eccleſiae Feria VI. in *Paraſceve* [*oremus pro Acolythis*, *Exorciſtis* , *&* CONFESSORIBUS] idem ſignificare, quod *Pſaltes* , ſive *Clericus junior;* nam, inquiunt, in Scripturis *confiteri* non raro ſigni-

ſignificat *Dei laudes canere*. „ Sed haec ratio, inquit LESLAEUS in *Miſſa-*
„ *le Mozarab. pag.* 568., minus firma eſt; nam primum erat oſtendere *Con-*
„ *feſſorem & Pſaltem* ſynonima eſſe, ac tum demum rationem reddere, cur
„ idem ſignificent: alii dicunt: in libris Miſſalibus, quibus etiam nunc uti-
„ tur Eccleſia, extat oratio pro *Confeſſoribus*, qui modo nulli ſunt, ſi haec
„ vox *Clericos Cantores* non ſignificet. At, qui iſta ſerio objiciunt, ani-
„ madvertere debebant libros liturgicos nomina antiqua quaedam retinere,
„ quamvis res, nominibus illis ſignificatae, eſſe deſierunt. Deinde adhuc
„ ſunt, & ad finem mundi erunt aliqui, qui Catholicae fidei, & verae pie-
„ tatis cauſſa a Paganis, ab Hereticis, a Schiſmaticis, ab impiis, aut aper-
„ ta vi, aut ſubdola fraude perſequutionem, & tribulationes patiuntur,
„ atque adeo numquam deerit cauſſa orandi pro Confeſſoribus. „

CONFESSORIAE Litterae. Confeſſoribus, qui, ut diximus, pro Chriſtiana fide paſſi aliquid fuerant, peregre profecturis, dabantur *Litterae Confeſſoriae*, ſive *Confeſſionis*, quibus ſcilicet fidem faciebat Epiſcopus latorem earum litterarum (cujus & nomen inſcribebat) Chriſti Confeſſorem eſſe, & Eccleſiae Catholicae Communione frui, tormenta etiam, ſiquae paſſus fuerat, deſcribebat; his vero munitus litteris Confeſſor ab Eccleſiis, & fidelibus cum honore ubique ſuſcipiebatur, eique, quibuſcumque indigebat, res ſubminiſtrabantur. Conſt. Apoſt. *l.* 8. *cap.* 45. ed. Col. *eos, qui perſequutionem patiuntur fidei cauſſa, & de Civitate in Civitatem fugiunt... ſuſcipite... ſuppeditate illis, quae ſunt neceſſaria*. Non deerant tamen qui inſolenter ſe gererent, & praeclaro confeſſionis nomine ad quaeſtum abuterentur; quare Patres *Illiberitani Can.* 25. ſtatuerunt, ut ſiquis Peregrinus *Litteras Confeſſorias* adtulerat, Epiſcopus haſce litteras ab eo auferat, *eo quod ſub hoc nominis gloria paſſim concutiant ſimplices*, eique litteras communicatorias tradat, quales ſcilicet cuilibet fideli laico peregrinanti dari ſolebant: his fere ſimilia Concilium I. *Arelatenſe* decrevit.

CONFIRMATIO, Sacramentum, de quo THEODERET. in Cap. I. Cantic. *Qui initiantur Baptiſmo, poſt Satanae abnegationem, & confeſſionem fidei, veluti ſigno ac nota regia ſpiritualis unguenti chriſmate inuncti, ſub ea viſibili unguenti ſpecie, inviſibilem Sanctiſſimi Spiritus gratiam percipiunt*. Quod heic THEODORETUS de nota, ſeu charactere confirmationis ait, PAULLINUS Nat. IX. ſic explicat:

Conceptoſque Deo NOTAT *intus Eccleſia foetus;*

Sic & PRUDENTIUS Hymno ante ſomnum:

Cultor Dei, memento
Te fontis, & lavacri
Rorem ſubiſſe ſanctum,
Te chriſmate INNOTATUM. Vide CHRISMA.

CONFIRMO, non ſolum Sacramenti, de quo hactenus, ſed etiam Dominici Sanguinis in Communione adminiſtrationem ſignificat. Diſerte Ordo *Romanus III. n.* 4. *Et ſicut Archidiaconus*, inquit, *confirmat, quos Pontifex communicat: ſic reliqui Diacones confirmant, quos Epiſcopi, ſive Presbyteri poſt Pontificem communicant*. Scilicet Archidiaconus calicem cum Sanguine miniſtrabat iis, quos Pontifex apud ſedem communicabat; alii vero Diaconi cali-

ni calicis poculum praebebant iis, quos Epiſcopi, & Presbyteri juſſu Pontificis Euchariſtia reficiebant. Vide Communio. Huc illud ſpectat TERTULLIANI *lib. IV. adv. Marcion. cap.* 40. *In Calicis mentione teſtamentum conſtituens, Sanguine ſuo obſignatum, ſubſtantiam Corporis confirmavit.*

CONFRACTORIUM ritu *Ambroſiano*, Antiphona eſt, quam diviſa; fractaque Hoſtia poſt illa verba *Commixtio* ✠ Sacerdos dicit, orationem Dominicam continenter ſubjungens.

CONGREGATIO, idem quod Graecis Συναξις, Martyrum multitudinem ſignificat, ut in Kalendario Neapolitano IV. Maji. *P. S. Afrodiſii, & Congregatio ejus.*

S. CONGREGATIO RITUUM. Vide Rituum S. C.

CONSACERDOS, titulus, quo Epiſcopos Romani Pontifices honorabant. Plura exempla dabunt epiſtolae S. GREGORII II., nonnullorumque ejus ſucceſſorum ad S. BONIFACIUM *Moguntinum* Archiepiſcopum. Vide & ANASTASIUM *T. II.* lib. Pontific. in eodem GREGORIO II. *p.* 38.

CONSCIENTIA, adſenſus, notitia, participatio. INNOCENTIUS III. ad Archiepiſcopum *Piſanum*. *Archiepiſcopos ad Concilium non vocabis ſine conſcientia* Romani *Pontificis*. Et ISIDORUS lib. II. de *Eccl. offic. Praeſbyteros autem, aut Diaconos non audeant ordinare praeter conſcientiam Epiſcopi.* TORTORIUS lib. de *miraculis* S. BENEDICTI *c.* 14. refert, HUMBERTUM Monachum graviter aegrotantem admonitum a fratribus, quatenus ſui memor, Abbati ſeu alicui Seniori propria confiteretur peccata, *& quidem de omni conſcientia ſua*, ideſt, quorum habebat notitiam.

CONSECRATIO praeter actum oblationis in ſacrificio conſecrandae ſignificat, ubi de Diaconis agitur, ejuſdem conſecratae oblationis diſpenſationem, & miniſterialem quamdam, ut loquitur Card. BONA, conſecrationem. Aliter ſenſit SBARALEA, veram ac ſacerdotalem conſecrationem Diaconos alicubi peregiſſe ratus; ſed iis ipſis momentis refellitur, quibus SALA *Tom. II. in* BON. *p.* 306. alios idem opinantes confutavit. Hinc etiam in Miſſa ubi dicitur: *Haec commixtio & conſecratio* &c., nihil aliud *conſecratio* deſignat, quam Corpus & Sanguinem conſecratum, quae admiſcentur, atque, ut *Graeci* in JACOBI Liturgia ajunt, *uniuntur*, ut renovata in Chriſto reſurgente unio Corporis & Sanguinis denotetur. V. AMALARIUM *lib. III. de Eccl. offic. cap.* 3., & quae ad MALDONATUM adnotavi *T. III. Bibl. Ritual. p.* 180. Baptiſmum quoque CONSECRATIONIS nomine interdum deſignari ingenioſe contendit MAZZOCHIUS, quem conſule *in Kal. Neap. II.* 490.

CONSECRATIO ECCLESIARUM a veteri Teſtamento ad Novum; ab Apoſtolis ad Succeſſores emanavit. Nec dubitandum, quin ante CONSTANTINUM privatim & clam ob Ethnicorum furentium metum Eccleſiae conſecratae fuerint, ut BONA animadvertit *lib.* 1. *cap.* 20. §. 3. Illuſtre pro publicis, & ſolemnibus hujuſmodi dedicationibus teſtimonium reddit EUSEBIUS *lib.* 10. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 3. Tantae vero religionis haec erat conſecratio, ut impius ac pene ſacrilegus haberetur, ſiquis in Eccleſia nondum conſecrata ſynaxim feciſſet. Id S. ANASTASII *Apologia* oſtendit; potiſſima enim ejus pars eo ſpectat, ut ſe apud Imperatorem purget, quod in Eccleſia nondum abſoluta & conſecrata Sacrificium celebraſſet. Huc pertinet

tinet Conc. *Carthag. V. Canon 6. Similiter & de Eccleſiis; quoties ſuper earum conſecratione haeſitatur, agendum eſt, ut ſine ulla trepidatione conſecrentur*. Multis conſecratio ritibus peragebatur, quos MARTENE percenſet. Antiquiores explicat GREGORIUS *Turonenſis* in lib. de *gloria Confeſſorum* cap. 20., ubi Oratorii ab ſe factam dedicationem deſcribit. Et primo quidem in alia ſancta Baſilica *vigiliis noctem unam ducentes*, inquit, *mane venientes ad cellulam, altare quod erexeramus, ſanctificavimus*. Deinde *regreſſi ad Baſilicam, ſanctas reliquias exinde ſolemniter radiantibus cereis, crucibuſque admovimus. Erat autem Sacerdotum, ac Levitarum in albis veſtibus non minimus Chorus, & civium honoratorum ordo praeclarus; ſed & populi ſequentis ordinis magnus numerus. Cumque ſacroſancta pignora, palliis, ac mappis exornata, in excelſum deferremus, pervenimus ad oſtium Oratorii. Ingredientibus autem nobis, ſubito replevit cellulam illam fulgor terribilis*. Reliquiarum Sanctorum collocatio a GREGORIO indicata adeo neceſſaria habebatur, ut Synodus VII. *Can.* 7. ſtatuerit: *Epiſcopus abſque lipſanis conſecrans Templum deponatur, ut ille qui Eccleſiaſticas traditiones tranſgreditur*. Traditionis a VII. Synodo indicatae teſtis AMBROSIUS eſt, qui *ep.* 85. ad ſororem ſuam MARCELLINAM de Reliquiis GERVASII & PROTASII ait: *Quum Baſilicam dedicaſſem, multi tamquam uno ore interpellare coeperunt, dicentes: Sic in* Romana *Baſilicam dedices. Reſpondi: Faciam ſi Martyrum Reliquias invenero*. Quales autem ad dedicationem Reliquiae adhiberentur, conſtat ex eodem GREGORIO *Turon.* aliiſque, qui Reliquiarum nomine intelligunt quidquid aliquo modo Sanctum aliquem, ejuſve tumulum adtigerat, ſcilicet pannos, linteamina, & alia id genus. V. ALPHABETUM. Neque omittendum, quod in cujuſdam Eccleſiae dedicatione actum fuiſſe ab Epiſcopis docet apud Galliae Chriſtianae Auctores *T. VI. p.* 36. *Inſtr.* Monumentum a. 1132. Illi ſcilicet ejus *continentiam circumeundo*, CRUCIBUS INFIXIS *terminarunt, & deſignarunt &c. ad* SALVITATEM; Immunitatem nempe, ut apud eoſdem Maurinos in ſimili *Cannenſis Monaſterii* documento legitur.

CONSECRATUS, *tus* ſubſtantive pro Sacra Euchariſtia. Liber Pontific. *T. I. p.* 76. de S. MELCHIADE: *Fecit ut oblationes ſacratae per Eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur*. Item in SIRICIO *p.* 125. *Qui conſecratum Epiſcopi loci deſignati ſuſceperit, quod declaratur fermentum*.

CONSIGNARE, confirmare, ſacro Chriſmate linire. Liber Pontific. in SILVESTRO *T. I. p.* 87.; item ſignare, & ſignando benedicere. INNOCENTIUS III. de Miſſa lib. II. cap. 45.

CONSILIA AURICULARIA in Ms. Caeremoniali Codice *Pierſanctiano* vocantur Cardinalium ſententiae, ſeu vota, & conſilia circa novorum Cardinalium creationem, quia olim ad aurem Papae dicebantur.

CONSISTENTES V. POENITENTES.

CONSISTORIUM. Quum plura hoc nomen ſignificet, ut locum, ubi ad quieſcendum cubicularii conſiſtebant, ut apud SIDONIUM lib. II. *ep.* 2., & Imperatoris concilium; tamen in re Rituali Cardinalium cum Romano Pontifice ad Apoſtolicae Sedis tractanda negotia conſidentium Concilium deſignat. Hinc Presbyterorum, ac Theologorum, quibuſcum Epiſcopi de ſuarum Eccleſiarum negotiis agunt, conventum, paſſim in Germania

Conſiſtorium appellant. Antiquitus Cardinales in Conſiſtorio pileis tegebantur, ut apud MACRUM videre eſt V. *Cardinalis pag.* 119. in PAULLI II. numiſmate: nunc biretum deferunt.

CONSTITUTUM *facere*, *conſtitutum de Eccleſia facere*, *conſtitutum de omni Eccleſia ordinare* eſt συνοδικῶς aliquid conſtituere, ac definire.

CONTACIUM, cantus Eccleſiaſtici genus apud *Graecos*; item, BALSAMONE auctore, Liber formulas ordinationum comprehendens.

CONTESTATIO in Liturgiis *Gallicanis* Praefatio appellatur. Eodem ſenſu CONTESTATA legitur in Ordine Rom. IX. *p.* 92.

CONVERSUS, CONVERSAE. Apud veteres Monachos ille dicebatur Converſus, qui a ſaeculo ad converſionem venerat Monaſticam vitam profeſſurus. Apud recentiores tamen hic Frater laicus vocatur: & ſaepe in ritibus inferiores altaris miniſtri, ut Ceroferarii, Thuriferarii &c. ex MARTENII onomaſtico. Converſae quoque eae erant, quae in Monaſteriis ſeſe divinis obſequiis mancipabant, ſuis rebus Coenobio oblatis, atque ubi ſe ſe Praefectis probaſſent, Sanctimonialibus tandem adnumerabantur. MARTENE *lib III. c.* 8. ex Ordinario *Tullenſi*: *Hac Miſſa* (Nativitatis Domini) *finita, omnes Monachi & pueri Converſi & Converſae in hac die Euchariſtiam ſumere debent*. Et *lib.* 3. *c.* 23. *Sacriſta habeat alium calicem, & urceum cum vino, ut bibant Converſi & Converſae, qui Corpus Domini ſuſceperint*. Et *cap.* 16. *Diaconus tot hoſtias conſecrandas adponat, ut in ipſa die* (Paſchae) *fratribus, qui non celebraverunt, Converſis, & ſororibus ſacra Communio ſufficiat*. Et idem praecipitur pro Feſto Adſumptionis B. MARIAE Virginis, & omnium Sanctorum. Circa annum Domini MCC. in Monaſterio S. AMBROSII *Mediolani* habitaſſe faeminas, quas *Converſas* vocabant, patet ex PURICELLO in *Monum.* ejuſdem Baſilicae *p.* 1159. Saepe in chartis ejuſdem Monaſterii *Converſi*, & *Converſae* occurrunt. Nempe Monaſteria illa duplicia erant, quae ſcilicet Monachi, & Sanctimoniales, licet ſejunctim, incolebant.

COOPERTORIUM, Corporale, quod olim latius, & grandius erat, quam nunc eſt: nam ſuperiorem altaris menſam contegebat; ideo Diaconus in eo expandendo ab alio Diacono adjuvabatur. In Libro Pontificali non ſemel haec vox adhibetur ad umbellam ſuper altare ſignificandam.

COPHINUS, Tabernaculum. *Deinde idem Cardinalis debet incenſare Altare, & Cophinum, in quo conſervatur Corpus Chriſti*. DAVENT. in *Caeremon.* Vide etiam P. AMELII Ordinem Romanum XV. *n.* 51., & 131.

COPIATAE, *qui* (quod apud Ethnicos Veſpae, & Veſpillones) *corporibus funerandis officium gerebant*, ut cum FESTO loquar de *funeribus Roman.* cap. 8. Hinc vero multis adpellari nominibus, quae idem exprimunt. *Copiatae dicti a Graeco* κόπος κοπιᾶσθαι, quaſi *operarii* & *laboratores*; quare a nonnullis *laborantes* quoque adpellantur. *Lecticarii* etiam vocati ab efferendis funeribus. *Foſſores* autem & *Foſſarii* uſitatiore apud Latinos vocabulo, quod, ut ad INNOCENTIUM ſcribebat HYERONIMUS *de muliere ſepties icta epiſt.* XLIX., id ipſis eſſet, cadavera linteo obvolvere, & foſſas conſtruere, ac tumulos parare. Foſſoris iconem exhibet BOLDETTUS *Oſſerv. ſopra i Cimit. lib. I. cap. XV.*, ubi & inſcriptiones aliquot recitat Foſſorum. In *Africa* Clerici videntur fuiſſe minore aliquo ordine initiati, quibus praeterea

munus, ſeu miniſterium ſepeliendi cadavera incumbebat? Quis enim Clericos non agnoſcat Foſſores illos, quorum fit mentio in Actis purgationis CAECILIANI, & FELICIS *T. I. Conc. Labb. edit. pag.* 1444.? *Sedente* Paullo *Epiſcopo*, *&* Montano, Victore, Deuſatelio, *&* Memorio *Presbyteris; adſtante* Marte *cum* Helio *Diacono* Marcuelio, Catullino, Silvano *&* Carolo *Subdiaconis*; Januario, Meraclo, Fructuoſo, Migione, Saturnino, Victore, *& ceteris Foſſoribus &c.* Alibi tamen homines erant nullo Eccleſiaſtico ordine inſigniti. Nam CONSTANTIUS lib. XV. *de Epiſcopis* Clericos a Copiatis diſtinguit his verbis: *Clerici*, VEL *hi*, *quos Copiatas recens uſus inſtituit nuncupari*. Praeterea legum civilium diſpoſitioni plane ſubjecti erant: nam ab Imperatoribus inſtituti fuerunt, numero aucti, ac tandem ſublati. Itaque eo ſenſu *Clericos* putaverim dictos fuiſſe, quos nos *Itali* hodieque *Monachum* aliquibus in Provinciis vocamus hominem etſi ſaecularem, & matrimonio junctum, qui vel aedituus eſt, vel certae aedituum juvat.

CORNICULARIUS. Erant Cornicularii in Caſtrenſi militia nobilis ordinis equites merentes Corniculo, quod erat ornamentum militare, a quo dicti Cornicularii: unde LIVIUS *lib.* 10. *Omnes ob inſignem in multis locis navatam operam* Papyrius *Corniculis*, *armilliſque donat*. Porro non tantum in Caſtrenſi, ſed & in *Palatina* militia erar ordo Corniculariorum, de quibus Codex *Theodoſianus*, & CASSIODORIUS. Vide BARONIUM in Notis ad Martyr. die 21. Aug., ubi de S. ANASTASIO Corniculario.

CORONA. Hoc vocabulo nuncupatae fuerunt oblationes, ſeu hoſtiae conſecrandae, a rotunditatae ſcilicet. S. GREGORIUS M. *lib.* 4. *Dialog. c.* 55. refert, Presbyterum quemdam duas ſecum oblarionum coronas detuliſſe. PETRUS *Urbevetanus* in ſcholiis ad Vitam ZEPHYRINI Papae ait, *Eum conſtituiſſe*, *ut* coronam *conſecratam de manu* Epiſcopi *adciperet Presbyter tradendam populo*.

CORONA cum Sacerdotalis, tum Monaſtica, Tonſura, ſic dicta, quod in coronae ſimilitudinem fieret. Ex hac porro Tonſura orta fuit conſuetuto rogandi Epiſcopos per illorum Coronam. HIERONYMUS ep. ad AUGUSTINUM, quae eſt 26. apud eumdem AUGUST. *Fratres tuos Dominum meum* ALYPIUM, *& Dominum meum* EVODIUM, *ut meo nomine ſalutes*, *precor coronam tuam*. Ipſe quoque AUGUSTINUS ad PROCULIANUM Epiſcopum epiſt. 147. *Per coronam noſtram nos adjurant veſtri*, *& per coronam veſtram vos adjurant noſtri*.

CORONA etiam Mitra eſt. In Vita S. GOSLINI apud BOLLAND. 12. *Febr. Conſpicis itaquae juſti*, *ac piiſſimi Patris epitaphium*, *corpuſque pallio*, *corona*, *quam Mitram dicimus*, *& baculo more Majorum decenter tectum &c.* Vide TIARA. Hinc

CORONAE feſtum, CORONAM celebrare, ſolemnitatem illam ſignificar, qua Romani Pontifices quibuſdam ſolemnioribus anni diebus, a *Petro* MALLIO, ac BENEDICTO Canonico apud Cl. GARAMPIUM *in Carfagn. ſigil. p.* 99. indicatis, primae coronationis ſuae pompam, celebritatemque Tiaram ſeu Regnum geſtantes iterabant.

CORONA, candelabri genus inſtar coronae, & circuli, lucernis plenum, ex laquearibus Eccleſiarum dependens. Damus in primis teſtimonium

nium Chartae *Cornutianae*; in qua legimus, divino cultui deſtinari *coronas argenteas quatuor cum catenulis ſuis, & delphinis VIII.* De his *coronis cum delphinis & liliis* meminit S. GREGORIUS *lib. I. ep. 71.* Uſum vero earum nos docet Vita S. BENEDICTI *Anianenſis: Ante altare etiam* (Baſilicae Salvatoris in Monaſterio *Anianenſi*) *ſeptem dependent lampades mirae, atque pulcherrimae, inaeſtimabili fuſae labore, quae a peritis, qui eas viſere exoptant, Salomoniaco dicuntur conflatae. Aliae tantumdem in choro dependent lampades argenteae in modum coronae, quae in ſe inſertis circulis cyathos recipiunt per gyrum, moriſque eſt praecipuis in feſtivitatibus oleo repletas adcendi, quibus adcenſis, veluti in die, ita in nocte tota refulget Eccleſia.* In Statutis PETRI Ven. Abbatis *Cluniacenſ. n. 52. Statutum eſt, ut magnae illae coronae ex aere, auro, argentoque elegantiſſime compoſitae, quae in medio chori forti catena ſuſtentatae dependent, adcenſi cerei non imponantur, niſi &c. .... In reliquis vero feſtivitatibus, quibus ſolet adcendi machina illa ferrea, quae vulgo Erga vocatur, pro illa lampadibus vitreis illuſtretur.* Vide etiam Librum Pontificalem.

CORONA MARTYRUM. Nihil apud Eccleſiaſticos Scriptores frequentius, quam *corona*, & *coronari de martyrio*. Sic in Martyrologio Romano 1. *Januarii* legitur: *Ibidem via Appia coronae Ss. Militum triginta Martyrum ſub Diocletiano Imp.*

CORONA NUPTIALIS. Primi Chriſtiani corona in nuptiis uſi non ſunt. Nam quum *in* numinis alicujus tutela coronae omnes eſſent, ideo abſtinebant, ne profanae religionis participes viderentur. TERTULLIANUS *de corona militis: Coronant & nuptiae ſponſos, & ideo non nubimus Ethnicis, ne nos ad idololatriam uſque deducant, a qua apud illos nuptiae incipiunt.* Poſtquam deſiit hoc periculum, etiam Chriſtiani priſtinum morem amplexi ſunt, quem antiquiſſimum apud *Hebraeos* fuiſſe teſtis eſt ISAIAS, qui ſponſum corona decoratum deſcribit *cap. LXI.* Confer SIRMONDUM ad SIDONIUM *lib. I. ep. 5.*, ubi hic de patricii *Ricimerii* nuptiis agens: *jam*, inquit, *corona ſponſus .... honoratur.*

CORPORALE. Saepius ejus nomen occurrit *in* Ordine *Romano*, ubi & tres extant orationes ad illud benedicendum. Olim multo longius, & latius fuit: nam totum Altare contegebat, unde palla, ac linteamen vocabatur. Vide Coopertorium, Palla. Galli *Corporale* S. PETRI appellant panni, quem ad Reginam BRUNICHILDEM a S. GREGORIO M. miſſum ferunt, ſegmentum apud Monachos S. GERMANI a Pratis adſervatum.

CORPORATIO. Apud *Mozarabes* Sacerdos frangit hoſtiam in novem particulas, quae his nominibus deſignantur: CORPORATIO, (Incarnatio ſcilicet) *Nativitas*, *Circumciſio*, *Apparitio*, *Paſſio*, *Mors*, *Reſurrectio*, *Gloria*, *Regnum*, eaſque in Crucis modum diſponit.

CORPUS DOMINI, Feſtum in honorem Sanctiſſimi Corporis Chriſti; quod URBANUS IV. edita a. MCCLXIV. conſtitutione per totam Eccleſiam celebrandum juſſit, quum pridem *Leodii*, ubi Archidiaconus fuerat, cum vigilia & jejunio ex viſis B. JULIANAE celebraretur. URBANI tamen conſtitutio, quum paullo poſt exceſſiſſet, effectu propemodum caruit. In Concilio autem *Viennenſi* an. MCCCXI. CLEMENS V. URBANI IV.

Bullam

Bullam promulgari juſſit, & confirmavit, quae cum a Regibus *Galliae*, *Angliae*, & *Aragoniae* recepta eſſet, a JOHANNE XXII. CLEMENTIS ſucceſſore itetum promulgata fuit a. MCCCXVI., atque exinde in Eccleſiis omnibus ſuſcepta, & confirmata. Officio, quod S. *Thomas* AQUINAS compoſuit, & publica ſupplicatione, quam ab ipſo URBANO IV. inſtitutam multa ſuadent, a GRETSERO, & BENEDICTO XIV. *lib. I. de Feſt. cap.* 13. adlata, ſacer hic dies decoratur.

CORTINA apud *Graecos* & in Libro Pontificali ſignificat vela, quae ante Sanctuarii portas appendi ſolebant. Apud *Latinos* autem frequentius ſumitur pro illo velo, quod olim Quadrageſimali tempore extendebatur ante Sanctuarium, quo Altare, Sacerdos, & Miniſtri eo tempore abſconderentur. LANFRANCUS in Statutis: *Dominica prima Quadrageſimae poſt Completorium ſuſpendatur Cortina inter chorum & Altare.* Idem praeſcribunt Liber uſuum recent. *Ciſtercienſ.*, Caeremon. *Benedictinum &c.*

COTTA. Vide Superpelliceum.

CREDENTIA. Vide Abachus.

CREPITACULUM, malleus ligneus, quo olim Monachi excitabantur; & hodie in uſu eſt in tribus tenebrarum diebus. *His adhuc dubitantibus, excubitor ad matutina Cantica excitat ligni pulſibus.* LEO Imperator in Panegyr. de S. JOHANNE. Tabula quoque Mortuorum in Monach. ritib. nuncupatur: pulſari enim ſolet, quum Infirmus morti proximus eſt.

CROCEA quid ſit declarat Caeremoniale *Romanum l. 1. c. 4. Eſt autem Crocea genus chlamydis longa ad terram uſque ad imum, & circa collum rugoſa, in forma Capparum Praelatorum.*

CROCIA, barbara vox ad baculum Paſtoralem deſignandum. In Chronico *Centulenſi lib. 4. cap.* 28. *Virga paſtoralis, quam vulgus Crociam appellat.*

CROSSA, Baculus Paſtoralis. Vide MARTENE *lib. 4. de ant. Monach. ritib. c. 1.*

CROTALUM, lignum illud, quod Campanarum vice pulſatur tribus ultimis diebus majoris hebdomadae. Miſſale *Ambroſianum* tit. de fer. 6. in Paraſceve: *Interim datur ſignum veſperarum cum crotalo, ſeu tabula lignea. Ambroſiano* ritu dictis tribus diebus pulſantur Campanae, ipſa quoque feria ſexta in Paraſceve uſque ad illa verba, quae cantantur a Diacono: *Emiſit ſpiritum:* ſed ſilent deinde ad ſequens Sabbatum uſque ad *Alleluja*.

CRURIFRAGIUM apud *Judaeos* cum Cruci adfixis in uſu erat, quibus crura ſuffringebant, ut citius morerentur. In actis autem Martyrum, & libris gentilium ſupplicium erat a ceteris diſtinctum. Incus enim parabatur una cum vecte ac malleo ferreo: jubebantur miſeri tibias imponere ſuper incudem, quas ferus Carnifex vecte vel malleo validis ictibus ſuffringebat. Adi BARONIUM ad d. XXIII. Maji.

CRUX DOMINICA. Duo ejus feſta celebramus, Inventionis alterum, alterum Exaltationis. Ad primum quod adtinet, Miſſa & Officio proprio ornatur in Miſſali, & in Breviario *Mozarabum*. Miſſam propriam habet in Miſſali *Gallo-Gothico*, & in Sacramentariis *Bobiano*, *Gelaſiano*, *& Gregorianis* P. AMELII, MENARDI, & ROCCAE. De eadem ſolemnitate agunt Antiphonarium *Carnatenſe*, Comes P. AMELII, & Martyrologia latina fere

omnia,

omnia, inter quae *Lucenſe* FLORENTINII, *Corbejenſe* DACHERII, *Gellonenſe*, BEDAE genuinum, *Romanum* parvum, & exinde ADONIS, USUARDI, & *Romanum* BARONII, quibus accedit Kalendarium marmoreum *Neapolitanum*: die III. Maji INVENTIO S. CRUCIS. Ceterum *Gotho-Hiſpanos Inventionis Crucis Dominicae feſtum* ſolemniter celebraſſe ex Codice legum *Wiſigothorum* conſtat *lib.* 12. *Tit.* 3. *leg.* 6., etſi de hac ſolemnitate in Orationali *Gothico* nihil invenitur. Porro de Exaltatione S. Crucis die XIV. Septembris tam *Graeci*, quam *Latini* agunt. *Latini* in Martyrologiis *Hieronymianis*, excepto *Epternacenſi*, in *Gellonenſi*, in BEDAE genuino, in *Romano parvo*, in ADONIS, USUARDI, & in Martyrologio *Romano* BARONII, in Sacramentariis *Gelaſiano*, & *Gregorianis* omnibus, & in omnibus Capitularibus Evangeliorum, quibus nonnumquam *Exaltatio S. Crucis* inſcribitur. *Graeci* vero de eadem in Menologiis BASILII, & SIRLETI, in Menaeis, & Ephemeridibus metricis agunt. Sed *Graeci*, & *Latinorum* aliqui *Exaltationem S. Crucis* celebrare videntur ob primam Sancti Ligni inventionem, ab HELENA Imperatrice detectam, quam *Gotho-Hiſpani*, & *Galli*, & paſſim in *Occidente* peculiari feſtivitate *Inventionis S. Crucis* menſe Majo commemorant: hujus autem *Exaltationis Sanctae Crucis* ſolemnitatis inſtituendae duplicem cauſſam adfert vetus Romanum Martyrologium, quod *Romanum parvum* appellant, alteram toti Eccleſiae communem, alteram *Romanae* Eccleſiae peculiarem: *XVIII. Kal. Octob. exaltatio S. Crucis, ab* Heraclio *Imperatore* Hieroſolymam *reportatae; quando &* Romae *Lignum ſalutiferum Crucis a* SERGIO *Papa inventum ab omni populo veneratur*, eadem fuſius ADO, brevius USUARDUS proſequitur. In Lectionario *Ambroſiano* Em. THOMASII nulla fit mentio *Inventionis*, neque *Exaltationis Sanctae Crucis*; at in *Ambroſiano* P. AMELII, & in Miſſali *Ambroſiano* an. MDXLVIII. edito extat Miſſa *de Inventione S. Crucis*; de feſto *Exaltationis* S. Crucis ſiletur.

CRUX AD ARAM. Vetuſtiſſima apud Chriſtianos conſuetudo Crucem in ara aut collocare, aut ſuſpendere. Diſertis verbis de Cruce in ſummo Altaris faſtigio poſita meminit S. PAULLINUS *Nolanus* in epiſtola ad SEVERUM verſibus illis:

Divinum veneranda tegunt Altaria foedus,
Compoſitiſque ſacra cum CRUCE *Martyribus.*
Cuncta ſalutiferi coeunt inſignia Chriſti
CRUX, *Corpus*, *Sanguis Martyris*, *ipſe Deus.*

Audi quomodo interpretetur poſtremum verſum MABILLONIUS: CRUX *in ſummo Ciborii vertice*, CORPUS, & SANGUIS, *ideſt Reliquiae Martyris in imo, ſcilicet ſubtus altare;* IPSE DEUS, *hoc eſt ipſum Domini Corpus in columba adpenſum in medio*. Quin etiam, teſte EVAGRIO *lib. VI. cap.* 21. *Coſroes* junior *Perſarum* Rex, licet paganus, noverat hunc Eccleſiae morem figendi Cruces ad altare; nam regno reſtitutus, ſacra dona vovit Eccleſiae ſancti SERGII Martyris, eaque miſit ad GREGORIUM Epiſcopum *Antiochenum*, ſcilicet *Crucem auro & gemmis pretioſis elaboratam, & aliam Crucem auream*, in qua litteris *Graecis* longam epigraphem inſcripſit, ubi legitur, ut *Crux illa in ſacro altari defigatur*. Nec Crucis ſuper aram pendentis teſtimonia deſunt. GREGORIUS Turon. *de mirac.* S. JULIANI *cap.* 43.

Pen-

Pendebat autem, inquit, *ſuper ipſum altare Crux holocryſa* (ideſt auri pigmento ſuperornata) *eleganti opere facta*. De GREGORIO III. legere eſt apud ANASTASIUM: *Erexit* (in Eccleſia B. GENESII Martyris) *altare in nomine Salvatoris Domini Noſtri* JESU *Chriſti, in quo contulit patenam argenteam, & calicem, ſeu coronam argenteam cum delphinis ſex, nec non & coronulam auream cum Cruce pendentem ſuper altare*. Hanc autem Crucem in ara ſeu fixam, ſeu pendentem *Gotho-Hiſpani* ad aram accedentes ſalutare ſolebant. Eſt etiam Crux, quae apud nos Feria VI. in Paraſceve adoranda exhibetur. *Graeci* quidem Crucem Domini adorant, ſed Dominica quarta Quadrageſimae, qua die, & per totam hebdomadam quartam Crux Domini adoranda ſolemniter proponitur, illamque *omnes*, inquit Leo ALLATIUS *de Domin. & Feſt.* Graecorum *ſection.* 8., prius ſe ſigno Crucis ſignantes *adorant, ac demum deoſculantur*. Eſt etiam plane vetuſta illa, quam indicabam, conſuetudo Feria VI. in Paraſceve adorandi Crucem Chriſti: nam ſaeculo Aerae Chriſtianae quarto, ut ex epiſtola 31. S. PAULLINI Epiſcopi *Nolani* ad SEVERUM ſcripta conjicere licet, *Hieroſolymis, qua die Crucis ipſius miſterium colebatur*, Epiſcopus ejus urbis Crucem Domini quotannis *adorandam proponebat, princeps ipſe venerantium*: ex *Oriente* conſuetudo haec in *Occidentem* delata in Sacramentariis *Gelaſiano*, & *Gregorianis*, in Ordinibus *Romanis*, in AMALARIO, RABANO, vulgato ALCUINO, aliiſque his recentioribus rerum liturgicarum Scriptoribus commemoratur.

CRUX PECTORALIS. Eam collo adpenſam Epiſcopos geſtaſſe non eſt dubitandum. Vide GRETSERUM *lib.* 2. *de Cruce cap.* 28. Sufficiat illud GREGORII *Turon. de Gloria Martyr.* lib. I. c. 11. *ſe, extracta a pectore Cruce*, ignem reſtrinxiſſe narrantis. Ante INNOCENTIUM tamen III. nuſquam invenimus, hujuſmodi Crucem inter Epiſcoporum ad aram operantium, ornamenta cenſeri; niſi fortaſſe eam Rituales Scriptores omiſere, quod Epiſcopi de collo pendentem quotidiano & continuo uſu palam geſtarent. DURANDUS *Mimatenſis* in ſuo Pontificali inter ornamenta Epiſcopo ſolemniter celebraturo neceſſaria illam memorat veluti liberi uſus: *Crux Pectoralis, ſiquis ea uti velit*.

CRUX STATIONALIS ea erat, quae ex Altari S. PETRI, ut MALLIUS teſtatur, ſumpta, *Romano* Pontifici, Clero, & Populo ad ſtationes ſolemni ritu procedentibus praeferebatur. Hujuſmodi Crux erat, quam ANASTASIUS in LEONE III. refert a CAROLO Magno Baſilicae *Conſtantinianae*, ideſt *Lateranenſi, oblatam fuiſſe Crucem gemmis hyacinthinis, quam almificus Pontifex in letania praecedere conſtituit ſecundum petitionem ipſius piiſſimi Imperatoris*. Cruces *ſtationales* in Eccleſia *Romana*, ut conjecerat *Carolus* CANGIUS, *a bajulis*, hoc eſt a miniſtris ejuſdem Eccleſiae, qui proceſſionibus publicis intererant, & Cruces, & candelabra bajulabant, geſtabantur. Id CANGIUS arguit ex his vulgati Ordinis *Romani* verbis: *Poſt Epiſcopos Presbyteri, deinde Monachi, deinde ſchola, deinde milites draconarii, ideſt qui ſigna portant, poſt eos bajuli, poſt eos ceroſtatarii*. In aliis etiam Eccleſiis ex more miniſtri ad Cruces in litaniis praeferendas deſtinari erant. Res conſtat ex JUSTINIANI Novella, ubi decernitur: *Omnibus autem*

tem laicis interdicimus litanias facere ſine ſanctis Epiſcopis, & qui ſub eis ſunt reverendiſſimis Clericis. Qualis enim eſt Litania, in qua Sacerdotes non inveniuntur, & ſolemnes orationes faciunt? Sed & ipſas honorandas Cruces *(cum quibus & in Litaniis ingrediuntur) non alibi, niſi in venerabilibus locis reponi: & ſi quando opus vocaverit ad Litanias celebrandas, tunc ſolum ipſas Cruces adcipere eos, qui conſuete eas portare ſolent, & cum Epiſcopo & Clericis Litanias celebrare.* Vide CIAMPINI diſquiſitionem *de Cruce Stationali*, & GEORGIUM *lib. I. de Liturg Rom. Pont. cap. 5.* Ceterum in omnibus Supplicationibus, & in occurſu Epiſcoporum, Imperatorum, Regum, procerumque Virorum, hoc in more vel ab antiquiſſimis temporibus poſitum fuit, ut Cruces praeferrentur, Clero & populo cum Pſalmodia cantantibus. Hujus moris monumenta profert *Jacobus* GRETSERUS *lib. 2. de Cruce cap. 31. & 35.* Cave autem, ne Crucem ſtationalem cum ea confundas, quae ante Pontificem, dum per Urbem incedit, ex veteri more praefertur. Hujus autem Conſuetudinis praeclarum teſtimonium extat apud ANASTASIUM in LEONE IV.: *Fecit*, inquit, *idem benigniſſimus Crucem auream noviter; & ipſa Crux, ut mos antiquitus eſt, Subdiaconi manibus ferebatur ante equum praedeceſſorum Pontificum, quam Deo juvante in auro, & argento, ac gemmis melius renovavit.* Diſcimus ex his antiquum morem, hujus Crucis materiam, formam, & a quo ante Pontificem praeferretur. Porro quemadmodum honoris cauſſa *Romani* Pontifices olim conſuevere inſignia, & ornamenta quaedam, ipſis & Eccleſiae *Romanae* propria, illuſtrioribus Eccleſiarum Praeſulibus elargiri, ita Archiepiſcopos, Legatoſque Apoſtolicae Sedis Crucis ante ſe praeferendae privilegiis decorarunt.

CRUCEM SEQUI, ex MARTENE in Indice Onomaſt. eſt Proceſſionem agere.

CRUCES FERRE AD CORPORA, cum Cruce funera, ſeu exequias praecedere. *Cuſtodes Canonicorum deferunt Cruces ad Corpora illorum, qui ſunt de Monaſterio.* PURICELLUS *pag.* 1159.

CRUCEM SIBI DEPINGERE, Crucis ſigno ſe ſignare. *Quando debet recitare Evangelium, oſculatur Altare, ſingulas Cruces ad ſequentia ſancti Evangelii in fronte, & in pectore ſibi depingit.* MARTENE l. 2. c. 6.

CRUCEM IMPRIMERE, ideſt ſigno Crucis ſignare. Ibidem: *Quum dicit honor & gloria, extra Calicem in ſummitate ipſius duas Cruces imprimit.* Bursfeldenſes. *Sacerdos adcedens ad altare impreſſo ſigno Crucis labio illius ipſum oſculatur, Crucem imprimit Altari, ipſum oſculando.* Nec mirum id in re ſacra praeſcribi. Chriſtiani enim omni aevo quum alicujus momenti opus adgrederentur, Crucis ſigno utebantur, teſte TERTULLIANO *de Corona milit. cap. 1.* Adi GRETSERUM *de Cruce*.

IN CRUCE INCENSARE, Crucis ſignum facere cum thuribulo ſupra rem, quae thure adoleri debet. MARTENE l. 5. c. 10. *Sacerdos incenſat Altare majus in Cruce, ſimiliter Corpus defuncti in Cruce, a capite incipiens.*

CRYPTAE. Vide Coemateria.

CUBICULARIUS. Vide Cappellanus, Martyrarius.

CUBICULUM. Vide Cappella.

Digitized by Google

CUCULLA, exterior Monachorum veſtis ad modum togae: Interdum tamen, ut apud CASSIANUM *lib. I. c.* 4. capucium ſignificat: *uſque ad cervicis, humerumque demiſſum confinia, quo tantum caput contegatur:* hoc alii *Flocum* vocant. In Clement. tamen *de ſtat. Monach. cap. ne in agro* aliter haec explicantur: *Cucullae nomine* (ita ibi) *habitum longum, & amplum, ſed manicas non habentem: nomine vero Floci habitum, qui longas & amplas habet manicas, nos intelligimus.*

CUCUMA, CUCUMELLUM. Vas ex quacumque materia pro conſervando vino, & aqua ad uſum Sacrificii. *Calices duo aurei, item calices ſex argentei, Cucumellum unum*, apud BARON. T. II. Annal.

CULLEUS, ſaccus erat ex corio factus, quo cum cane, gallo, ſerpente, & ſimia incluſus parricida mergebatur in mare, ex praeſcripto legis *Romanorum*, quam tulit POMPEJUS in ſuo Conſulatu, de qua MODESTINUS *ff. ad legem Pompejam de parricidis*. Apud SENECAM lib. VII. declam. I. invenies & culleum lignum: ſic dicta navis exarmata, in quam reus impoſitus, maris diſcrimini committeretur: quo ſupplicio ſaepe damnatos eſſe Chriſtianos invenimus.

CULTELLUS. In indiculo Theſauri S. TRUDONIS habemus *fuſcinulas aureas parvas de auro penſas denariorum quinque; cultellum auro paratum*. In Sacrario *Centulenſi*, ANGILBERTI Abbatis ſtudio donariis locupletato, erat *cultellus auro & margaritis paratus I. Item cutelli* (cultelli) *argentei IV.* Sed cuinam uſui? *Cultelli*, ni fallor, ad ſectionem praeſertim *eulogiarum*. Hujuſmodi culter fuit, quo S. THOMAS Cantuarienſis utebatur. Delatum inſigne hoc chriſtianae pietatis cimelium ex Anglia Vercellas fuit a Card. Guala BICHERIO in Anglia Legato a Latere. Vide Cl. P. ALLEGRANTIAE diſſertationem *de Cultro oblationum Chriſtianarum p. 35. ſeqq.* inter ejus *opuſcula erudita* Cremonae edita 1781.

CUPHIA apud Lexicographos aliquando accipitur pro mitra, aliquando pro pileolo, quem geſtabant Eccleſiaſtici ad aures protegendas. *Eccleſiaſtici pileolos* ſeu *Chuphias geſtant in capite, dum adſiſtunt altaribus*. Albin. FLACCUS *de divin. offic. c. 37.*

CUPPA, aliquando vas ad reponendum Euchariſtiam ſignificat, in cujus rei confirmationem adfertur illud Necrologii *Pariſienſis* Eccleſiae Id. Aug. *Dedit nobis calicem aureum cum patena ponderis IV. marcarum auri, de quo facta fuit* Cuppa *ad reponendum Euchariſtiam*. Aliis vero uſibus fuerunt *cupae argenteae duae* in Theſauro TRUDONIS, nempe ad *ferendum incenſum*, ut in ejus Abbatiae Chronico exprimitur.

CURSOR, is, ad quem Epiſcopis, aliiſque Chriſtifidelibus deferendarum Epiſtolarum, itemque indicendarum ſynaxium officium ſpectabat; in veteri lapide CURSOR DOMINICUS. Romae adhuc durant Papae Curſores, qui Conſiſtoria intimant, aliaque Pontificis mandata deferunt, Bullaſque promulgant.

CURSUS, officium divinum ſic dictum vel a curſu ſolis, qui orationis horas dirigit, deſumpto vocabulo, vel quia legendo, & cantando percurritur. Hanc appellationem illi indidere GREGORIUS *Turonenſis lib. I. de Glor. Martyr.* ajens, opus ſe elaboraſſe *de Curſibus Eccleſiaſticis inſcriptum*;

FORTU-

Digitized by Google

FORTUNATUS in Vita S. GERMANI *Pariſienſis*, de quo habet: *Iter agens ſemper nudo pede Curſum recitavit*. Circa medium autem ſaeculi VII. *Romanus Curſus* commemoratur in Vita S. ALBERTI Abbatis, & S. SERENICI.

CUSINUS. Vide PULVILLUS.

CUSTODIA MAMERTINI, Carcer ille, qui nobilitatus vinculis Ss. Apoſtolorum PETRI & PAULLI, aliorumque ſanctorum Martyrum, ad radices *Capitolii*, ſupra locum, quem hodie *Forum* dicunt, poſitus, ſubterraneos habens deſcenſus, a Chriſtianis ſtatutis diebus, religionis ergo, frequenti coetu inviſitur. Plura de hoc Carcere a BARONIO diſputata legeſis ad diem 14. Martii.

CUSTOS THESAURORUM. Vide CIMELIARCA.

CYMBALUM, Tintinnabulum, ſignum &c. *Quum audierint Cymbalum, ordinate, & ſine ullo ſtrepitu feſtinent*. Ordo *Converſationis Monaſticae*.

CYRIACA, Eccleſia. *Sic etiam Cyriaca, ideſt Dominica a Domino nuncupatur, quia Domino dominantium in illa ſervitur*, WALAFRID. *de exord. & increm. Eccleſ. c. 7.*

D

DALMATICA, Diaconorum proprium indumentum, uti & ſtola ſive orarium in humero ſiniſtro. Solis olim Diaconis R. E. adtributa fuit, atque, ut aliqui putant, ex SYLVESTRI I. decreto; aliis poſtea ex Summi Pontificis auctoritate conceſſa, ut Diaconis Eccleſiae *Arelatenſis* a SYMMACHO, Archidiacono Eccleſiae *Vapincenſis* a S. GREGORIO M. In modum Crucis efformata erat Dalmatica, cujus moris praeter vulgatum ALCUINUM teſtem habemus Miſſam *Illyrici*. Nunc Dalmatica Diaconi, & Tunica Subdiaconi non differunt, niſi quod hujus manicae ſtrictiores & breviores ſunt; quamquam idipſum ſaepe negligitur. Olim tamen magnum inter utramque fuiſſe diſcrimen ſatis indicat Ordo *Romanus*, immo haec *tunicellae*, & *ſubtilis* nomine deſignabatur, ut a Diaconali Dalmatica diſtingueretur. Dalmatica inter Epiſcoporum quoque veſtes in Ordine *Romano* indicatur, eratque albi coloris. Ejus uſum AREGIO Epiſcopo, illiuſque Archidiacono S. GREGORIUS M. conceſſit, ut ex lib. VII ep. 113. ejuſdem S. Pontificis conſtat. Vide COLOBIUM.

DANIEL PROPHETA, & DANIEL CUM BENEDICTIONE indicant hymnum trium Puerorum, qui non modo in *Gallia* (S. GERM. in *explic. Miſſae*) ſed etiam in *Hiſpania in omnium Miſſarum ſolemnitate de pulpito* canebatur ex decreto Concilii IV. *Toletani* Can. 14. Canebatur autem tam a *Gallis*, quam a *Gotho-Hiſpanis* antequam Apoſtolus legeretur. Plura in libris Liturgicis extant hujus hymni exemplaria, quorum vix unum occurrit, quod cum alio perfecte, quo ad voces, conveniat, etſi omnia, quoad ſenſum, e capite octavo DANIELIS deprompta ſunt.

DARE CONFESSIONEM, idem quod dicere *Confiteor*. Conſuetudines S. GERMANI: *Signo Completorii pulſato, agatur oratio, qua finita, dato ſigno a Priore invicem ſibi dent Confeſſiones, ſalutare remedium &c.* Vide CONFESSIO.

DASIUM, barbara vox ex Gallico *Dais*, *umbella*, *baldacchinum*. Conſuetudines S. GERMANI. *Conventus adſcendet ad menſas, ſed non ſedebit, quouſque Prior ſederit ad daſium, & ſederit ſuper ſedem. Si vero Abbas non fuerit ad collationem, conventus non erit ſuperius ad menſas, ſed ſtabunt inferius, donec Abbas tranſierit, & ſederit ad daſium ſupradictum*.

DATARIUS, qui expediendis, & explicandis gratiis a Pontifice conceſſis praeſt, ſic dictus vel a *data*, ſeu litterarum ſubſcriptione, vel a dando; Hic autem ſi Praelatus eſt, *Datarius*; ſin Cardinalis, *Prodatarius* vocatur; Aedes, ubi ejus Tribunal extat, *Dataria* vulgo dicitur.

DATARUM, dici adnunciatio Martyrologii lectioni praemiſſa. Ordinat. *Caſſin. Finita prima* (Feria V. in Coena Domini) *abſolvatur Capitulum: Lector autem dicto Dataro, & Luna adjungat: Paraſceve: Dominus noſter* JESUS *Chriſtus Crucifixus eſt*.

DECANUS, dignitas in Eccleſiarum Capitulis ſaepius occurrens, uti & inter Monachos, quibus, qui ex Regula S. BENEDICTI decem Monachorum curam gerebat, *Decanus* dicebatur.

DECIMA, ea eſt fructuum, & emolumentorum pars, quae ſupremo Numini offertur. Exemplo aliis praeivit ABRHAM, qui de omnibus, quae ex manibus quinque Regum eripuerat, decimas dedit Sacerdoti MELCHISEDECH, *Gen. XIV.* 20. Avum ſequutus Nepos JACOB, profecturus in *Meſopotamiam Syriae*, pro felici reditu vovit, ſe Deo oblaturum *decimas* omnium, quae a divina Bonitate eſſet adquiſiturus, *Gen. XXVIII.* 22. Hanc decimae partis determinationem adeo gratam, ratamque habuit Deus, ut eamdem fructuum partem ſibi a populo *Hebraico* offerri, ſevere per MOYSEN praeceperit, *Ex. XXII.* 29.; quumque Levitis decimas pro miniſterio adſignaſſet, voluit, ut hi ipſi decimam partem hujus portionis redderent AARONI, & filiis ejus Sacerdotibus, *Num. XVIII.* 26. Quamvis autem in lege Evangelica praeceptum de decimis non habeamus, nihilominus primi mox Fideles, vel ex Judaiſmo, vel ex idololatria ad Chriſtum converſi, non minorem liberalitatem, quam antea conſueviſſent, erga Deum exhibuerunt. Teſtem habemus ſaeculo ſecundo IRENAEUM adv. *haer. lib. IV. c.* 34., qui cenſet, majora offerre debere Chriſtianos, utpote majorem ſpem habentes, quam antea obtulerant *Hebraei* offerentes decimas. Eadem doctrina imbuere Fideles conatus eſt Scriptor *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, quiſquis demum ille ſit, certe antiquiſſimus, *l. II. c.* 25. & 35., & ORIGENES *in lib. Num. hom. II.* qui putat praeceptum Legis veteris de decimis etiam juxta ſenſum litteralem ſtringere Chriſtianos, nec horum juſtitiam abundare pluſquam *Phariſeorum*, niſi eadem profuſione decimas omnium, quae poſſident, Deo reddant. Eamdem doctrinam inculcant Canones ex HIERONYMO, AUGUSTINO, & AMBROSIO apud GRATIANUM relati. Vide THOMASS. *vet. & nov. diſcipl. p. III. lib. I. cap.* 4. *ſeqq.*

DECRETALE, decretum, conſtitutum Synodice factum; item Romanorum Pontificum epiſtolae.

DECRETALES epiſtolae eae ſunt, quibus *Romani* Pontifices ad interrogata reſpondebant, & vitanda, ſequendave decernebant. Genuinas veterum Pontificum ejuſmodi epiſtolas edidit, illuſtravitque D. COUSTANTIUS e San-

Digitized by Google

e San-Mauraea Congregatione Monachus.

DECUMANUS, Ordo Presbyterorum in Eccleſia *Ambroſiana*, qui cum ferula incedebant. Horum mentio pluries apud PURICELLUM, & praecipue *pag.* 1037. *Item dixit, quod conſuetudo talis eſt Mediolanenſis Eccleſiae, quod Decumani omnes, aut pars major, qui ſunt de numero centum &c.* Eos S. CAROLUS ſuppreſſit.

DECURIA, apud veteres Monachos ſumebatur pro Collecta, ſive Oratione, vel Commemoratione. *Lyrenſes tres faciebant commemorationes... in ſecundo autem additur & quarta, & ad Cappellam decuria quinta,* Deus cujus miſeratione &c. *immo ſi neceſſe eſſet & ſexta, vel pro pluvia, vel pro ſerenitate &c.* MARTENE lib. 3 C. 3.

DECURIA *ritu Ambroſiano* eſt diviſio Pſalterii in binas hebdomadas: in prima enim hebdomada dicitur Decuria una, ſecundaque in alia.

DEDICARE, celebrare. Donatio S. RUDEFINDI pro Monaſterio *S. Salvatoris de Cella nova Concil. Hiſpan. Tom. III. pag.* 181. *col.* 2. *Feſta S. Archangeli* MICHAELIS dedicetur *ſaepe in memoriam filii mei*. Epiſtola BALDUINI *Imp. CPolit. de ejuſdem Urbis expugnatione per Latinos an. MCCIV. Haec, quae Chriſtum ſolius* dedicat *honore picturae*.

DEDICATIO. Vide Consecratio Ecclesiarum.

DEDICATIO S. MARIAE *ad Nives* 5. AUG., quo die nix ferventiſſima Caeli tempeſtate decidua locum Templo deſignavit LIBERIO Pontifice. De hoc miraculo non ſolum Breviaria Mss. ſaeculo XV. meminere, ſed etiam PIUS II. in Bulla a. MCCCCLIII. marmori inſculpta, immo & NICOLAUS IV. a. MCCLXXXVII. ad Pontificiam Cathedram evectus in alia Bulla, quam recitat Paullus de ANGELIS *de Baſilic.* S MARIAE *Major. lib. II. c.* 1. Nihilominus ſaeculo tantum XIV. ad totam Urbem haec Feſtivitas *Liberianae* Baſilicae propria extenſa eſt; quare RADULPHUS *Tungrenſis prop.* 22. eam inter Feſtivitates in Urbe ſolemnes recenſet. PIUS vero V. illam in Breviarii *Romani* reformatione toti orbi Catholico primus propoſuit.

DEFENSORES Eccleſiae *Romanae*. Erant ex ordine Clericali, eorumque munus erat pauperum potiſſimum, & Eccleſiarum defenſioni, ac utilitatibus invigilare, ut & legata ad pias cauſſas relicta in eleemoſynam pauperibus diſtribuerentur. Sub uno Primicerio *Romae* erant. Hinc vero ad alias quoque Provincias mittebantur, ut de Epiſcoporum moribus cognoſcerent. Ad eos quoque ſpectabant cauſſarum cognitiones, conventiones, acta publica, litigia, & quaecumque vel Eccleſiaſtica inſtituta, vel ſupplicantium neceſſitas poſtulabat. Vide Regiſtrum S GREG. M., qui vetuit, ne ex Laicorum coetu amplius eligerentur; eorum numerum ad ſeptem auxit, totidemque Urbis Regionibus adſignavit, unde & *Regionarii* dicti *lib. I. ep.* 17., *l.* 4. *ep.* 24. & 25., *lib.* 7. *ep.* 66., *lib* 11. *ep.* 21. Acta S. SEBASTIANI CAJO Papae defenſoriam inſtitutionem tribuunt. Viguere non ſolum *Romae*, ſed & alibi uſque ad ſaeculum XII., iiſque Eccleſiarum Advocatos ſucceſſiſſe *Joh.* MORINUS in opere *de ſacris ordinationibus* cenſet. Certe eorum locum *Romae* nunc obtinere ſacri Conſiſtorii Advocatos ferunt. Quocirca in Ordine *Romano* XII. CENCII Camerarii, & in alio Ordine juſſu GREGORII X. vulgato, *Advocati* adpellantur. Verum priſcis temporibus in Eccleſia

Romae,

Digitized by Google

Romana Defenſores ab *Advocatis* diſtinguebantur. Patet ex Ordine *Romano* primo, in quo praecipitur, ut Defenſores una cum acolythis Pontificem uſque ad Eccleſiam praecederent, deinde additur: *Advocatores autem Eccleſiae ſtant quidem cum majoribus* (domus Eccleſiae Romanae) *non autem praecedunt cum eis, ſed ipſi tantummodo ſequuntur ſellarum Pontificis.*

DEFUNCTI. Vide PAUSANTES. Fieri omnium Defunctorum commemorationem primus S. ODILO *Cluniacenſis* Abbas a. DCCCCXCVIII. ſuis in Monaſteriis inſtituit: qui mos a ſummis Pontificibus poſtea probatus in univerſam Eccleſiam pervaſit. Officium defunctorum a Veſperis incipit, nec niſi Matutinum & Laudes habet, ut cum DURANDO *Ration. lib. VII. cap. 35.* docet CATALANUS in *Caerem. Epiſcop.*, licet alicubi dictum ſit cum primis, & ſecundis Veſperis, ceteriſque horis Canonicis. Vide ABSOLUTIO, COMMUNIO MORTUORUM, DIES POLITUROICI, EXEQUIAE, MISSA ANIMARUM, MISSA DEFUNCTORUM, OBSEQUIUM.

DEGRADATIO, quae & *exauctoratio*, *depoſitio*, *dejectio* vocabatur. V. BARONIUM *ad an. LVII. n. 22. & 23.* Olim degradari dicebantur Clerici, qui a ſuperiori ordine ad inferiorem detrudebantur, aut ad communionem laicam redigebantur. Hinc ſi ordinibus ſuis reſtituerentur, Ordinum illorum inſignia ipſis reddebantur. *Gradus amiſſos recipiat, & coram Altari de manibus Epiſcoporum, ſi Epiſcopus eſt, orarium, & baculum, & anulum; ſi Presbyter eſt, orarium, & Planetam; ſi Diaconus, orarium, & Albam. Can. Epiſcopus II. quaeſt. 3.* Nunc degradatio locum habet, *ſi ita gravis fuerit exceſſus, quod mortem, vel detruncationem membrorum debeant* (qui ejus criminis rei ſint) *ſuſtinere*. Nam antequam Curiae ſaeculari tradantur, eos Epiſcopus exuit *omni ordine & privilegio Clericali*. Formam degradationis habes in hodierno Romano Pontificali, in quod tranſiit ex decretali BONIFACII VIII. *in cap. 2. de poenis in 6.* Ex praeſcripto tamen ejuſdem Pontificalis Pontifex degradator, ne ad ſanguinis vindictam concurrere videatur, intercedere debet apud Judicem ſaecularem, ne ullum degradato *mortis, vel mutilationis periculum inferat*.

DELPHINI, certum Lychnuchorum genus, quod *Delphinum* vocabant. Ita enim ſcribitur: *Fecit pharum unum cum X. delphinis*. Pharum porro etiam coronam vocabant, forte, quod rotundus eſſet. *Fecit*, inquit Bibliothecarius, *coronam, ideſt pharum, cantharum cum delphinis quatuor oleo ardentibus*; ubi illud animadverſione dignum eſt, quod, quamquam idem fere eſſe lychnuchum, & delphinum dixerim, nonnihil tamen inter ſe differre opus fuit. Nam delphini ardentes cum pharis, cantharis, vel cum coronis conjunguntur, lychnuchi vero cum lucernis. Ita PANVINIUS. Vide ſupra CORONAE.

DENARIUS S. PETRI, qui a *Romano* Pontifice in *Anglia*, *Galliis*, *Polonia*, *Hibernia* annuatim per ſingula capita exigebatur.

DENUNTIATIO feſtorum, jejuniorum &c. Vide BONAM *lib. 2. cap. 16. §. 4.*, & infra vide FESTORUM DENUNTIATIONES.

DEPOSITIO, quae & in Saxis Chriſtianis barbare inſcribitur *depoſſo*, *depoſtio* (Vide LUPIUM ad *Epitaph.* S. SEVERAE *p. 173.*) diem ſepulturae ſignificat, non (quod SCALIGER in Indice *Gruteriano* ſcripſit) diem obitus.

tus. Vide BONARROTIUM in *Vitris coemeterialib.*, Equitem VICTORIUM tum in *hiſt. VII. Dormientium c.* 12., tum in diſſertatione *philologica*, *qua nonnulla monumenta ſacrae vetuſtatis vulgantur*, & Cl. de VITA *Theſauri antiq.* Benev. *Tom. I. diſſ. XI.*

DESPONSATIO B. M. V. 23. Januarii celebratur. *Joh.* GERSON primus hujus myſterii officium propoſuit, & concinnavit. PAULLUS III., qui ut Deſponſatio B. V. a Fratribus *Minoribus*, ac Sororibus coleretur, conceſſerat, *Petrum* DORE' *Dominicanum* officium proprium hujus feſtivitatis componere juſſit, quod ab eo editum etiam probavit. Poſt Breviarii reformationes Eccleſiaſticae ditionis regionibus, aliiſque *Italicis*, atque adeo & exteris Eccleſiis, ejus officii recitandi facultatem BENEDICTUS XIII. die 22. Aug. MDCCXXV. impertiit.

DEVOTUS. Eccleſia oratione hac: *Sancta* MARIA *ſuccurre miſeris &c.* orat primum pro afflictis in populo, quo utrumque ſexum contineri nullus dubitat: deinde pro Clero, quo viri in ſortem Domini vocati: poſtremum pro devoto foemineo ſexu. Cave autem putes, heic *devotum* ad *Italicum* nomen *Divoto* pro *Pio* uſurpari. Nihil minus. Feminae heic deſignantur per vota Deo devotae. Extat hoc ſenſu AMBROSII libellus *ad Virginem devotam*, & AUSONIUS Poeta Chriſtianus de Amita ſua Virgine devota ſic canit *Parentali ſept.*

Faeminei ſexus odium tibi ſemper; & inde
Crevit devotae Virginitatis amor.

Idem *Parentali* 27. de Matertera:

Innuba devotae quae Virginitatis amorem
Parcaque anus coluit.

Et in officio de S. LUCIA habet Breviarium: *Soror mea* LUCIA *Virgo Deo devota*.

DIACONIAE a Diaconis dictae ſunt. Erant hae publicae pauperum hoſpitales domus, quae oratoria, & ſacella adjuncta habebant, in quibus a patre diaconiae, ſive Diacono egenis neceſſaria ſubminiſtrabantur. Nam Diaconi inopia laborantium viduarum, & pupillorum miniſtri erant, hiſque domibus hoſpitalibus praeerant. Antiquitus in *Romana* Eccleſia per ſingulas Urbis regiones Diaconi diſtincti erant, Diaconique *regionarii* vel talis, & talis regionis appellabantur. Poſt eorum praecipuo uſu exoleſcente, & hoſpitalibus domibus eorum negligentia dirutis, ipſorum ſacella, vel aediculae ſuperfuerunt, quae Diaconiae nomen retinuerunt; a quibus Diaconi Cardinales Urbis *Romae* poſtea denominationem habuerunt: ſic Diaconus Cardinalis Ss. COSMAE, & DAMIANI, vel S. THEODORI.

DIACONICUM, *Diaconion*, *Diaconium*, ideſt locus Eccleſiae proximus, in quo Epiſcopus peregrinos recipiebat. Significabat etiam Sacrarium, in quo indumenta, vaſaque ſacra conſervabantur. *Educitur e Diaconico, & Diacono ipſum praecedente, & deducentibus Presbyteris duobus per portam Templi dexteram:* SIMEON *Theſſalonicenſis* deſcribens comitatum Epiſcopi *Graeci* ſacris veſtibus indui uſque ad altare. Eadem vox occurrit hoc ſenſu *can.* 21. Conc. Laodiceni; immo παρατεταγμα, qua voce utitur S. GREGORIUS NAZIANZENUS *orat.* XX. in laudem S. BASILII M. agens de VALENTE in ſa-

in ſacrario BASILIUM conveniente, NICETAS interpretatur διακονικόν.

DIACONISSA. In Diaconiſſas eligebantur *viduae non minus ſexaginta annorum*, & quod ſupra excurrit, quaequae ſapientiae, & in proximos beneficentiae fama ceteris praeſtabant. Nonnunquam Virgines huic eidem muneri praeficiebantur. Solebant autem *Diaconiſſae* appellari, non quod inter Clericos numerarentur; nullius enim vel remoti gradus ad Sacerdotium capax ille ſexus eſt; ſed quod erga feminas Diaconorum ipſorum partes aliquas obirent. Singuli enim ſui ſexus perſonas adibant, quas inopia, aegritudo, aliave calamitas Eccleſiae cura ſpeciatim dignas fecerat. Porro Catechumenas inſtituebant, vel potius Catechiſtae inſtitutionem repetebant, eaſdem ad ſacrum deducebant fontem, inque ponendis veſtibus, ac ſubinde recipiendis operam ſuam conferebant; recenter Baptiſmo tinctas apud ſe aliquamdiu tenebant, quo eas ad vitae chriſtianae normam magis magiſque excolerent. In Eccleſiis, qua parte feminae intrabant, fores a Diaconiſſis cuſtodiendae erant, & ſuus ſingulis adſignandus locus, in quo cum ſilentio, modeſtiaque unaquaeque verſaretur. Officii quoque ſui rationem Epiſcopo, vel Epiſcopi juſſu Presbyteris, aut Diaconis reddere debebant, quod eo potiſſimum ſpectabat, ut certiores ipſos redderent de reliquarum mulierum ſtatu, & quod commode per ſe ipſi facere viri Eccleſiaſtici propter ſexus diſcrimen non poterant, id vicaria opera ipſae efficerent. Diaconiſſarum habitus erat a ſaeculari diſtinctus, quod docet Canon 104. Concilii IV. *Carthag.: Viduae, quae ſe devoverunt Domino, & veſte laicali abjecta ſub teſtimonio Epiſcopi, & Eccleſiae in religioſo habitu apparuerint*. Manuum quoque, non illa tamen Sacramentali, impoſitione antiquitus ordinabantur. Deferveſcente tamen pietatis, ac religionis ſtudio, & gliſcentibus Diaconarum vitiis, deficiente pariter conſuetudine Baptiſmum in provectiorem aetatem differendi, paullatim exoleſcere coepit Diaconiſſarum miniſterium. Siquidem ſub ipſo S. LEONE I. habitum *Arauſicanum* primum Concilium *Can.* 26. de illis abolendis cogitans decernit: *Diaconae omnimodis non ordinandae: ſiquae jam ſunt, benedictioni, quae populo impenditur, capita ſubmittant*. Quibus verbis eas, quae ſuperſunt, in ſtatum redigit vulgarem ac ſaecularem. Deinde ſub HORMISDA Pontifice Concilium *Epaonenſe* ſic decernit Can. 21: *Viduarum conſecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni regione noſtra poenitus abrogamus, ſola poenitentiae benedictione, ſi converti ambiunt, imponenda*. Demum *Aurelianenſis* ſecunda Synodus ſub JOANNE Papa ſecundo ita ordinavit Can. 18. *Placuit etiam, ut nulli poſtmodum feminae Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur*. Diaconiſſarum aliquod etiamnum in *Mediolanenſi* Eccleſia veſtigium ſupereſt; in ea enim ubicumque Archiepiſcopus pontificaliter celebrat, in Miſſis cantatis, nonullae feminae, aetate provectae, habitu particulari indutae, panem & vinum pro ſacrificio offerunt, aliaque praeſtant. Vide VEGLONES.

DIACONITAE, & DIACONITES. Horum mentio in libro *Diurno* cap. *VII. Tit.* 17. Cangius in ſuis ad Gloſſarium *Med. & inf. Latinit.* additionibus *T. II. pauperes* interpretatur, *qui in Diaconiis alebantur*. Viri ſummi erratum corrigit Muratorius *Ant. Ital. diſſ. XXXVII.* ex veteri apud Turrigium lapide, ubi Euſtathius aliqua offert Diaconiae S. MARIAE in Coſme-

din

diu *in uſus iſtius Sanctae Diaconiae pro ſuſtentatione Chriſti Pauperum, & omnium hic deſervientium* DIACONITARUM. Hinc enim conſtat, Diaconites fuiſſe Diaconiae Miniſtros, qui pauperibus alimenta, & eleemoſynas ſub Rectore Diacono ſuppeditabant.

DIACONUS *Graecae*, Miniſter *Latine* dicitur. Apoſtoli verbi Dei praedicationi vacantes, quum inopia laborantium ſublevarioni adtendere nequirent, miniſtros ſeptem, quos Diaconos appellavere, elegerunt, quibus pauperum, & viduarum curam (ut LUCAS *Act.* 6. tradit) demandarunt. Apoſtolorum exemplo EVARISTUS Papa primus in *Romana* Eccleſia ſeptem Diaconos ordinavit, qui, quum Presbyteri docendis populis, & Sacramentis adminiſtrandis vacarent, ipſi viduis, pupillis, pauperibus, & egenis ex Eccleſiae theſauris, & oblationibus fidelium ſubvenirent. Hi quum autea praeſcriptum ſibi, & certum locum non haberent, primus Urbis Regiones ſingulis diviſit FABIANUS Papa, certaque loca adſignavit, quae *Diaconiae*, & pauperum hoſpitalia dicta ſunt, quibus il praeerant, & in ſuis quiſque regionibus fidelium pauperum neceſſitaribus ex Eccleſiae pecunia, & Chriſtianorum eleemoſynis a Subdiaconis collectis, atque ab ipſis cuſtoditis, quantum in ſe eſſet, ſuppeditabat. Longo tempore poſt Diaconorum in Eccleſia *Romana* numerus auctus eſt, & ex ſeptem quatuordecim primum facti; a ſaeculo deinde XII. octodecim, ſaeculo XIV. modo ſexdecim, modo novemdecim numerati. Ex his porro quatuordecim *Regionarii* vocabantur, quod ſingularum regionum, quae quatuordecim erant, Diaconiis praeeſſent: quatuor *Palatini*, vel *Baſilicarii* dicti, quod in Palatio, & Baſilica *Lateranenſi* Papae miniſtrarent. Diaconi vero *Stationarii* nomen perpetuum non erat, ſed ad tempus. Ita enim appellabatur is, qui ea vice Pontifici ad ſtationem aliquam profecto miniſtraret. Erat ex *Regionariis* unus ſub finem ſaltem decimi ſaeculi *Oblationarius*, qui *Oblatas*, ideſt panem & vinum, celebrante Pontifice, pro ſacrificio praeparatum Archidiacono porrigebat, ut *Johannes Diaconus*, qui a. DCCCCXCIII. diplomati JOHANNIS XV. de S. UDALRICO *Auguſtano* Epiſcopo in Sanctorum album relato ſubſcripſit. Antiquitus erant Diaconi *Teſtimoniales*, qui Epiſcopum praedicantem cuſtodirent; qui uſus jamdiu exolevit. Diaconorum Cardinalium numerum coercuit SIXTUS V., edita ea de re Conſtitutione, & Diaconos Cardinales quatuordecim eſſe ſtatuit; & quae Diaconiae retinendae eſſent, edixit. Apud alias quoque Civitates numerus ſeptenarius Diaconorum praefinitus fuerat a Concilio *Neocaeſarienſi*, hoc edito Canone: *Diaconi ſeptem debent eſſe juxta regulam, licet & valde magna ſit Civitas: idipſum autem & Actuum Apoſtolorum liber inſinuat*; licet SOZOMENI aetate immutata pluribus in Urbibus haec foret diſciplina: ſcribit enim lib. I. cap. 15.: *Apud* Romanos *Diaconi non ſunt plures hactenus quam ſeptem, qui ab Apoſtolis primum ordinati ſunt. Apud alios vero haudquaquam definitus eſt numerus Diaconorum*. Praecipua Diaconorum munera erant, Evangelium (In *Hiſpania*, & in *Galliis* etiam Apoſtolum) legere; monere quum orandum erat, aut quum genua flectenda; ſilentium indicere, poenitentes, & catechumenos dimittere; pallium ab altari amovere; corporalia ſuper menſam altaris extendere; oblationes arae inferre; aquam lavandis manibus Sacerdoti infundere; diptycha recitare; calicem elevare; ſignum

Digitized by Google

faciendae pacis Communicantibus porrigere; abſoluta Miſſa populum dimittere; lucernae & cerei Paſchalis ſolemnem benedictionem praeferre &c. De veſtibus Diaconorum vide Alba, Dalmatica, Planeta &c.

DIAPSALMA, pauſa, ſeu intervallum in recitatione Pſalterii. *Legimus in 49. Pſalmo ſub ſecundo diapſalmate Spiritum Sanctum dixiſſe: peccatori autem dixit Deus*. Optat. MILEV. lib. 4.

DICERION, & TRICERION, Cereus biſulcus, & triſulcus, quibus Epiſcopus celebrans apud *Graecos* ſaepe populo benedicit, & utrumque frequenter manibus geſtat.

DICTERIUM, Ambo, Pulpitum, cui id nominis datum, quod ex eo Evangelia dicuntur &c.

DIES ALITURGICI ii ſunt, in quibus nulla Miſſa peragebatur. Olim *Alexandriae*, & *Romae*, SOCRATE teſte *l. 5. hiſt. Eccleſ. c. 21.*, hujuſmodi fuit dies Sabbati; in quadrageſima vero feria ſexta apud *Mediolanenſes*, & feria quincta apud *Romanos* uſque ad GREGORIUM II., immo feria quincta etiam extra Quadrageſimam diu manſit ſine proprio, & ſolemni ſacrificio, & ſiquis privatim ſacrificare voluiſſet, praecedentis Dominicae Miſſa utebatur. Apud *Graecos* dies *Aliturgici* erant, & etiamnum ſunt, omnes dies Quadrageſimae, quibus Miſſam *Praeſanctificatorum* uſurpant; nobis autem una nunc eſt feria ſexta Majoris hebdomadae. *Gotho-Hiſpani* omnibus diebus Dominicis, & qualibet feria quarta, & ſexta (dempta feria ſexta authenticae hebdomadae) tempore Quadrageſimae Sacrificium offerebant, aliis diebus quadrageſimalibus (excepto Sabbatho Sancto) Miſſam non celebrabant. Ex decreto Concilii *Braccarenſis Can. 9.* initio Quadrageſimae *convenientes in unum vicinae Eccleſiae per triduum cum pſalmis, per Sanctorum Baſilicas ambulantes* celebrabant *litanias*, *tertio autem die* (nimirum feria IV. poſt primam Dominicam Quadrageſimae) *celebratis hora nona, ſive decima Miſſis, dimiſſo populo* praecipiebant *Quadrageſimae ſervare jejunia*. Hinc etiam colligitur, quod *Gotho-Hiſpani* feria II., & feria III. hebdomadae primae Quadrageſimae Miſſas celebrabant.

DIES LUMINUM eſt P. AMELIO in adnotationibus ad CYPRIANUM; GALESINIO in Martyr., aliiſque Purificationis Marianae feſtum. Revera tamen Graecis, quibus id nomen uſitatum, eſt Epiphaniae dies, ſive a Baptiſmo, quem eo die ſolemniter conferunt, & φωτισμα illuminationem appellant. Vide hac de re diſſerentem Sebaſtianum PAOLI in diſſ. de *Neriton. Eccleſ. Ritu p. 25. ſeq.*

DIES POLITURGICI ii ſunt, quibus ab uno Sacerdote plures Miſſae dicebantur, ſicut hodie fit Dominicae Nativitatis die, & apud *Hiſpanos*, *Luſitanoſque* BENEDICTI XIV. facultate die Commemorationis omnium Defunctorum. Plures olim ejuſmodi dies fuere; de quibus vide BONAM *Rer. Liturg. lib. I. cap. XVII.* §. 6. & 7., cum primis Cl. AZEVEDO in luculento Opere *de Catholicae Eccleſiae pietate erga Animas in Purgatorio detentas*. Porro hae plures Miſſae olim non in uno, ſed in diverſis altaribus ab eodem Sacerdote celebrabantur; cautum enim fuerat Can. 10. Conc. *Antiſſiodorenſis* a. DLXXVIII., *nequis ſuper uno altari in una die duas Miſſas faceret*, atque, ubi dicerentur, in ultima tantum Miſſa ablutio, & purificatio, qua

dici-

dicimus uti & nunc die Dominicae Nativitatis, ſumebatur. V. Ablutio.

DIES RAMOLIVAE, Dominica Palmarum, ſaepae apud PURICELLUM in monumentis Baſil. Ambros. appellatur, ut p. 1134.: *ipſa die Ramolivae Abbas cum Monachis cantat Miſſam ſuam.*

DIMISSORIAE, Graecis Απόλυτικα ϗ Αποςολοι erant litterae, quibus ſcribebatur, Clericum de ſui Antiſtitis voluntate eſſe profectum. Dabantur autem primo, ut licite ab alieno Epiſcopo ordinari poſſent; de quibus C. *ſignificaſti de off. Archidiac.*; ſecundo ut Clerici a propriis Epiſcopis jam ordinati poſſent in alienis dioeceſibus miniſterium ſuum exercere. Illis quoque dabantur, qui in alienae Eccleſiae catalogum referri, alterique Clero connumerari cuperent; Epiſcopis praeterea longius peregrinantibus a Primate concedebantur.

DIOECESIS. In Epiſcoporum Caeremoniali territorium Epiſcopi, quod olim *Parochiam* vocabant, ex noſtris moribus deſignat. Veteres Dioeceſeos nomine plures Provincias a Primate aliquo adminiſtratas denotabant, ut videre eſt in *Arelatenſium* Patrum ad SILVESTRUM Papam epiſtola; lib. VI. *Capitularium*; item in epiſtola NICOLAI I. ad Michaelem Imper. Saepius vero contrahebatur ad Provinciam Archiepiſcopo obnoxiam ſignificandam, ut in Chronico FRODOARDI ad ann. DCCCCLXII. ex Canone Chalcedonenſi XXVII. In Africanis tamen Canonibus, & apud SIDONIUM *lib. IX. ep.* 16. pro Epiſcopatus unius juriſdictione, quemadmodum a nobis, adcipitur. Vide JUSTELLUM, SIRMONDUM ad indicatum SIDONII locum, LA CERDAM in *Adverſar.*, & MAZZOCHIUM *de Ss. Epiſcop. Neapol. pag.* 360.

DIPTYCHA, duplices tabulae, quibus nomina vivorum, & defunctorum inſcribebantur: defunctorum nomina in tres claſſes dividuntur: prima eſt Sanctorum veteris, & novi Teſtamenti, qui publice colebantur; altera in duas claſſes ſubdividebatur, in quarum prima erant nomina omnium Epiſcoporum ejus Eccleſiae, in qua Solemnia celebrabantur, iis ſolis exceptis, qui haereſis, aliuſve criminis legitime damnati fuerant: his adcedebant nomina Presbyterorum, aliorumque e clero ejuſdem Eccleſiae: in ſecunda claſſe erant nomina aliquorum Epiſcoporum defunctorum aliarum Eccleſiarum, & Reginuum, quorum fides & pietas ab univerſa Eccleſia laudabatur: tales erant ATHANASIUS, CHRYSOSTOMUS, LEO Papa &c. Tertia claſſis habebat nomina laicorum defunctorum, non omnium ſane, ſed praecipuorum, & eorum, pro quibus ea die ſpecialiter offerebant. Diptycha vivorum habebant nomina *Romani* Pontificis, Metropolitani, Epiſcopi ejus Eccleſiae, ad quam ſpectabat, in *Oriente* Patriarchae. Praeterea habebant nomina quorumdam Epiſcoporum, qui ſpeciali nota digni habebantur; poſt hos habebant nomina Imperatoris, aut Regis, cui civitas parebat, Reginae, prolis Regiae, praecipuorum Magiſtratuum, fundatoris Eccleſiae, & nomina quorumdam offerentium dignitate, aut pietate conſpicuorum, aliorumque, quos Diaconus pro ſuo libito nominare volebat. Demum in *Oriente*, ſaltem *Conſtantinopoli*, e diptychis legebantur nomina quatuor Conciliorum *Nicaeni*, *Conſtantinopolitani*, *Epheſini*, & *Calcedonenſis*. In *Hiſpania*, & *Gallia* diptycha ante conſecrationem elementorum, immo ante

Digitized by Google

orationem *poſt nomina* legebantur; ante conſecrationem leguntur quoque in Liturgia *Graeca* S. MARCI (*Renaudot. Tom. I. pag.* 150.), & S. CYRILLI Coptica (*ibid. pag.* 42.). Olim quoque *Conſtantinopoli* diptycha ante conſecrationem recitabantur (*Concil. Conſt.* ſub MENNA *Act. V.*). At modo in Liturgiis S. CHRYSOSTOMI, & S. BASILII poſt conſecrationem, & invocationem leguntur. Poſt conſecrationem diptycha recitantur in Liturgia S. JACOBI *Syriaca*, in S. BASILII *Coptica*, & *Graeca Alexandrina*, & in Liturgia *Theodori* MOPSVESTENI *Neſtoriana*. In Sacramentariis *Gelaſiano*, & *Gregorianis* diptycha vivorum ante conſecrationem; mortuorum vero poſt conſecrationem recitabantur. Ceterum diptycha pro Eccleſiarum facultatibus magis, aut minus pretioſa erant: frequenter eburnea, non raro argentea, nonnumquam aurea, & aliquando gemmata inveniuntur. Charta donationis RUIDISINDI Epiſcopi [*Concil. Hiſp. Tom. III. pag.* 179.] anno DCCCXXXV. facta, inter alia donaria *diptagos argenteos imaginatos & deauratos* recenſet: unde etiam habemus, decimo ſaeculo *Mozarabes* (nam eorum Liturgia in *Hiſpania* adhuc vigebat) uſum diptychorum ad nomina in Eccleſia recitanda retinuiſſe. Olim in Hiſpania *recitatio nominum*, ſive diptychorum ad Diaconum pertinebat. Vide S. ISIDORUM ep. ad *Ludifred.* Plura de diptychis ex ROSWEYDI Onomaſtico dedi *T. III. Diſciplinae* Fleuryanae *populi Dei pag.* 28. Ven. edit. 1782.

DIRECTORIUM *Chori*. Liber, in quo continentur quae in choro ſunt dicenda, quo ritu, quibus caeremoniis &c.

DISCIPLINA. Exiſtimabat Johannes MORINUS iſtud poenae, ſeu medicinae poenitentialis genus inauditum in Eccleſia fuiſſe ante annum nongenteſimum quinquageſimum, exemplumque datum fuiſſe a *Dominico* LORICATO, cujus virtutem, ac fortitudinem humana majorem celebrat *Petrus* DAMIANI. Sed BALUZIUS in Regula ſancti AURELIANI Epiſcopi *Arelatenſis* ita legit cap. XLI. *Pro qualibet culpa, ſi neceſſe fuerit flagelli accipere diſciplinam, nunquam legitimus excedatur numerus, ideſt triginta & novem.* Et Concilium *Moguntiacum* ſub CAROLO M. habitum ita ſtatuit in capite XLV. *Volumus ut diſciplinam condignam habeant, qui hanc diſcere negligunt, ſive in jejunio, ſive in alia caſtigatione emendentur.* Deſcriptum eſt autem caput iſtud in libro quinto Capitular. cap. XCV.

DISCUS, vas magis cavum & capacius Patena, ne panis, aut micae Sacramenti excidant. *Diſcus lectica eſt, in qua Corpus Domini a Sacerdote & Diacono componitur, qui ſunt* JOSEPH *&* NICODEMUS. S. GERMANUS in *Theoria*.

DISPARO, diſparare, ornamenta auferre, tollere &c. *Circumciſio Domini celebratur ſicut una de ſuperioribus feſtivitatibus, excepto quod aula monaſterii non ornatur, quae quinta Dominicae Nativitatis die diſparari debet.* LANFRANCI *Statuta*.

DOLORES B. M. V. Feſtum ad B. M. V. recolendos dolores Concilio Provinciali *Colonienſi* a. MCCCCXXIII. debemus, quod ad comprimendum ſacrilegum in ſacras Chriſti, ac Deiparae parientis imagines *Huſſitarum* furorem illud praeſcripſit. Vide RAYNALDUM ad eum ann., & BENEDICT. XIV. *Lib. II. de Feſt. cap* 4.

DOMI-

DOMINE NON SUM DIGNUS, verba, quae Communicaturi dicunt, ex antiquiſſimo ritu deſcendunt; ea enim praeſcribunt non ſolum plures antiqui Miſſales libri, licet in aliis deſiderentur, ſed etiam CHRYSOSTOMUS in homilia de S. THOMA Apoſtolo, & ORIGENES hom. V. in diverſa loca Evangelii.

DOMINICA. Primus hebdomadae dies, quique Ethnicis latine *dies ſolis*, *Judaeis una Sabbathi*, vel *Sabbathorum*, *& prima Sabbathi* dicebatur, Chriſtianis *Dies Dominicus* dictus eſt. Cod. Th. leg. 5. de *ſpectaculis*. *Dominico die, qui ſeptimanae totius primus eſt*; & leg. 3. tit. 8. *Solis die, quem Dominicum rite dixere majores*. S. MARCUS in Evangelio *c.* 16. *v.* 9. *Surgens autem mane prima Sabbathi apparuit &c.* S. JOHANNES in Evangelio c. 20. v. 1. *una autem Sabbathi*, & ibid. *v.* 19. *quum ſero eſſet, die illo, una Sabbathorum*. Apoſtoli abdicato *Judaico* Sabbatho, qui dies ultimus hebdomadis erat, in ejus locum, diem primum hebdomadis ſubſtituerunt, quia eo die Chriſtus a mortuis reſurrexit; qua de cauſſa & diem hunc ſpeciali modo Dominicum appellaverunt, & cultui divino, ſacriſque conventibus habendis dedicaverunt. Acta Apoſt. 20. 7., ad Cor. I. 16. 2., S. JOHANNES in Apocalypſi: *fui in ſpiritu die Dominico*. S. IRENAEUS *ep.* ad VICTOREM, EUSEB. *lib.* 5. *c.* 24., S. JUSTINUS *Apol. II.* alias I., S. DIONYSIUS *Corinth.* Epiſc. ep. ad S. SOTEREM apud eumdem EUSEB. lib. 4. c. 23., S. AUGUST. *ep.* 36. ad CASULANUM, S. LEO ep. ad TURIBIUM *c.* 4., S. ISIDORUS *off. Eccl. l. I. c.* 24., S. AUGUST. ſerm. 169. de Verb. Dom. *Domini reſuſcitatio conſecravit nobis diem Dominicum, qui vocatur Dominicus, quia eo die Dominus reſurrexit*. A Fidelibus ſingulari veneratione dies Dominicus ſemper habitus eſt, & tanquam feſtum Chriſtianorum ſemper & ubique celebratus. *Chriſtiani omnes*, inquit EUSEBIUS de laud. CONSTANTINI, *per orbem univerſum diſperſi, ſive in mari, ſive in terra verſantur, diem Dominicum cultu feſtivo celebrant, qui in agris, & qui in urbibus degunt, die ſolis ad Eccleſiam confluunt*. JUST. *Apol.* 2., PLINIUS Junior *ep.* 10. *lib.* 97. Neque id tempore perſequutionis omiſſum, etiam cum vitae periculo. (Acta Ss. SATURNINI, DATIVI &c.) Die Dominica nefas erat Chriſtianis opera ſervilia aut ipſis facere, aut ſervis eorum, (*Conſt. Apoſt. lib.* 8. *cap.* 33., *Conc. Laod. Can.* 29., *Cod. leg. Wiſigoth. lib.* 12. *Tit.* 13. *l.* 6., *Cod. Juſt. leg.* 3. *Tit. de feriis*, niſi forte quae aut caritas, aut neceſſitas exigebat: nefas quoque erat negotiis forenſibus vacare, (*Cod. Th. leg.* 8. *de feriis*, *Cod. Leg. Wiſig. lib.* 2. *Tit. I. leg. II.*) niſi cauſſa caritatis, ut ſervum manumittere, aut neceſſitatis, ut proditorem accuſare. Die Dominico elegantiori cultu corporis, & lautiori menſa utebantur fideles. (TERT. *de Idolol. cap.* 14., *idem Apol. cap.* 16., EUSEB. *de Reſurrectione & Adſcenſione lib.* 2., *Sirm. oper. T. I. col.* 85.) Solebant quoque Agapes, & collectiones pecuniarum facere die Dominico (*ad Cor. I. c.* 16. *v.* 2.) & divites menſa tenuiores excipere. Die Dominico nec jejunare, nec genua flectere mos erat. (*Conc. I. Caeſar-Aug. Can. I.*, *Brac. I. c.* 4., TERTULLIANUS *de coron. mil. c.* 3., S. ISIDORUS *de offic. lib. I. c.* 24.) Nefas erat die Dominico ſpectacula publica edere, (*Cod. Th. leg.* 2. *&* 5. *de ſpectaculis.*, *& Cod. Juſt. leg. II. de feriis*) aut eadem, relicto Eccleſiae conventu, frequentare.

(*Conc.*

(*Conc. IV. Carth. Can.* 88.) Demum Concilium *Cojacenſe* anno Chriſti ML. nondum abrogata liturgia *Gotho-Hiſpana* celebratum, cap. 9. ſtatuit, *ut omnes Chriſtiani, die Sabbatho adveſperaſcente, ad Eccleſiam concurrant, & Die Dominica, Matutina, Miſſas, & omnes horas audiant, opus ſervile non exerceant, non ſectentur itinera niſi orationis cauſſa, aut ſepeliendi mortuos, aut viſitandi infirmos, aut pro Regis ſecreto, aut pro Sarecenorum impetu .... ſi quis autem hanc noſtram conſtitutionem fregerit, per ſeptem dies poenitentiam agat; quod ſi noluerit, ſi major perſona ſit, per annum integrum Communione careat, ſi inferior perſona fuerit, centum flagella adcipiat.* Vide etiam GENUFLEXIO.

Ceterum quod ad officium, & Liturgiam ſpectat, Dominicae aliae dicuntur majores, aliae minores, ſive per annum. Majores habentur illae, in quibus praecipua Creationis, & Redemptionis myſteria recoluntur; nimirum Dominicae Adventus, & quae occurrunt a Septuageſima uſque ad Dominicam in Albis incluſive; Dominicae Pentecoſtes, & Sanctiſſimae Trinitatis. Minores vero, ſive per annum ſunt reliquae, quae per totum anni decurſum occurrunt. Rurſum Dominicae majores in duas dividuntur claſſes; quae autem primae Claſſis ſunt, nulli Feſto cedunt, ideoque numquam omittuntur, uti prima Adventus, prima Quadrageſimae, Paſſionis, Palmarum, Paſchae, in Albis, Pentecoſtes, & Trinitatis. Dominicae quoque ſecundae Claſſis non omittuntur, niſi occurrente Patrono principali, vel Titulari Eccleſiae, & ejuſdem dedicatione, & tunc de iis ſemper fit Commemoratio in utriſque Veſperis, & Laudibus. Hujuſmodi ſunt: Secunda, tertia, & quarta Adventus, Dominicae Septuageſimae, Sexageſimae, Quinquageſimae, ſecunda, tertia, & quarta Quadrageſimae. Ulterius bipartiuntur Dominicae in *vacantes* (vide ſupra V. ADVENTUS) & *non vacantes*. De illis nihil omnino fit in officio currentis diei, uti contingit, quando Feſtum *Nativitatis*, aut *Circumciſionis*, aut *Epiphaniae Domini*, vel *Feſta*, aut octavae S. STEPHANI, vel JOHANNIS *Apoſtoli*, aut INNOCENTIUM *Martyrum*, vel denique *Vigilia Epiphaniae* in Dominicam incidunt. *Non vacantes* dicuntur illae, quae vel totum officium, vel ſaltem commemorationem, & lectionem Evangelii de ſuo officio habent. A Nativitate Domini uſque ad Epiphaniam *vacantes* adſignantur propter rationem a GAVANTO allatam; videlicet incongruum fuiſſe, ſi occurreret Feſtum Nativitatis, vel Circumciſionis, vel Epiphaniae in Dominica, quod una ſimul cum Feſto Domini fieret commemoratio eodem die de Feſto ejuſdem Domini, quod eſt Dominica. Item in *vagas*, & *fixas* Dominicae diſtribuuntur. Quae *vagae* habentur, nec certum cum aliis ordinem, nec certum *introitum*, nec alia determinate neceſſaria in Miſſa habent, & poſt longum tempus transferuntur. Tales vero ſunt tertia, quarta, quinta & ſexta poſt Epiphaniam. Reliquae autem omnes ob rationem contrariam *fixae* dicuntur, niſi prioribus addenda ſic Dominica XXIII. poſt Pentecoſten, eo quod & ipſa proprium in die Dominico aliquando non habeat locum. Quod quidem contingit quando poſt Pentecoſten uſque ad Adventum numerantur ſolum XXIII. Dominicae: tunc enim quia ultima illa Dominicarum, quae ſunt poſt Pentecoſten uſque ad Adventum, ſemper debet eſſe illa Dominica, quae eſt in ordine XXIV. ideo officium Dominicae XXIV. ponitur tunc loco Dominicae XXIII., officium

vero

vero Dominicae XXIII. tunc ponitur in Sabbatho, Dominicam illam ultimam poſt Pentecoſten immediate praecedente, dummodo illud non ſit impeditum Feſto novem lectionum, etiam translato, vel Feſto novem lectionum ad libitum, non tamen officio votivo, ut de SS. Sacramento, Immaculata Conceptione, ac etiam Feſto ſimplici, alioquin in alia praecedenti die ſimiliter non impedita. Tandem alia eſt Dominicarum minorum ſubdiviſio in *privilegiatas*, & *non privilegiatas*. Ad illam claſſem revocantur Dominicae infra octavas Nativitatis, Epiphaniae, Adſcenſionis Domini, & Corporis Chriſti, utpote in quibus officium non ſit Dominicale, ſed de octava, at de Domino tamen. *Non privilegiatae* illae dicuntur, in quibus officium eſt Dominicale, non vero octavae illius, infra quam aliquando incidunt.

DOMINICA IN ALBIS. Variis haec Dominica appellatur nominibus: *In octava* Paſchae vocat Miſſale *Mozarabum: in octavis Paſchae* Breviarium Mozarabum, & Orationale Gothicum habet *Dominica in octavas Paſchae*: Sacramentarium Gelaſianum THOMASII die Dominico *octavas Paſchae*: Gregorianum MENARDI *Dominica oct. Paſchae*; & ita in Capitulatibus Evangeliorum GEORGII legitur. In Lectionario *Luxovienſi*, & in Miſſalibus *Gallicano*, & *Gallo-Gothico Clauſum Paſchae* appellatur, in Sacramentario Gregoriano P. AMELII appellatur *Dominica poſt albas*, in vetuſto Lectionario *Ambroſiano* ab Em. THOMASIO edito *Dominica poſt albas depoſitas*, & in Miſſali *Mediolanenſi* anno Domini MDXLVIII. edito *Dominica in albis depoſitis*. Ratio hujus nominis petenda eſt ab antiqua plurium Eccleſiarum diſciplina, qua per dies octo poſt ſuſceptum Baptiſma Neophyti ſeorſim a coetu fidelium habebantur, qui fidei myſteriis, & regulis morum peculiariter imbuebantur, quotidie Miſſae ſacrificio intererant, & communicabant, toto hoc tempore albis veſtibus induebantur, quas exeuntes de ſacro lavacro acceperant. Hinc feriae omnes octavarum Paſchae, Sacramentariis *Gregorianis* P. AMELII, & MENARDI inſcribuntur *in albis*, puta *feria II. in albis*, *feria III. in albis*, eodemque modo Miſſali *Ambroſiano*; at pro varia Eccleſiarum conſuetudine, aut Sabbatho *in albis* veſpere, aut certe Dominica ſequenti, octava die poſt Paſcha, Neophyti albas ſuas deponebant, & fidelium turbae miſcebantur. S. AUG. ſerm. 250. 7. 5. *ed. Maur.* alias 11. de temp. Apud *Gotho-Hiſpanos* albae ſolemniter deponebantur: in libro *adnotationum de cognitione Baptiſmi* S. HILDEFONSI cap. 140. extat *oratio propter albas tollendas*, & capite ſequenti 141. extat ſpecialis *Benedictio*, quam ſuper Neophytos Epiſcopus fundebat, & cap. 142. extat ab Epiſcopo *ſermo dicendus ad infantes die tertia poſt paſcha propter albas tollendas*. Quod hac occaſione ſermo haberetur, conſtat etiam ex S. AUGUSTINO citato; at illud *die tertia* videtur per errorem in titulo irrepſiſſe *pro die octava*. Iiſdem de cauſſis haec Dominica dicitur a *Graecis Dominica nova*.

DOMINICA IN ALLELUJA vulgo apud *Mozarabes* dicitur Dominica prima Quadrageſimae, quia feſtive ab omnibus celebratur, unuſquiſque pro facultatibus ſplendide epulatur, & in Eccleſia magna cum ſolemnitate *Alleluja* canitur, de quo Orationes Miſſalis, Breviarii, & Orationalis *Gothici* fidem faciunt: apud *Graecos* Dominica prima Quadrageſimae feſtive celebratur ob reſtitutum cultum ſacrarum Imaginum, atque peculiari nomine ea

de cauſ-

Digitized by Google

de cauſſa ἡ κυριακὴ τῆς ὀρθοδοξίας *Dominica orthodoxiae* nuncupatur; ſed haec feſtivitas apud *Graecos* inſtituta eſt poſt everſum Imperium, & Eccleſiam *Gotbo-Hiſpanam*. Ex decreto Concilii XVII. *Toletani* Dominica prima Quadrageſimae claudebantur Baptiſterii fores, & ſigillo Epiſcopi muniebantur, feria V. in Coena Domini aperiendae. De hoc ritu meminit S. HILDEPHONSUS *lib. adn. de cogn. Bapt. cap.* 107. Eadem quoque erat *Galliarum* Eccleſiae diſciplina (*S.* GERM. *de comm. offic.*): eadem pariter erat Eccleſiae *Alexandrinae*, atque adeo totius Aegypti. (*Lect. Graec. Alexand.* apud ZACCAGNIUM)

DOMINICA IN BRANDONIBUS, Dominica prima Quadrageſimae. Conſuetud. S. GERMANI apud MARTENE: *Dominica in Brandonibus feſtum in albis de quinque cereis*. Vide BRANDONES. Sic etiam *Dominica ante Brandones* eſt Dominica Quinquageſimae.

DOMINICA IN CARNES TOLLENDAS. Ita Dominica prima Quadrageſimae in Orationali *Gothico* inſcribitur, quia proxime antecedebat jejunium quadrageſimale, die lunae ſubſequente inchoandum, ut ex orationibus, quae olim hac die recitabantur, & modo in Miſſali feria IV. Cinerum leguntur, conſtat.

DOMINICA EXCARNALIORUM eſt Dominica Quinquageſimae. Vide CARNIS PRIVIUM.

DOMINICA INDULGENTIAE, Dominica Palmarum.

DOMINICA JUDICA ME, Dominica Paſſionis. Liber uſuum *Ciſterc. Sollicite provideatur, ut ante Dominicam, qua canitur officium, Judica me Deus* &c.

DOMINICA LAETARE, quarta Quadrageſimae, ſic appellata, quia Introitus Miſſae illius Dominicae incipit *Laetare Hieruſalem*. A primis Introitus verbis alias quoque Dominicas videre eſt appellatas. Sic Dominicam in Albis vocant Dominicam *quaſi modo*.

DOMINICA MEDIA, eadem quarta Quadrageſimae Dominica, quod inter omnes jejunii dies intermedia ſit. *Sunt praeterea in anno quinque Dominicae, quae prae ceteris paullo feſtivius celebrantur ... . quarum prima eſt Dominica Septuageſimae, Dominica I. Quadrageſimae, & media Dominica*. Conſuetudin. S. BENIGNI. In Codice *Carolino* dicitur *Dominica in medio Quadrageſimae*. Miſſali Mozarabum inſcribitur quarta Quadrageſimae *mediante die feſto*. Quod nomen ſortita eſt tum a verbis illis, quae in Evangelio leguntur: *jam autem die feſto mediante adſcendit Deus in Templum*; tum etiam quia jejunium Quadrageſimale bifariam dividit. Nam *Gotho-Hiſpani*, aliique antiquiores triginta ſex dies in Quadrageſima jejunabant: quare decem & octo ante hanc IV. Dominicam abſolverant, & totidem jejunio tranſigendae ſupererant. Dominica haec *mediante* in Orationali *Gothico* denominatur *Dominica in vigeſima*, eodemque modo in *Comite* THOMASII deſignatur, quia ab hoc die ad Dominicam Reſurrectionis dies omnino viginti ſupererant. Denominatur etiam *Dominica de traditione*, quia ab hac die Catechumenis ſymbolum memoriter mandandum tradebatur. (*Conc. Brac.* 2. *can.* 1.) Demum ab hac die Paſſionem Domini ſpecialiter colebant. Vide CENNIUM *Tom. II. Codic. Carol. pag.* 58.

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICA MEDIANA: Dominica in Paſſione Domini. V. MARTENE *de ant. Monach. ritib. lib. III. cap. 11. n. 26.* Cur autem ab hac Dominica non amplius dicatur *Gloria Patri* ad reſponſoria &c., ad Introitum &c., hanc rationem adferunt Conſuetudines *Grandimontenſes* c. 15. *Quia in Dominica in Paſſione Domini incipit Eccleſia recitare ignominiam Paſſionis Chriſti; & gloria Chriſti cum ignominia Paſſionis ejus dicenda non eſt congrue.*

DOMINICA NOVA. Vide mox DOMINICA PALMARUM.

DOMINICA PALMARUM. Sacramentario *Gelaſiano* Em. THOMASII inſcribitur *Dominica in palmas de Paſſione Domini*. Sacramentariis Gregorianis MENARDI, P. AMELII, ROCCAE, & MURATORII, & Calendario MARTENII & DURANDI, ſignatur *Dominica in Palmis*. At in vetuſto lectionario Ambroſiano THOMASII, in Calendario FRONTONIS, in Capitularibus Evangeliorum THOMASII, GEORGII, & ALLATII nulla fit de palmis mentio, uti nec in *Comite* THOMASII, in quo *Dominica Indulgentia* legitur, & tamen Illuſtriſſimus GEORGIUS opinatur, codices ſuos, qui antiquiſſimi ſunt, non praecedere Pontificatum HADRIANI I.: quare ſuſpicari licet, ſaeculo octavo exeunte ne nomen quidem *Dominicae in Ramis Palmarum Romanae* Eccleſiae libris liturgicis notum fuiſſe. Sed in *Hiſpania*, & *Gallia* longe antiquior erat cultus *Dominicae Palmarum*. S. ISIDORUS *Orig. lib. 6. cap. 18., & de offic. Eccl. lib. I. cap. 27.* de feſtis agens *diem palmarum* commemorat; in *Gallia* Lectionarius *Luxovienſis* habet: *legenda in Dominica Palmarum*, & in Sacramentario *Bobiano* extat *Benedictio Palmae & olivae ſuper Altario*. In eodem Sacramentario, & in Miſſalibus *Gallo-Gothico*, & *Gallicano*, quamvis titulus ſit in *traditione ſymboli*, Evangelium, conteſtatio, & altera e collectis ſunt de palmis. De feſto Palmarum Concilium *Francofurdenſe* an. DCCXCIV., & S. ADELMUS exeunte VII. ſaeculo meminit: in *Oriente* magis vetuſtum feſtum Palmarum, de quo CYRILLUS *Scytopolitanus* mentionem facit in Vita S. EUTHIMII, qui anno CCCCLXXII. obiit. *Graecis* haec Dominica *ἡ τῶν βαΐων ἑορτὴ Palmarum feſtum*, aut, ut eſt in Lectionario Graeco *Alexandrino* ZACCAGNI, denominatur *ἡ κυριακὴ τῆς βαϊοφόρου* Dominica *Palmifera*, aut ſimpliciter *ἡ βαϊοφόρος Palmifera*, qua etiam commemorant LAZARI ad vitam a Chriſto revocati miraculum, quod & *Galli* faciebant, ut ex Miſſali *Gallo-Gothico*, & Sacramentario *Bobiano* habemus. Non omittam, dictam a nonnullis, ut a FULCONE in *hiſtoria Andegavenſi T. X. Spicil.* Dacheriani *p. 396.*, hanc Dominicam *Oſanna* propter multitudinis Chriſtum *Hieroſolymam* intrantem excipientis adclamationes. A quibuſdam vero *Paſcha petitum*, ſive *competentium* vocabatur, quod hac die Competentibus juxta Concilii Agathenſis Canonem XIII. ſymbolum traderetur. Vide CAPITILAVIUM, DIES RAMOLIVAE, FERETRUM.

DOMINICA PANIS, quarta Quadrageſimae: in ea enim Evangelium de panibus a Chriſto multiplicatis legitur.

DOMINICA DE PASSIONE. In Ordine Romano BENEDICT. S. PETRI Canonici circa annum MCL. compoſito, & in aliis poſterioribus ita haec Dominica ſcribitur; & ſic in *Gregorianis* MENARDI, P. AMELII, MURATORII & ROCCAE, in Antiphonario *Gregoriano* THOMASII & in Calendario MARTENII & DURANDI in Tomo V. *Theſauri novi Anecdotarum*

Digitized by Google

col. 72. legitur. In Miſſali *Ambroſiano* anno MDXLVIII. edito eſt *Dominica quarta Quadrageſimae de Lazaro*, & in vetuſto Capitulari Epiſtolarum *Ambroſiano* Em. THOMASII ſimpliciter *in Dominico* IV. Mediolanenſes enim quinque tantummodo Dominicas in Quadrageſima numerabant. In Orationali *Gothico* ſignatur *Dominica poſt vigeſimam*. Jam vero illud animadvertendum quod *Gotho-Hiſpani* hac quinta Dominica Evangelium de LAZARO legebant, quam modo Dominica III. legunt: hoc autem Evangelium de bono paſtore, & orationes, quae nihil ad Evangelium pertinent, *Mozarabes* huc intulerunt ad numerum Miſſarum Quadrageſimalium ſupplendum, quibus una deerat, ob feriam IV. Cinerum adjectam.

DOMINICA DE ROSA, Dominica Pentecoſtes, in qua ex tholo S. MARIAE ad Martyres *Romae* projiciebantur Roſae, ad praenorandum adventum Spiritus Sancti. DURANDUS lib. 6. c. 107. *Tum etiam ex alto ignis projicitur .... & etiam flores varii, ad denotandum gaudium & diverſitatem linguarum*. Alii tamen hoc nomine denotari volunt Dominicam quartam Quadrageſimae ob ſolemnem ritum, quo ea die Romanus Pontifex Roſam auream benedicere conſuevit.

DOMINICA SANCTARUM. Tertia Dominica poſt Paſcha, in qua *Graeci* celebrant feſtum Sanctarum Mulierum, quae venientes ad ſepulcrum, ut ungerent Corpus JESU, illud non invenerunt. Ex *Typico* S. SABAE.

DOMINICALE. Conc. Antiſſiod. cap. 42. *Ut unaquaeque mulier quando communicat Dominicale ſuum habeat*. BONA *l. II. c.* 17. §. 3. linteolum intelligit, quo ſubjecto mulieres Euchariſtiam adcipiebant, quum viri nuda manu ſumerent. Nam AUGUSTINUS *ſerm.* 252. *de temp.*, ſeu potius CAESARIUS *Arelatenſis* ait: *Mulieres quomodo nitidum exhibent Linteolum ubi Corpus Chriſti adcipiant*. At licet verum ſit, Linteolo mulieres Euchariſtiam, non nuda manu ſumpſiſſe, Dominicale tamen, de quo *Antiſſiod.* Synodus, BALUZIUS interpretatur integumentum capitis, quo mulieres operiri deberent Euchariſtiam ſuſcepturae: quod BOLDETTO quoque, & SALAE *T. III. p.* 372. placuit. Vide MALDONATUM *T. III. Bibl. Rit. p.* 483.

DOMINICUM ſignificat I. Sacras aedes, ab ipſo ſcilicet omnium *Domino* cognomentum ſortitas, ut ait EUSEBIUS *Orat. de laudib.* Conſtant. *c.* 17., *Antiochiae* nobiliſſimam Eccleſiam fuiſſe, quae *Dominicum aureum* appellaretur, in *Chronico* HIERONYMUS tradit. In Faſtis IDATII *Conſtantio X.*, & *Juliano* III. Coſs. *dedicatum* dicitur *CPoli Dominicum*, ſacra ſcilicet majoris aedis moles, die XV. Kal. *Martias*. *Dominicum Clementis*, Romana ſcilicet S. CLEMENTIS Papae Baſilica, in Lamella aurea apud PIGNORIUM *de ſervis* occurrit. Eodem ſenſu a *Graecis* Templa Κυριακα vocantur, ut in Concilii *Laodiceni* Can. 28. Plura in hanc rem vide apud BARONIUM in Martyr. *ad d. VIII. Kal. Januar.*, & Equitem VICTORIUM tum in illuſtratione *Floreni aurei veteris* P. IV. *p.* 371., tum in Diſſertatione *Philologica* 2. 1751. *p.* 32.

II. Sacrificium. S. CYPRIAN. *ep.* 63. ad CAECILIUM: *Numquid ergo* Dominicum poſt *coenam celebrare debemus*? S. AUGUSTINUS quoque *ep.* 86. loquens de ſermone PAULLI in *Troade*: *per diem*, inquit, *hora Dominici*, celebrandi ſcilicet ſacrificii, *fuerant congregati*. V. GEORG. *l. I. c.* 3. *n.* 2.

DOMI-

Digitized by Google

DOMINICUS DIES. Vide Dominica.

DOMINUS. Hunc titulum Sanctis tributum fuiſſe oſtendit FILESACUS, cui adde antiquas Chriſtianorum Martyrum Inſcriptiones a VICTORIO adlatas *diſſert. Philolog. p.* 28. *ſeqq.* Nec mirum, quum ipſi JESU CHRISTO, qui caput eſt Martyrum, idem nomen tributum fuerit, ut multis oſtendit idem VICTORIUS *p.* 26. *ſeq.* Vide mox Domnus.

DOMINUS VOBISCUM, ſalutatio antiquiſſima e veteri Teſtamento *Ruth* 2., & 2. *Paralip.* 15. in Eccleſiam derivata. Eſt autem propria Sacerdotis, quam, quum in *Africa* ex praeſumptione Lectores uſurparent, a Conc. *Carthag. III.* Can. 4. coerciti ſunt.

DOMNUS pro Dominus per ſyncopen dicitur, qua appellatione olim Pontificem *Romanum*, mox & alios Epiſcopos venerationis cauſſa honorabant. Pontificem enim *Domnum Apoſtolicum* vocabant: nam Dominus non reverentiae vocabulum eſſe exiſtimabant. Poſtea tamen DOMINI nomen Romano Pontifici paſſim tributum invenias, uti & Cardinalibus; de quo plura GARAMPIUS *in Carſagn. ſigill. p.* 67. *ſeq.* Ethnici ipſi Diis ſuis hoc nomen tribuerunt. GENIO DOMNOR. CERERI &c. habet Inſcriptio apud URSATUM in *Monum. Patavin. T. I. p.* 4. Sanctos ipſos DOMNOS dictos novimus. Exemplum eſto diſcus argenteus votivus Muſei Albani a FONTANINIO illuſtratus, ubi legitur: DE DONIS DEI, ET DOMNI PETRI. In lapide quoque non multos ante annos effoſſo, quem Illuſtriſſ. GARAMPIUS in Vita B. CLARAE *p.* 74. profert, occurrit haec formula:

DOMNIS SANCTIS
PAPRO ET MAVROLEONI
MARTVRIBVS

DONARIA SACRA. His largientium nomina inſcribebantur. *Coſhroes* Perſarum Rex aureo diſco, quem Religionis ergo ad Eccleſiam ſancti SERGII Martyris miſit, nomen ſuum inſcripſit, inſculpto ibidem lemmate: ipſaque inciſa verba, voti ſuſcepti cauſſam exprimentia, ab EVAGRIO *lib. VI. cap.* 21. referuntur, quae ſunt: *Ego* Coſhroes *Rex Regum, filius* Hormiſdae *in hoc diſco inſcribenda curavi, non ut ab hominibus conſpicerentur, nec ut amplitudo nominis tui* (S. SERGII) *ſermonibus meis innoteſceret, ſed tum ob rerum, quae inſcriptae ſunt, veritatem, tum ob multa & maxima beneficia, quibus me adfeciſti. Felicitatis enim loco mihi eſt, quod nomen meum in ſacris vaſis tuis inciſum reperiatur.* Multas ejuſmodi Inſcriptiones vel in uno LEONE IV. ANASTASIUS profert. Unam ſeligo, quod veſtibus quoque donantium inſcripta nomina doceat. *Ipſe quidem Venerabilis Pontifex fecit in Baſilica* S. CAESARII, *quae ponitur in Tarracina, veſtem de quadruplo ornatam in circuitu de blattin, habentem in medio crucem de chryſoclavo, legente de* NOMINE DOMNI LEONIS QUARTI PAPAE.

DORSALE, DOSSALE, ſunt panni in Eccleſia, ſeu in choro pendentes a dorſo Clericorum, alias Aulea, ſeu Tapetia. S. WILHELMUS in *Conſtitutionibus Hirſaugenſibus lib.* 1. *cap.* 19., & DURAND. *lib. I. Rational. cap.* 3. *n.* 23. Apud *Pariſium* legitur, quod RICHARDUS Abbas Eccleſiae ſuae dono dedit *Doſſale unum, ſive Tapetium*, in quo paſſio S. ELBANI figuratur. Et UDALRICUS *l.* I. *c.* 11. *In choro duo dorſalia, & ſex in*

Digitized by Google

Presbyterio ſuſpendantur. Vide etiam PECTORALE.

DOXOLOGIA MAGNA. V. HYMNUS ANGELICUS, GLORIA IN EXCELSIS.

DOXOLOGIA MINOR. V. GLORIA PATRI.

DRACO. Dracones portatos fuiſſe in Proceſſionibus patet ex veteri *Caſſinenſium* Ordinario, ſeu Calendario relato a MARTENE *de ant. Monach. ritib. lib. 3. c. 12.*, & quidem in Dominica Palmarum: *Praecunt vexilla, & Draco*. In die Coenae Domini l. 3. c. 13. *Pergunt ad oſtium Eccleſiae, ferentes haſtam, cum imagine ſerpentis*. Et cap. 20. in die quoque Adſcenſionis: *Praeeuntibus vexillis, & Dracone*. In Rogationibus delatos quoque fuiſſe dracones, & ſerpentes innuit *Sacerdotale Alberti* CASTELLANI P. III. Tract. 2. c. 4. *Poſtea ſequuntur vexilla, ſi portanda ſunt. Deinde portentur ſerpentes & dracones ſuper perticam, & maxime in Rogationibus*: & alibi: *In aliquibus Eccleſiis ſolent portari Dracones & Lupi ſuper perticas, ad denotandum cauſſam, quare inſtituta fuerit proceſſio*. Alicubi portabantur ſuper Crucem, ad denotandam victoriam de dracone infernali reportatam. *Labarum, quem dicunt draconem, in ſpeciem Crucis Dominicae*. JONAS *de cultu Imaginum*.

DRACONARIUS. Occurrunt paſſim in antiquis Romanis caeremonialibus Draconarii: erant hi milites, qui Pontificem in publicis functionibus comitabantur: cur autem hoc nomine vocarentur, incertum. Forte a draconibus, de quibus nuper. Vide MACRI Hierolexicon.

DUPLEX officium. DURANDUS *lib. VII. Ration. cap. I. Dicuntur*, inquit, *quaedam Duplicia in quibuſdam Eccleſiis pro eo, quod Reſponſoria tam majora, quam brevia, & verſus a duobus cantantur, & omnia incipienda, a duobus incipiuntur, & quia Antiphonae in Matutinis, & Veſperis duplicantur: dicuntur enim complete, hoc eſt integre, ante pſalmum, & poſt*. Eidem adſtipulatur Gloſſa in Cap. *Glorioſus de Reliq. & venerat. Sanct.* Repugnat tamen GUYETUS. Duplex porro officium ab eodem DURANDO dividitur in duplex *totum*, & in duplex *ſimpliciter*; illud *majus*, & hoc *minus* appellat: quod hodie dicimus *duplex primae Claſſis*, & *ſecundae Claſſis* ex una parte, & *Duplex per annum* ex altera parte. At in recognitione *Clementina* Breviarii, ad majorem diſtinctionem, inſtituta ſunt quatuor genera duplicium Feſtorum; primum quod dicitur *primae Claſſis*; alterum *ſecundae Claſſis*; tertium quod appellatur *majus per annum*; quartum *minus per annum*.

DUPLUM apud AGNELLUM in hiſt. *Pontif. Ravenn.* caſula eſt a frequentibus plicis, rugiſque ita vocata; quas fieri neceſſe erat, quum Sacerdos manus quoquo modo extrahere, vel movere voluiſſet.

DUX AUGUSTALIS, alias Praefectus Auguſtalis, qui ſex Provinciis *Aegypti* jus diceret. Hujuſmodi S. ARTEMIUS fuit, de quo Martyrol. 20. Octobris, & BARONIUS in Notis.

E

ECCLESIA. Varia fuit apud veteres Chriſtianos Eccleſiarum forma. Aliae enim inſtar navis, ut innuunt *Conſtitutiones Apoſtol. lib. 2. c. 61.* & confirmant veteres S. PAULLI extra muros, & S. CLEMENTIS, quae adhuc ſuperſunt, Eccleſiae: aliae rotundae: hujuſmodi fuit Eccleſia ſuper ſanctum Chriſti ſepulchrum *Hieroſolymis* a CONSTANTINO aedificata, de qua

Digitized by Google

qua EUSEB. *lib. 3. de Vita Conſt. c.* 38. : aliae octangulares; cujuſmodi *Antiochiae* Baſilica *Conſtantiniana ibid. c.* 50. ab EUSEBIO memorata, & *Nazianzena* a S. GREGORIO *Nazian.* indicata in oratione funebri GREGORII parentis *n.* 19. Aliae plures in Crucis formam conſtructae erant, ut Baſilica XII. Apoſtolorum *CPoli* ab eodem CONSTANTINO erecta, & apud *Arvernos* aedes a S. NAMATIO conſtructa, de qua GREGORIUS *Turon. hiſt. Franc. lib. 2. cap.* 16. Duo tamen ubique fere ſervabantur. Nam 1. antiqui *Graeci*, & *Latini* duas in partes Eccleſias diſtinguebant, aulam nempe ſive atrium, eaque laicorum erat, & Sanctuarium, in quo ſolis Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis conſiſtere licebat. *Orientalibus* Monachis poſt annos fere a nato Chriſto quingentos tertiam addere placuit exteriori atrio proximam, ſcilicet Narthecem: 2. ita erant veterum Chriſtianorum diſpoſitae Eccleſiae, ut ad ortum ſolis aequinoctialem verterentur. V. ISIDORUM *lib.* 15. *Origin. cap.* 4., & SIRMOND. ad SIDON. *lib. I. ep.* 10. PAULLINUS tamen *Nolanus ep.* 12. adſerit, ſe in Baſilica, quam aedificavit, hunc morem neglexiſſe; immo & neglectus fuerat in urbe *Tyri*, de cujus templo confer EUSEBIUM *lib. X. cap.* 3. Paullo recentiore aevo, alicubi, ut *Mediolani*, Eccleſia hyemalis, & aeſtiva diſtinguebantur. Erant autem ambae matrices, in quibus Clerus ſynaxim agebat, aeſtivo tempore in una, hyemali vero in altera. In rubricis Dominicae ſextae Adventus *Miſſa in Eccleſia Hyemali*. In die S. Paſchae *Miſſa pro baptizandis in Eccleſia Hyemali*. Hyemalis porro B. MARIAE ſacra erat: & aeſtiva SS. Virginibus, & Martyribus THECLAE & PELAGIAE. Hinc apud PURICELLUM *p.* 368. *Intus ab hac civitate ad Eccleſiam B. Dei Genetricis* MARIAE, *quae dicitur Hyemalis*, & *Sanctarum* Teglae, & Pelagiae, *quae dicitur aeſtiva*. V. AMBO, ANDRONA, AULA, CAPSUM, CONCHA, DOMINICUM, SECRETARIUM, TEMPLUM &c.

EGUMENARCHIUM, aedes Monaſterii. ANASTAS. in S. HADRIANO I. T. II. lib. Pontif. *p.* 231.

EGUMENUS a voce Graeca ηγȣμενος prior, ſeu praepoſitus Monaſterio, ut *Egumenus* monaſterii S. ERASMI apud ANASTAS. T. II. *p.* 246.

EMBOLISMUS, latine *intercalatio* ſive *inſertio*. Februarius menſis *Emboliſmalis* dicitur; quod huic menſi ſingulis quadrienniis dies inſeratur: ſic annus *Emboliſmalis* dicitur, quando completis 30. Epactarum diebus menſis unus poſt tres annos ſubtrahitur, & ut *Johannes* a SACROBOSCO ait: *eſt ſpatium decimum tertium lunationum conſtans ex 384. diebus excedens annum Lunarem commun. 30. diebus*. Emboliſmus *Petro* BLESENSI *ſerm.* 43. eſt oratio, quae in Miſſa orationem Dominicam continenter ſequitur, & *Romano* ritu ſubmiſſa voce recitatur. Ab aliquibus vocatur etiam *Interpoſitio*, *excreſcentia*, *ſuperaugmentum &c.*, quod in ea diſertius, quam in oratione Dominica, exprimantur mala, a quibus liberari petimus, praeterita nempe, praeſentia, & futura.

EMBOLUS, ſeu, ut eſt apud ISIDOR., IMBOLUS, porticus Eccleſiae ſic dicta, quod per eam ad Eccleſiam aditus pateat. Olim in hujuſmodi porticibus hiſtorias ſacras pingi mos erat.

EMINENTISSIMUS, titulus olim Magiſtri militum, & ſuperiſtae Palatii Apoſtolici, nunc S. R. E. Cardinalium, & Magni *Melitenſium* Equitum Magiſtri. V. ANASTAS. in LEONE IV. T. III. p. 140., & CENNIUM T. II. Cod. Carol. *p.* 31. ENCAE-

ENCAENIA. *Facta ſunt Encaenia apud* Conſtantinopolim, & *recondita ſunt Lipſana* ANDREAE & LUCAE *Apoſt.* PAULLUS Diac. *lib. 16.* Vide Consecratio Ecclesiarum.

ENCOLPIUM, Crux pectoralis, quam OSBERNUS in Vita S. Martyris ELPHEGI *collariam Crucem* appellat. S. NICEPHORUS P. CP. anno DCCCXI. ſcribens ad LEONEM Papam III. in fine epiſtolae nuntiat: *In ſignum caritatis, quae inter nos in Domino intercedit, miſimus veſtrae Beatitudini Encolpium aureum, cujus alterum latus cryſtallo eſt incluſum, alterum ope fuſili effigiatum. Habet id intra ſe alterum Encolpium, cui pretioſorum lignorum particulae caelatae inſertae ſunt.* BASILIUM vero *Macedonem* Imperatorem laudant in VIII. Synodo generali *Conſtantinopolitana IV.* Orientalium Sedium Vicarii, dicentes: „ Nobis pervenientibus, & degentibus hic, per duos cir„ citer annos anticipantibus Sanctiſſimos Vicarios Senioris *Romae*, impoſuit „ (Imperator) ſuper colla noſtra Encolpium ſuum, & dixit: *Ecce judicium* „ *Eccleſiae exigat Deus a cervicibus veſtris in die Judicii, ut nihil faciatis per* „ *favorem, neque per gratiam, vel odium &c.* „ V. Crux pectoralis.

ENDOTIS, mappa, linteum, quo altaria cooperiuntur. ANGELL. in Vita S. MAXIMI Ep. *Ravenn. Donavit & endotim biſſinam, pretioſiſſimam, omnem Chriſti Dei hiſtoriam continentem, quo in die Epiphaniae aram maximam exornari conſueviſſe teſtatur.*

ENERGUMENUS, qui & *Arreptius*, a Daemone obſeſſus. Energumenos Diaconus ab Eccleſia cum Catechumenis ante Miſſam Fidelium ejiciebat his verbis: *Ite Energumeni*. Concil. *Eliberit.* can. 29. *Energumenum, qui ab erratico ſpiritu agitatur, hujus nomen neque ad altare cum oblatione eſt recitandum.*

ENOPHOTIUS, ENAFORIUS &c. lampas unius luminis, quemadmodum *Exafotius* ſex, *Enneafotius* novem luminum lampas. Plerumque veluti epitheti cum vocabulo *caniſtra* conjungebatur. Vide Canistra.

EPACTA ſubauditur dies ἐπακτός, aliunde adſcitus, adventitius, αἱ ἐπάκται ἡμέραι intercalati dies. Hinc Epactae vocantur undecim illi dies, qui ſingulis annis adjiciuntur anno lunari, ut cum ſolari conveniat. Vide praeludia Breviarii de *Epactis & Noviluniis*, & hic V. Aureus Numerus.

EPHOD. Vide Amictus.

EPIGONATIUM, quoddam eſt apud *Graecos* indumenti genus, quod ſolis Epiſcopis, aliiſque in dignitate conſtitutis permittitur, formae quadrangularis palmi & dimidii ex utroque latere, atque e zona appenſum. Simile eſt Rom. Pont. Praecinctorio, quod vide.

EPIMANICION Manipulo noſtro apud *Graecos* reſpondet; de quo agit GOAR *in Not. ad Chryſoſt. Liturg. n. 12.*

EPINICION, Hymnus, quem *Graeci triumphalem* vocant; & eſt ille, quem poſt Praefationem omnes ſimul modulantur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* Vide Trisagium.

EPIPHANIA. Breviario *Mozarabum* inſcribitur *in feſto Apparitionis Domini*. Orationali *Gothico Orationes in die Apparitionis Domini*. Fragmento vetuſti Calendarii *Gotho-Hiſpani* VIII. Id. Januarii *Apparitio, quod eſt Epiphania*. Codici legum *Wiſigothorum lib. II. Tit. I. leg. II. Epiphania*, & *l. 12. Tit. 4. leg. 6. Apparitio Domini*. Scilicet *Gotho-Hiſpani* utraque appella-

pellatione aut *Apparitionis Domini*, aut *Epiphaniae* promiſcue utebantur. S. ISIDORUS *orig. lib. 6. c. 18. Epiphania graece, latine apparitio, ſive manifeſtatio vocatur*. Eadem ſolemnitas paſſim *Theophania* etiam a *Latinis* nuncupatur, & a *Gotho-Hiſpanis* peculiari illis vocabulo *Acceptatio*. De ſolemnitate Epiphaniae ſilet Calendarium *Bucherianum*: de ea meminit Calendarium *Carthaginenſe: VIII. Id. Jan. Sanctum Epiphania*; eſt enim vetuſtiſſima feſtivitas, quae ante finem tertii ſaeculi in *Occidente*, ſeorſim a Nativitate Domini celebrabatur. De ea diſtincte mentionem faciunt Acta S. PHILIPPI *Heracleae* Epiſcopi, quem credibilius eſt ante immanem *Diocletiani* perſequutionem paſſum eſſe, quum vix perſuaſibile ſit, edicta perſequutionis nonniſi poſt decem menſes e *Bythinia* in *Thraciam* allata eſſe. MAZZOCHIUS tamen ad ea Acta (*T. I. Kal. Neap. p. 217.*) aliqua adnotat, quibus perſuadeat, in illis Epiphaniae nomine Natalem diem Domini indicari. De eadem feſtivitate, in *Galliis* celebri, meminit *Ammianus* MARCELLINUS *lib.* 21. Plurimae ſuperſunt Patrum Conciones, & Homiliae hac die ad populum habitae: inter quas eſt oratio 39. *S. Gregorii* NAZIANZENI *in ſacra lumina*, *εἰς τὰ ἅγια φῶτα*: *a Graecis* enim Epiphania *ἑορτὴ τῶν φωτῶν feſtum luminum* appellatur: quo nomine S. ASTERIUS *Hom. in feſt. Kalendar.* utitur. GRAECI, & AEGYPTII cumprimis veteri aevo VI. Januarii die ipſam Nativitatem dominicam colebant, (confer *Sebaſtiani* PAOLI diſſertationem de *Neriton. Eccleſ. ritu p. 15. ſeqq.*) ſive ex aliqua traditione, ſive quod (ut MAZZOCHIUS conjecit in *Kal. Neap. T. I. p.* 4., Epiphaniae nomen de Servatoris adventu interpretati eſſent: ſicuti & ANTIOCHUS teſte NORISIO eadem notione per adſentationem *Epiphanes* vocabatur, quaſi *Deus praeſens*. Legibus *Wiſigothorum* citatis prohibetur, ne feſto Epiphaniae forum contentioſum frequentetur, & *Theodoſius Junior* Auguſtus *cod. Th. leg. Dominico V. de ſpect. prohibuit*, ne hac ſolemnitate ſpectacula ederentur. Ceterum apud Scriptores Eccleſiaſticos *Epiphania* numero ſingulari, & genere feminino paſſim legitur, & nonnumquam *Epiphania* numero ſingulari genere neutro & pariter numero multitudinis genere neutro apud eoſdem recurrit. Dicitur etiam ſequiore aevo EPITHANIA; cujus rei exempla dabit Cl. GARAMPIUS in B. CLARAE Vita *p.* 207. Vide Acceptio, Dies luminum, Festum luminum.

EPISCOPA, quae fuerat uxor viri ad Epiſcopatum adſumpti. Conc. *Turon.* cap. 13. *Epiſcopum Epiſcopam non habentem, nulla ſequatur mulierum turba.*

EPISCOPALIS *ſalutatio*, illa verba; quae dicit Epiſcopus ſalutando populum, dum Miſſam celebrat, nempe *Pax vobis*. *S. Petrus* DAMIANI in lib. cui tit. *Dominus vobiſcum: Graeci dicunt Pax omnibus. Quum ingreſſus fuerit is, qui praeeſt Eccleſiae, ſtatim dicit Pax omnibus: quando benedicit, Pax omnibus. Quando jubet oſculari, Pax omnibus*. Johannes CHRISOSTOMUS *hom. 3. in ep. ad Coloſſ.*

EPISCOPIUM ſumi poteſt & pro Episcopatu, & pro habitatione Epiſcopi, & pro ejus diocceſi. FLODOARDUS l. 2. c. 12. *Carolus Rex* Rogobertum *Epiſcopatu deturbavit, & cuidam Miloni, ſoli tonſura Clerico, dedit hoc Epiſcopium*.

EPISCOPUS, ductum nomen a verbo *Graeco* Επισκοπέω, quod eſt inſpicio,

ſpicio, ut idem Epiſcopus ſit qui *Inſpector*: oneris nomen potius quam honoris. A Chriſto Epiſcoporum, qui *apices & principes omnium*, ut ait OPTATUS Milevit. lib. I., in Eccleſia forent, ordo conſtitutus fuit, iiſque datus, ut, quod ad Eccleſiae regimen ſpectat, in Apoſtolorum locum ſufficerentur. Hinc antiquiores Epiſcopatum ſummi Sacerdotii miniſterium *Sacr. Gelaſ. in ord. Epiſc.*, Sacerdotale culmen *Miſſal. Ambroſ. in Praef. Miſſae ord.* S. AMBROSII, & ipſos Epiſcopos Summos Antiſtites S. LEO *ſerm.* 10. *de Quadrag.* Summos Sacerdotes *Acta* S. SATURNINI *Tom. III. de Bapt. cap.* 17., Summos Dei Sacerdotes *Conc. Tolet. IX. c.* 17., Summos Pontifices SIDONIUS, & ſimilibus honorum titulis ornare conſueverunt. Vide PAPA.

EPISCOPI Cardinales, qui urbi proximi *Romanae* Eccleſiae addicti erant, & ſummi Pontificis lateri haerebant, ſeptem erant.

1 Epiſcopus *Oſtienſis*
2 Epiſcopus *Portuenſis*
3 Epiſcopus *S. Rufinae*
4 Epiſcopus *Albanenſis*
5 Epiſcopus *Sabinenſis*
6 Epiſcopus *Tuſculanus*
7 Epiſcopus *Praeneſtinenſis*:

Vocabantur autem 1. Epiſcopi hebdomadarii & Lateranenſes, quia ut ait JOHANNES Diaconus a MABILLONIO vulgatus, *ad ſacroſanctum altare Dominicum in Baſilica Salvatoris per hebdomadas ſuas vice Apoſtolici celebrare debebant quotidie*: 2. *Pontificis Vicarii*, quod *Romani* Pontificis in ſacra Liturgia ad *Lateranenſem* Baſilicam vices agerent: 3. *Collaterales Epiſcopi*. Verum quod majus eſt, *Urbis Epiſcopi*, immo & *Romani Epiſcopi* dicebantur: quod, quum GEORGIUS *T. II. diſſ. I. cap.* 1. *n.* 3. poſt MABILLONIUM adtigiſſet, pluribus a *Conſtantino* RUGERIO in diſſ. poſtuma de *Portuenſi* S. HIPPOLYTI *Sede p.* 94. *ſeqq.* demonſtratum fuit.

EPISTOLA, ſic dicitur lectio in Miſſa poſt Collectam, etſi ex quovis libro Vet. & Nov. Teſtam. prompta eſt, quia ut plurimum ex epiſtolis *Paulli* adcipitur. Vide APOSTOLUS. *Epiſtola*, inquit HILDEBERTUS in *Expoſitione Miſſae*, *legitur*, *ut oſtendatur per Evangelium Chriſtum prope venturum. Epiſtola enim ſupra miſſa dicitur, eo quod ſit miſſa ab Apoſtolis ſuper legem Moyſi*, *& ſuper Prophetas*. GALLICANAE Eccleſiae duas Evangelio lectiones, e Veteri alteram, alteram e Novo Teſtamento (quod etiamnum MOZARABIBUS, & AMBROSIANIS in uſu eſt) praemittebant: immo & in ſolemnioribus quibuſdam diebus in ROMANA Eccleſia fieri id conſueviſſe, antequam Fratres MINORES ejus ritus immutarent, adfirmat RADULPHUS *Tungrenſis Prop. XXIII.* In Miſſa ROMANI Pontificis *latine*, *& graece* epiſtola canitur: quo de ritu copioſe GEORGIUS diſſerit, ex eoque CATALANUS in *lib. II. Caeremon. S. R. E cap.* 14. Epiſtolae lectio olim a Lectoribus, uti & hodie in Miſſis minus ſolemnibus, fiebat, alias a Subdiaconis; quod aegre ferebat AMALARIUS *lib. II. cap.* 11.

EPISTOLARE & EPISTOLARIUM, liber epiſtolas ad ſacras Miſſae lectiones continens. Inter codices inventos a FOLMARO Abbate *Weiſſemburgenſi*, qui obiit A. D. MXLIII., *& in armario* S. Petri apud idem Monaſte-

rium adſervatos, enumerantur EPISTOLARES *cum eburno & argento ornati II. Alii IV.* SIGMARUS Abbas Monaſterii *Cremiſanenſium* vita functus circa A. D. MXL., inter ſacra ornamenta ad uſum Eccleſiae illius Coenobii comparaverat *duo* EPISTOLARIA. VICTOR quoque III. a LEONE *Oſtienſi* lib. 3. cap. 74. reliquiſſe dicitur A. MLXXXVII. Coenobio *Caſinenſi* EPISTOLARIA *duo, unum cum tabula aurea, aliud cum tabulis argenteis.* Vide noſtram Bibliothecam Ritualem *T. I. p. 35.*

EPISTOLELLA apud *Ambroſianos* eſt Capitulum, quod legitur in fine ſingularum horarum Canonicarum.

EQUULEUS, ſtipes validus, & cochleatus, qui tranſverſum habebat lignum, quod intendebatur, ac remittebatur, ut ad illud curvi hominis, facie tamen ad coelum converſi, ligata membra diſtenderentur tortoris arbitrio. Vide BARONIUM *in Martyr. ad 22. Januar.*

ERGA, *Hercia*, Candelabrum ferreum in modum occae, ſeu trigoni, confectum, ſuper quod imponebantur candelae, ſeu lampades in Eccleſia. LANFRANCI Statuta apud MARTENE *de ant. Monach. ritib. lib. IV. c. I.*

EVANGELIARIUM, & EVANGELISTARIUM, Evangelii Codex, qui inter Miſſarum ſolemnia legebatur, identidem litteria aureis aut argenteis ſcriptus, ac tabulis affabre elaboratis, & pretioſorum lapidum ornatu diſtinctis coopertus. Vide GEORGIUM *diſſ. 11. de Libr. Liturg. c. 1.*, CATALANUM *de Codice Evangelii*, & Bibliothecam Ritualem *T. I. p. 17. & 38. ſeq.* V. etiam PLENARIUM. EVANGELIUM ſemper in Eccleſia lectum fuit. Extat ea de re Can. I. Concilii *Valentini in Hiſpania* A. DXLVI. celebrati. *Cum de Eccleſiaſtica regula*, inquit, *tractaremus antiquos Canones relegentes, inter cetera haec cenſuimus obſervandum, ut* SACROSANCTA EVANGELIA *ante munerum illationem, vel Miſſam Catechumenorum, in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur: quatenus ſalutaria praecepta Domini Noſtri Jeſu Chriſti, vel ſermonem Sacerdotis, non ſolum fideles, ſed etiam Catechumeni, ac poenitentes, & omnes qui ex diverſo ſunt, audire licitum habeant.* Ritus vero ejus cantandi praeter MARTENIUM GEORGIUS *de Liturg. Rom. Pont. lib. 3. c. 18.* perſequitur, & quod ad *Mozarabes* ſpectat, LESLAEUS *p. 501.* in eorum Miſſale.

EVANGELIUM. Olim Lectores Evangelium quoque legebant; poſtea id munus Diaconorum adeo proprium fuit, ut S. HIERONYMUS *ep. ad Sabinianum* eum laudarit, quod *Evangelium Chriſti quaſi Diaconus lectitabat.* In *Alexandrina* vero Eccleſia Evangelium canere ſolius Archidiaconi erat; immo CPoli in ſolemnioribus diebus ab Epiſcopo canebatur. Diaconus porro Evangelium lecturus a Presbytero benedictionem petit; cujus petendae, adcipiendaeque benedictionis varias formulas proferunt BONA *lib. II. cap. 7. §. 2.*, & GEORGIUS *de Liturg. R. P. lib. III. cap. 18.* Poſt benedictionem ſumit Diaconus Evangeliorum librum ab Altari, adcenſis interea ad laetitiae ſignificationem cereis, quos lecto Evangelio extinctos fuiſſe AMALARIUS tradit, uti & Ordo ROMANUS V. Diaconum, qui Evangelium legeret, ad meridiem verti *Romae* mos fuit; alibi tamen ad aquilonem, vel etiam ad orientem vertebatur, ad eam ſcilicet Templi partem, in qua ex more gentis erat virorum ſtatio. De his vide MALDONATUM *diſp. II.*

Digitized by Google

§. 14., & quae ad eum adnotavi *T. III. Bibl. Ritual. p. 92. ſeqq.*

EUCHARISTIA non ſolum ſacroſanctum Domini Corpus ſignificat, ſed etiam apud BASILIUM in *regulis fuſe diſputatis* c. 17. Veſperas, quod ad agendas pro beneficiis a Deo per diem acceptis gratias inſtitutae potiſſimum fuerint.

EUCHARISTIA LEGITIMA. Modus hic loquendi non modo in Miſſ. *Mozarabum p. 192.*, ſed etiam in Miſſali *Gallo-Gothico* non ſemel recurrit, ut n. XXXVI., ubi poſt *Sanctus* Vigiliis Paſchatis oratur Deus, *uti hoc ſacrificium ſua benedictione benedicat, & Spiritus ſui rore perfundat, ut ſit omnibus legitima Euchariſtia*. Porro *legitima Euchariſtia* ea eſt, quam S. CYPRIANUS *ep. 63.* ſacrificium verum & plenum appellat, ea nimirum, quae omnibus rite peractis Deo offertur, & populo diſtribuitur, atque adeo quae non modo legitimam conſecrationem ſuſceperat, qua verbis Domini elementa in Corpus, & Sanguinem Chriſti transformantur, ſed etiam quae larga Dei benedictione repleta communicantibus medicina animae, & corporis, & pignus vitae aeternae foret. Sunt qui putant, eam communionem, quae poenitentibus, peracta *legitima*, hoc eſt publica & ſolemni *poenitentia*, concedebatur, denominatam eſſe *Euchariſtiam legitimam*; neque id negaverim, inquit LESLAEUS *pag. 526. in Miſſ. Mozarab.* Sed hoc loco *legitima Euchariſtia* ea nuncupatur, quae non ſolis poenitentibus, ſed omni coetui fidelium diſtribuitur.

EUCHARISTIAE ADMINISTRATIO. Aliqua ad Euchariſtiae adminiſtrationem ſpectantia occupavimus V. COMMUNIO. Addendum I. olim Sacerdotem, quum Euchariſtiam porrigeret populo, dixiſſe: *Corpus Domini*; Diaconum: *Sanguis Chriſti*; populum autem reſpondiſſe: *Amen*. Extant hac de re luculenta Veterum teſtimonia, *Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. VIII. c. 20.*, CYRILLI *Hieroſolymitani Catech.* V., S. AMBROSII *de Sacram. l. IV. cap. 5.*, S. LEONIS M. *Serm. XCI. Ballerin. edit.*, aliaque apud BONAM *Rer. Liturg. lib. I. c. 25.* §. 4. Deinde adjecta alia ſunt: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat corpus tuum, & animam tuam in vitam aeternam*; vel alia id genus, de quibus GRANCOLASIUS *Anc. Sacram.* P. I. *p. 326. ſeqq.*, & GEORGIUS *lib. IV. c. 19. n. 7. ſeqq.* Erat & alius ritus, ut Euchariſtia Laicis etiam in manus traderetur (confer CYRILLUM *l. c.* & antiquiorem TERTULLIANUM *lib. de ſpectaculis*) etiam domum deferenda: qua de re praeter BONAM *l. II. c. 17.* §. 4. conſule MALDONATUM *T. III. meae Biblioth. Ritual. p.* 182. Cautum tamen a Concilio *Antiſſiodorenſi can. 36.*, ne mulieres nuda manu Euchariſtiam ſumerent, ſed linteolo (vide hic V. DOMINICALE) adceptam ori admoverent. Deinceps tamen mos noſter obtinuit, ut Euchariſtia in os Laicorum immitteretur; immo id Romae ante S. GREGORII M. tempora vigebat, ut ad MALDONATUM notavi *p. 183.* Neque eadem ubique, & ſemper, quod ad locum porrigendae Euchariſtiae adtinet, ſervata fuit diſciplina. Confer quae ibidem *p.* 184. congeſſi. Utrum autem ſtantes, an genibus flexis Chriſtiani olim communicarint, nondum explorata res eſt; plerique tamen eos ſtantes communicaſſe docent. Vide ANTONELLIUM in *S. Jacobi Niſibeni* Sermonem XIV. *p. 347.*

EUCHARISTIAE OSTENSIO. *Graecis* una Hoſtiae elevatio, nec niſi paullo ante Communionem uſitata eſt, ut ex Liturgiis BASILII, GREGORII, aliiſque monumentis conſtat. Hoſtiam autem dum ab iis elevari ajo,

majo-

majorem intelligo Hoſtiae partem. *Coptitae* quoque, *Syri*, aliique *Orientales* Chriſtiani, de quibus RENAUDOTIUS *Liturg. Orient. T. I. p.* 265., & *T. II. p.* 114. praecipuam Hoſtiae conſecratae partem ad ea verba: *Sancta Sanctis*. Id ipſum apud Occidentales obtinuit. *Mozarabes* antiquitus elevabant Corpus Domini ad ea verba: *fidem, quam corde credimus, ore autem dicamus*, quae ſymboli recitationem praecedunt. *Romae* autem olim ad ea Canonis verba: *per ipſum, & cum ipſo*, Diaconus calicem elevabat, & Sacerdos duas oblatas, quibus latera calicis tangebat. In *Gallia* tamen poſt medium ſaeculum XI. occaſione BERINGARIANAE haereſis coeperunt ſtatim poſt conſecrationem panis adtollere Corpus Domini, illudque adorare, & pariter poſt conſecrationem calicis Sanguinem altius adtollere, & adorare. Quae conſuetudo e *Gallia* in alias *Latinae* Eccleſiae regiones paullatim penetravit. Saeculo autem XIII. hic ritus paſſim in uſu erat, retento quoque vetere vel ante confractionem, vel quum Symbolum apud *Mozarabes* recitabatur; hincque duplex illa elevatio emerſit, major altera poſt conſecrationem, minor altera, quam nos ſervamus ad dicta verba *cum ipſo* &c. Dum vero poſt conſecrationem Hoſtia, Calixque adtollebantur, acclamare conſueverat Populus, ut diximus V. CAMPANULA, CANTIONES.

EUCHARISTIAE RELIQUIAE. Quae ex Sacrificio ſupererant olim reliquiae, eas vel in paſtophoria Sacerdotes, & Diaconi referebant, & illic ſecreto ſumebant; vel pueris & lactentibus tradere conſumendas mos fuit; vel demum ſi tam leves, & minutae eſſent, ut ſumi non poſſent, igne cremabant in ſacrario, & cineres juxta altare reponebant, ut etiam hodie fit.

EUCHOLOGIUM, Rituale *Graecorum*, quod GOARPUS egregiis adnotationibus illuſtratum edidit, A. vero MDCCLVIII. juſſu BENEDICTI XIV. a S. C. diligentiſſime emendatum *Romae* prodiit. Confer noſtram Bibliothecam Ritualem *T. I. p.* 137. *ſeq.*

EULOGIAE, *Graecis Antidoron*, quum inſtar communionis, Euchariſtiae vice diſtribuerentur, a jejunis adcipiebantur, & reverenter conſumebantur; ſolis Fidelibus dabantur, non Paganis, non Catechumenis, neque Chriſtianis excommunicatis, publice poenitentibus, aut haereticis, ſchiſmaticiſve. Petenti Eulogias negaſſe injuria erat: is enim pro excommunicato habebatur, cui negatae fuerant Eulogiae. GREG. *Turon. Hiſt. lib.* 5. *cap.* 14. Eulogias a *Judaeis*, ab Haereticis, aut Schiſmaticis adcipere nefas: erat enim cum iſtis communicaſſe. Plura de Eulogiis vide apud Em. BONAM *Rerum lit. lib.* 1. *cap.* 13. *lib.* 2. *cap.* 19., & Franciſcum *Antonium* VITALEM in diſſ. *de Communione*. Monachis olim in Refectorio a Sacerdotibus diſtribuebantur. Confer *Veterem diſciplinam Monaſticam p.* 20. Eulogiae ſunt etiam *benedictiones*, ſeu Reliquiae Sanctorum. V. ſupra V. BENEDICTIO. Porro Eulogiae vocabantur a Chriſtianis Panes benedicti, qui minutatim Fidelibus diſtribuebantur: videlicet, *ut qui Sacramento Euchariſtiae minime communicaſſent, hoc ſaltem alio communionis ſigno cenſerentur eſſe fideles*, ut ait BARONIUS ad ann. 313. n. 52. Eaſdem (n. 56.) duplicis generis docet eſſe; nimirum publicas, eas, quas diximus communionis catholicae ſigna; alias vero privatas, quas amici inter ſe ultro citroque dare, atque accipere conſueverant.

EXALTATIO S. CRUCIS. Vide Crux Dominica.

EXARCHUS, idem reapſe quod *Latinis* Primas; nempe qui nec unam regit civitatem, ut Epiſcopus, nec unam tantum Provinciam, ut Metropolita; ſed multas ſimul, non civiles modo, ſed eccleſiaſticas, ſive integra eſſet dioeceſis, ſive ſecus. Primum quidem apud *Graecos* tres tantummodo fuerunt *Exarchi*, quorum ſinguli propriam adminiſtrabant dioeceſim, eamque integram; *Caeſarienſis Ponticam*, *Aſianam Epheſinus*, & *Heracleenſis Thracicam*. Patriarchae poſtmodum ipſi *Exarchi* dicti ſunt, ut domnus *Antiochenus* in *Antiochena* Synodo. Ubi vero omnia fere Exarchorum jura, ut formatarum, ut ordinandi Metropolitas, ut Synodi ex multis Provinciis convocandae, & alia id genus ad *Conſtantinopolitanum* Epiſcopum rranslata ſunt, vix nudum illis *Exarchorum* nomen relictum eſt; quod, licet antiquo ſplendore deſtituti, ad ultima uſque tempora retinuerunt. Inclinata deinde vetere diſciplina, factum eſt, ut pro Principum arbitrio plures in ſingulis Provinciis inſtituti ſint Metropolitae; inde *Exarchi* nomen honoris cauſſa uni praecipue tributum, qui veterum Exarchorum exemplo, reliquorum in eadem Provincia veluti princeps & caput eſſet. Dum vero & Imperii, & Eccleſiae majeſtas in *Graecia* ſenſim dilabitur, inanis *Exarchi* titulus non iis tantum datus eſt, qui veri & antiqui fuerant Metropolitae, ut *Ancyrano*, ut *Synnadenſi*; ſed iis etiam, qui aut nullis praeerant Epiſcopis, ut *Calcedonenſi*, & aliis permultis; aut meri antea erant Epiſcopi, ut *Lacaedemonis*, & *Monembaſiae*, quorum ille *Patrarum* fuerat, hic *Corinthi* Suffraganeus: uterque tamen & *Metropolita* factus eſt, & *Exarchus*. Immo & Exarchi nomen conceſſum etiam invenias iis, qui ne Epiſcopi quidem erant, ut & Chorepiſcopis, qui multis oppidis praeerant, HERMENOPOLO reſte, & Monachis, qui multis Monaſteriis, ut auctor eſt BALSAMON. Poſterioribus denique ſaeculis Exarchi etiam dicti ſunt ii, qui in Provincias a Patriarcha mitti ſolent, ad colligendam eam pecuniae vim, qua tributum annuum, χαράτζιον vocant, *Turcharum* Imperatori perſolvatur.

EXCEPTORES, qui acta excipiebant, & jurgantibus eadem reſtituebant. Cuſtodiebant etiam Acta, & in ſecretario Judicum illa recitabant. Romae celebres erant, Martyrum acta exſcribebant, privilegia ſcribebant, aliaque munera, quae Notariorum ſunt, exercebant. Clero autem adſcripti erant. Huc illud ſpectat GELASII *ep.* 1. *c.* 6., ubi recenſens Eccleſiaſticos gradus, quos obire oporteret: *ſi*, inquit, *aſſequutus eſt litteras ...., continuo Lector, aut notarius, aut certe defenſor effectus poſt tres menſes exiſtat Acolytus*. DAMASI quoque patrem fuiſſe *Exceptorem* docet antiquus lapis apud GRUTERUM *p.* 1164.

Hinc Pater Exceptor, Lector, Levita, Sacerdos.

Etiam hi Exceptores ſuum habebant Primicerium, quemadmodum (ut videre eſt apud GOTHOFREDUM *ad* l. 2. c. Theod., & GUTHERIUM *de offic.* dom. Aug. *lib.* 11. *c.* 14. & *l.* 3. *c.* 7.) Laici Notarii. Eorum Collegium *Schola exceptorum* dicebatur. Vide Notarius.

EXCOMMUNICATIO. Privatio communionis Eccleſiaſticae. Quemadmodum autem communionis Eccleſiaſticae multiplex fructus erat, ita qui illa privabantur, non ab omnium commodis arcebantur; neque qui reconcilia-

tione

tione ac pace reſtituebantur Eccleſiae, amiſſa ſemper jura omnia recuperabant. Communionis haec praemia fuere praecipua; immunitas a peccatorum gravium labe; publicarum precum partecipatio; intereſſe ſynaxibus, jus habere oblationis, ſive προσφορᾶς. Item ut eo mortuo publicae pro ipſo fierent oblationes, ac preces cum illius mentione nominis; ac demum, quod caput omnium & finis fuit, uti Sacramentorum, & in primis Euchariſtiae participes eſſent. Jam qui ob delicta ſua ab communione praecidebantur eo genere excommunicationis, quod maximum habebatur, cujuſmodi erat anathema, omnibus illis carebant; immo vero non aditu ſolum Eccleſiae, ſed etiam convictu fidelium ac colloquio & ſalutatione, ceteriſque vitae communis officiis excludebantur. Quippe τὸ ἀνάθεμα παντελῶς ἀποκόπτειν τῶ Θεῶ, ait CHRYSOSTOMUS Hom. *de Anathemate*. Eam ἀκοινωνησίαν παντελῆ vocat BALSAMO *ad Can.* 70. *Apoſt.* Quibus autem communio repraeſentabatur, ii gradatim ad ſummum, perfectumque veniebant. Siquidem in primo gradu, & προσκλαύσειν, limen Eccleſiae terere, ac ſe fidelium pedibus advolvere permittebantur. In ſecundo paullo interius admiſſi ſunt, ac nonnullarum precum erant participes. Iidemque in tertio. In quarto omnium erant compotes, praeterquam Euchariſtiae. Candelas ad pronunciatam Excommunicationis ſententiam ſolemniter extinguere *Latinae* Eccleſiae antiquus mos eſt, cujus tamen prima occurrit mentio in Actis *Lemovicenſis* Synodi ſub BENEDICTO IX. Ad majorem incutiendum terrorem adjuncta poſtmodum fuit ſolemnis campanarum pulſatio. Vide *Matthaeum* PARISIUM ad a. MCCLIII. Alia de excommunicationum, praeſertim Pontificiarum, ritibus invenies apud CATALANUM in *Caerem. S. R. E. T. II. p.* 171.

EXEDRA „ ſi vocabuli originem attendimus, *inquit* BALUZIUS *ad l. I.* „ Regin. *cap.* 125., erat locus circum Eccleſiam, in quo ſedere ac requieſcere licebat. In templo *Tyrio* exedrae erant conſtitutae extra illam partem Eccleſiae, in qua nos majus altare collocamus, in circuitu chori, „ ſic ut conjungerentur deinde cum portis, quibus in medium templum intrabatur. Exiſtimo autem, exedras conſtituiſſe partem murorum Eccleſiae, ideſt factas in muro ſedes in circuitu Eccleſiae, ut etiamnum vi„ demus in aliquibus Eccleſiis. In muro dein illo prominenti quum non„ nulli cupiiſſent ſepeliri, cameras quaſdam ac fornices conſtruebant in exe„ dra, in quibus eorum corpora condebantur, atque iſtiuſmodi camerae „ plures etiamnum videntur in circuitu Eccleſiae *Tutelenſis*. Recte ergo ad„ notatum eſt a BARTHOLOMAEO *Brixienſi* 13. *q.* 2. *cap. Praecipiendum*, „ exedras dici quaſdam voltas, quae exterius adhaerent parietibus Eccleſiae. „ Vide Sepultura. Exedrarum uſus deſiit, quum gliſcente abuſu palam ac publice omnes in Eccleſia ſedere coepiſſent, etiam laici ac feminae.

EXEQUIAE ab exequendo dictae ſunt, quia exequutioni mandanda eſt defuncti voluntas: initio enim ſui teſtamenti, ante alia ipſe ſibi proſpiciens mandat, quomodo velit ſepeliri: poſt alia narrat exequenda. Sic exequiae, quaſi per antonomaſiam dicuntur primarium Teſtatoris mandatum, quod ante omnia heredes exequi debent. V. Obsequium, et Sapultura.

EXEQUIALIS liber, quo Exequiarum ritus, preceſque continentur. Vide Bibliothecam noſtram Ritualem *T. I. pag.* 158.

Digitized by Google

EXOMOLOGESIS. Hujus ñomine primo venit ſecreta & auricularis criminum enunciatio, illique addita poena; quo ſenſu CYPRIANUS loquutus eſt, dum ajebat *lib. de lapſis*: *Hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes* EXOMOLOGESIN *conſcientiae faciunt, animi ſui pondus* (cogitatu ſolo admiſſum, adeoque cenſuris Eccleſiaſticis invium) *exponunt, ſalutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt*: uam antea in errorem eorum graviter invectus fuerat, *qui ante expiata delicta, ante Exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu Sacerdotis, pacem putant eſſe*. Altera *Exomologeſis* ſignificatio denotat aliquando ſimplicem illam, audiente Deo, peccatorum profeſſionem, ut ex TERTULLIANO Dominicam orationem explicante intelligimus: ad illa quippe verba *dimitte nobis debita noſtra*, ait *lib. de orat. cap.* 7. *Exomologeſis eſt petitio veniae, quia qui petit veniam, delictum confitetur*. Hanc ſolam ad veram peccatorum expiationem ſufficere fruſtra contendunt Proteſtantes. Per Exomologeſin frequentius apud Patres exponitur tertio ritus poenitentiae publicae; ita enim TERTULLIANUS *lib. de poenit. c.* 9. *Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens, miſericordiae illicem de ipſo quoque habitu, atque victu mandat.... haec omnia Exomologeſis, ut poenitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret .... Quum igitur provolvit hominem, magis relevat; quum ſquallidum facit, magis mundatum reddit; quum accuſat, excuſat; quum condemnat, abſolvit*. Huc ſpectat Exomologeſis, de qua CYPRIANUS *ep.* 13. ita ſcribit. *Quoniam tamen video, facultatem veniendi ad vos nondum eſſe, & jam aeſtatem coepiſſe, quod tempus infirmitatibus adſiduis, & gravibus infeſtat, occurrendum puto fratribus noſtris, ut qui libellos a Martyribus acceperunt, & praerogativa eorum apud Deum adjuvari poſſunt; ſi incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non exſpectata praeſentia noſtra, apud Presbyterum quemcumque praeſentem; vel ſi Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus coeperit, apud Diaconum quoque Exomologeſin facere delicti ſui poſſint; ut manu eis in poenitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis deſideraverunt*. Per Exomologeſin (quae apud Diaconum fit) non intelligitur heic confeſſio ſacramentalis; ſed abſolutio ab excommunicatione, aut a publicae poenitentiae legibus: Prior enim Sacramentalis, quaeque eſt fori interni, ſolis Epiſcopis & Sacerdotibus data erat, quando PETRO Sacerdotum Principi a Chriſto dictum eſt: *Quodcumque ligaveris ſuper terram &c.* Matth. 16. Ita docent HILARIUS, & HIERONYMUS in illum MATTHAEI locum, item AMBROSIUS lib. *I. de poenit.* c. 2. Itaque Diaconis ſolum ritus ille exterior committebatur, quo lapſos Martyrum libellis munitos, periculo urgente, communioni orationum, & Sacramentorum reſtituebant.

Aetate S. ISIDORI *Hiſpalenſis*, qui obiit A. 636., *Exomologeſis* nomen translatum fuit ad Litanias ſignificandas, quae ſunt ſupplex deprecatio cum ſummae demiſſionis teſtificatione conjuncta. *Inter Litanias*, inquit ille *lib. VI. Etymol. c.* 19., *& Exomologeſes hoc differt, quod Exomologeſes pro ſola peccatorum confeſſione aguntur; Litaniae vero indicuntur propter rogandum Deum, & impetrandum in aliquo miſericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum ſub una deſignatione habetur; nec diſtat vulgo utrum Litaniae, an Exomologeſes dican-*

Digitized by Google

dicantur. Idem erat hujus vocis uſus tempore Concilii *Moguntini* a. 813., ut conſtat ex ejus Canone 32., qui totus ex ISIDORI verbis expreſſus eſt.

EXORCIDIARE ſaepius in Miſſali *Gallicano vetere* pro *exorcizare*.

EXORCISMUS, Adjuratio. Fiunt exorciſmi a Sacerdote, antequam baptizet per illa verba: *Exorcizo te omnis immunde ſpiritus* &c. In benedictione aquae & ſalis: *Exorcizo te creatura aquae, creatura ſalis &c. Hiſpani* & *Galli* benedictionem aquae adſperſionis ab exorciſmo ſalis inchoabant, uti ex *Bobienſi* Sacramentario *p. 386.* apparet; in quo titulus *exorciſmum ad ſalis ſparſum* faciendum, cui primum ſubjicitur exorciſmus & benedictio ſalis, tum exorciſmus & benedictio aquae, ac demum benedictio ſalis & aquae, poſtea quam fuerunt commixtae: quem ordinem Miſſale XIMENII retinuit. At ritu *Romano* primum aqua, atque deinde ſal benedicitur. Praeterea in ſanctificatione fontis adhibitum eſſe exorciſmum, liturgiae vetuſtiſſimae, tam *Orientalis*, quam *Occidentalis* Eccleſiae probant: Praeter Miſſale *Mozarabum*, & Euchologium *Graecorum*, Miſſalia *Gallo-Gothicum*, & *Gallicanum*, & Sacramentarium *Bobianum*, Miſſale *Ambroſianum* P. AMELII, Sacramentaria *Gelaſianum*, & *Gregoriana* in fonte benedicendo exorciſmos habent. Mos idem in *Africa* viguit teſte S. CYPRIANO *ep. 7.* ad JANUARIUM: *Oportet ergo prius mundari*, utique exorciſmis, *& ſanctificari aquam a Sacerdote, ut poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis, qui baptizatur, abluere*: & S. AMBROSIUS, aut certe auctor libri *de Sacramentis lib. 1. cap. 8.* ſcribit: *Ubi primum ingreditur Sacerdos, exorciſmum facit ſecundum creaturam aquae, poſtea invocationem, & precem defert, ut ſanctificetur fons.* Porro formulae exorcizandi, & ritus diverſi ſunt. *Gotho-Hiſpani* primum inſufflabant, & faciebant ſignum Crucis, tum aquam adloquebantur: *exorcizo te creatura aquae &c.* Aquam quoque *Galli* in Sacramentario Bobiano: *exorcidio te creatura aquae &c.*, & in Miſſali *Gallicano* adloquuntur: *exorcizo te fons aquae perennis &c.* At in Miſſali *Gallo-Gothico* aquam ſimul, & poteſtates tenebrarum adloquuntur: *Exorcizo te creatura aquae. Exorcizo te omnis exercitus diaboli, omnis poteſtas adverſaria, omnis umbra daemonum &c.*, & abſoluto exorciſmo, aquam ter inſufflant. In Sacramentario *Gelaſiano* deprecatoria eſt formula exorciſmi: *Procul ergo hinc, te jubente, Domine, omnis ſpiritus immundus abſcedat, procul tota nequitia diabolicae fraudis abſiſtat &c.* Apud *Graecos* etiam *in officio baptiſmatis* Euchol. GOARII *pag. 353.* forma exorcizandi eſt deprecatoria: primo inſufflando in aquam ſignum Crucis faciunt; tum orant: *conterantur ſub ſigno figurae Crucis tuae adverſariae cunctae poteſtates*; ter dicunt; tum: *diſcedant a nobis aerea cuncta & inviſibilia idola. Gotho-Hiſpanos* benedictionem fontis Baptiſmalis ab exorciſmo inchoaſſe innuit S. GREGORIUS *Turonenſis de glor. Martyr. lib. 1 cap. 24*, quod rubrica Miſſalis *Mozarabum* aperte docet, & S. HILDEFONSUS *lib. adnot. de cogn. Bapt. cap. 109.* confirmat: *Accedit Sacerdos ad fontem..... ſignaculo ligni Crucis contingit aquas.... exorciſmum apponit, nequid illic lateat ex contagione ſiniſtrae partis admixtum...... oleum infundit..... benedictionem profert*; Neque *Gotho-Hiſpanis* ſingulare erat ab exorciſmo ordiri fontis ſanctificationem; ſic enim in *Gallia* fiebat, ut ex Sacramentario *Bobiano*, & ex Miſſali *Gallicano* habemus, in quo quidem praemittitur praefatio: ſed haec ad ſan-

ctifica-

ſtificationem fontis ſtricte non pertinet. In *Italia* quoque ex libro primo *de Sacramentis cap.* 5. inter Opera S. AMBROSII, & in *Africa* ex S. CYPRIANO *ep.* 7. fontis conſecrationem ab exorciſmis incipiebant. Sed hac ipſa in re diverſa erat Eccleſiarum diſciplina: in quibuſdam *Galliae* locis, ut ex Miſſali *Gallo-Gothico* colligere licet N. XXXVI., fons primum benedicebatur, deinde exorciſmi fiebant, poſt exorciſmos chriſma fonti infundebatur. At *Romae*, ut eſt in Sacramentariis *Gelaſiano* & *Gregorianis*, & *Conſtantinopoli*, ut eſt *in officio Sancti Baptiſmatis Euch. pag.* 353., exorciſmos faciebant circa medium conſecrationis fontis, quod etiam in *Ambroſiano* P. AMELII obſervare licet.

EXORCISTA, Clericus ex minoribus ordinibus, cui ex commiſſione ſpectat exorciſmos ſuper energumenos legere, & daemones ab obſeſſis corporibus expellere.

EXPECTATIO PARTUS die 18. Decembris ex decreto Concilii *Toletani* X. apud *Gotho-Hiſpanos* ſub nomine *Adnunciationis* celebris feſtivitas. Ex quo tamen *Hiſpani Romanae* Eccleſiae moribus ſe ſe conformantes Adnunciationem Dominicam 25. Martii celebrare coeperunt, veterem illam feſtivitatem ſub *Expectationis Partus* nomine retinuerunt, id probante ann. MDLXXIII. GREGORIO XIII. in Apoſtolicis litteris *de Eccleſiae Toletanae officiis ordinandis*. Ab *Hiſpanis* primum ad ditiones *Venetae* Reipublicae obnoxias ex S. R. C. decreto a. MDCXCV., deinde ad univerſa Pontificiae ditionis loca, BENEDICTO XIII. adnuente 22. Aug. MDCCXV., officium Expectationis partus propagatum fuit. *Hiſpani* (quod non praetereundum) vulgo hanc ſolemnitatem *Sancta* MARIA *de la* O appellant; quam denominationem, inquit LESLAEUS *in Miſſ. Mozarab. p.* 483., non ideo ſortita eſt, quia a 15. Kal. Januarii ſolemnes Antiphonae ab O littera incipientes in Veſpertinis precibus decantentur (ut SARNELLIO, & BENEDICTO XIV. viſum fuit): harum enim Antiphonarum nullum apparet veſtigium in Breviario *Mozarabum*; ſed cauſſa nominis petenda eſt ex peculiari uſu Eccleſiae *Toletanae*, quem ex P. RIBADENEIRA *Flor Sanctorum* refert Johannes TAMAJUS *Martyrol. Hiſp. T. VI. p.* 485. Abſolutis namque Veſperis feſtivitatis Expectationis Partus, omnes quotquot adſunt in choro clerici, ſine ordine, voce clara O longum proferunt, ad flagrans illud deſiderium ſignificandum, quo Sancti omnes in Limbo, in Coelo Angeli, totuſque Orbis tenebatur Nativitatis Redemptoris.

EXSUFFLATIO Daemonum. De ea haec lego in Vita S. PACHOMII *cap.* 17. *Qui ſigno crucis frontem ſuam muniens exſufflavit in eum, moxque fugatus eſt*. Antiquior IRENAEUS *lib.* 1. *cap.* 13. de quibuſdam ex fidelibus mulieribus narrat, quum MARCUS Magus eas prophetare juberet, *exſufflantes, & anathematizantes illum ſeparaſſe ſe ab ejuſmodi inſano*. Confer SEVERUM SULPICIUM *in Vita S. Martini lib. III.* Daemoniorum exſufflatio inter Baptiſmi caeremonias potiſſimum locum habuit, habetque. Quo ſpectabat S. AUGUSTINUS *Tract. XI. in Joh.* Donatiſtas redarguens rebaptizatores, qui ſemel rite baptizatum exſufflabant, atque ita Chriſtum potius, quam daemonem exſufflabant. Exſufflatio haec Daemonum ſaepe fiebat cum deſputatione. TERTULLIANUS *de idol. cap.* 10. *Quo ore Chriſtianus thura-*

rius

Digitized by Google

vius ſi per templa tranſibit, quo ore fumantes aras deſpuet, & exſufflabit, quibus ipſe proſpexit? Item *lib. II. ad uxorem cap. 5. Latebiſne tu quum lectulum, quum corpuſculum tuum ſignas, quum aliquid immundum flatu exſpuis?* Subinde *deſpuere* ſolitarie ponitur. MINUTIUS in *Octavio: Deos deſpuunt*, PRUDENTIUS *lib. I. contr. Symmachum*:

. . . . quis in urbe,
Qui Jovis infectam ſanie non deſpuat aram?

Ante utrumque TERTULLIANUS *de ſpectac. cap. 13. Nec minus Templa, quam monumenta deſpuimus*. V. Insufflatio.

EXTREMA UNCTIO. V. Unctio Infirmorum.

EXULTET. V. Cereus Paschalis.

F

FACIO. *Facere* univerſaliter apud ſacros, & profanos Scriptores ſacrificare ſignificat; ideo & ipſum Sacrificium *Agenda* nuncupatur, ſeu ordo agendi, ex AUGUSTINO *epiſt.* 118. *cap.* 6. Hinc facere idem eſt, quod idolis ſacrificare apud Concilium *Illiberitanum*: *Placuit inter eos, qui poſt fidem Baptiſmi ſalutaris ad templum idololatricus acceſſerit, & fecerit, quod eſt crimen principale, & ſummum, placuit eum in finem cum communione recipere.*

FACERE SIGNACULA, ſeipſum ſigno Crucis ſignare, & Evangeliorum librum, ut apud MARTENE *lib. IV. cap. 21. Dum chorus reſpondet* Gloria tibi Domine, *Abbas factis ſignaculis, ſicut ſupra dictum eſt, ſtans textum Evangeliorum incenſet.*

FACERE ANTE ET RETRO. Frequentiſſima eſt vocis ſeu ritus iſtius mentio in Ritualibus Monachorum; ſumitur autem ad ſignificandam ſalutationem, ſeu inclinationem duplicem, quae fit a dextris & a ſiniſtris; tamen aliquando etiam adcipitur pro ſimplici inclinatione.

FACERE CUM VIRO, vel cum UXORE, vivere in conjugio. Lib. Pontific. in S. MARCELLO *T. I. p. 72. Matrona vero quaedam, nomine Lucina, vidua, quae fecerat cum viro ſuo* Marco *annos XV.* Vetus lapis apud GRUTERUM 842. 7.

VRIANVS. VITELLIANVS
LICINIAE DEMETRIANAE
COIVGI . KARISSIMAE
CVM . QVA . FECIT . ANN
VIII . M . VI . DIES XXV.

Sic etiam in BOSII *Roma ſubterranea cap.* 20.

KARITO . QVI . BIXIT . ANNOS . QVARA
CINTA . BONO . MARITO . BONE . MEMO
RIE . QVI . FECIT . MECV . AN
NOS . VICINTI . OSSA . TVA
BENE . REQVIESCANT

FACERE COMMENDATIONEM, ideſt abſolutionem defuncti praeſentis,

ſentis. *Abbas facit commendationem &c.* MARTENE *lib. V. cap.* 10. & alibi. Dicitur autem *commendatio* ab hac collecta: *Commendamus tibi Domine animam famuli tui*.

FACERE FIDELITATEM, ideſt jurare, promittere. *Abbas faciat fidelitatem ſuper textum ſancti Evangelii, quod ſecundum poſſe ſuum ſervabit jura, & conſuetudines Eccleſiaſticas, & res alienatas revocabit*. Apud MARTENE *lib. V. cap.* 1.

FACERE INCENSUM, incenſare, thurificare &c. *Sacerdos facit incenſum ſuper altare........ Diaconus facit incenſum circum altare*. MARTENE *lib. II. cap.* 4.

FACERE OBITUM, Miſſam ſcilicet, & Defunctorum officium cantare pro aliquo defuncto. Mſ. Rituale Monaſterii *Corbejenſis* tit. *de morte Papae*, apud MARTENE *lib. V. cap.* 19. *n.* 31. *Quando Papa mortuus eſt, & ſumus in Eccleſia noſtra, debemus facere unum obitum ſolemnem pro anima ipſius..... Item dictum obitum debemus facere omnino altum, & ſolemnem, videlicet pulſare magnas campanas in obitu, & ad Miſſam, & ante magnum altare debemus ponere ſolemniter unum pannum aureum, & quatuor candelabra &c.*

FACERE AQUAM SANCTAM, ideſt Aquam benedictam, ſeu jam benedictam adſpergere, & aliis dare &c. *Presbyter, qui habet ſeptimanam ex illis Monachis, qualibet die Dominica vadit reveſtitus in chorum* B. AMBROSII, *ibi facit Aquam ſanctam, & dat de illa, & projicit ad altare* B. AMBROSII *in circuitu, & poſtea dat de illa Abbati.... Poſtea ad altare Sancti* PANTALEONIS, *& ad Archiepiſcopos, qui ibi ſunt ſepulti*. PURICELLUS *in Mon. Baſil. Ambroſ. pag.* 1155.

FACERE FRACTIONEM, Hoſtiam Conſecratam frangere. *Si aliquis Sacerdos celebrans Divina, faciat fractionem ante Pater noſter per oblivionem... Si aliquis Sacerdos cantat Miſſam, & faciat poſt Agnus Dei fractionem &c. Conſuetud. Corbejenſ. & Compendienſ. apud* MARTENE &c.

FACERE OFFICIUM, Miſſam ſolemniter celebrare, ſive cantare. *Adorata Cruce, & ſuper Altare collocata, domnus* Abbas, *vel* Sacerdos *faciens officium* &c. MARTENE.

FALDISTORIUM, FANDISTORIUM, FALCISTORIUM, FACISTORIUM, FALDISTOLIUM, FALDESTOLUS, & FALSISTORIUM, nobis *Faldiſtorio*, ſedes, unde Epiſcopi ſaepe ſermocinabantur, cum ſcilicet Sanctuarium aut adeo capax non erat, ut populus e cancellis facile audiret, aut ita parvum, ut vox per totum Eccleſiae ambitum perciperetur. Collocabatur autem ſuper celſiorem altaris gradum e regione majoris navis. Hujus moris exempla indicant Sancti *Gregor.* NAZIANZ. *orat.* 150., *& Petrus* CHRYSOLOGUS *ſerm.* 1753. Alii erant Faldiſtorii uſus in ſacris, atque in ipſis Proceſſionibus, ut videre eſt *Veter. diſc. Monaſt. p.* 236. in BERNARDI *Ordine Cluniacenſi P. I. cap.* 45. Faldiſtorii, quale erat ſaeculo IX., figuram exhibet inſignis RHABANI MAURI Codex olim Reginae *Suecorum*, nunc *Vaticanae* Bibliothecae, ubi adpictae ſunt S. MARTINI, itemque GREGORII Papae IV. ſedentium ſuper Faldiſtorium imagines. Alia de FALDISTORII apud Romanos Pontifices uſu dabunt GEORGIUS *de Lit. R. P. T. I. p.* 75. *ſeq.*, & GARAMPIUS *in Garfagn. Sigillum p.* 81.

FANON,

FANON, peculiare quoddam *Romani* Pontificis ſolemniter celebrantis ornamentum, dictum etiam *Orales* eſtque velum *ſericum* ſubtiliſſimum diverſis coloribus diſtinctum, & virgatum, quod poſt Albam, & cingulum capiti imponit, & replicat ſuper humeros & ante pectus. Confer GARAMPIUM *in Garfagn. Sigill. p.* 77. Praeterea manipulus hoc nomine denotatur. Nam in admonitione Synodali, quae LEONIS Papae IV. nomine circumfertur, quaeque ipſo LEONE antiquior eſt, ut oſtendit *Stephanus* BALUZIUS in Notis ad REGINONEM, praecipitur, *ut nullus cantet ſine amictu, alba, ſtola,* FANONE (qui idem eſt ac Manipulus) *& caſula; & haec veſtimenta nitida ſint, & ad nullos uſus alios ſint.* V. etiam S. WILHELMI *Conſtitutiones Hirſaugenſes lib.* 1. *cap.* 19. *Vet. diſc. Monaſt. p.* 395.

FANON ſignificat etiam ſindonem, ſeu mappulam candidam, in qua populus dabat oblationes ſuas. Hinc in Ordine Romano *Fanones offertorii*, & in Chronico *Centulenſi lib.* 3. *c.* 3. *Fanones ad offerendum*. Denique *Corporale* hoc nomine indicatur.

FANULUS, Manipulus Sacerdotum & ſacrorum Miniſtrorum, ſic appellatus quaſi parvulus *fanon*. Conſuetudines *Benignianae* apud MARTENE: *Sequatur Diaconus indutus cum ſtola, & fanulo, candelam ſine lumine portans. Poſtmodum Sacerdos indutus alba cum ſtola, & fanulo.*

FARUS, FARUM, PHARUS, definitur a CANGIO lucerna, ſive orbicularis lychnulus cum certo lucernarum numero; ut ita dictum ſit quod inſtar *phari* ſit; ſeu ut habet *Julius* Caeſar BULENGERUS, a *pharo Aegiptiaca*, lucem noctu navigantibus adferente. De Pharis ANASTASIUS in SILVESTRO, ubi pharum *ex auro puriſſimo*. Et pharum *cantharum ex auro puriſſimo*. Item phara *canthara, ubi ardet oleum: coronam auream, quae eſt pharus cantharus cum delphinis centum viginti penſantem lib. triginta. Coronam pharum ante altare argenteam penſantem lib. triginta.*

FASTERLA, velum. *Crux ab armario duabus faſterlis, dum Miſſa minor cantatur, cooperta apportatur a duobus albatis.* MARTENE *lib. IV. c.* 8.

FASTI, Calendaria, in quibus fidelium feſtivi dies ſcribebantur. *Habes tuos cenſus, tuos faſtos, nihil tibi cum gaudiis ſaeculi.* TERTULLIAN. *de corona militis c.* 13.

FASTIGIUM: Baldacchinum aliqui interpretantur; verius VIGNOLIO Tribunae ſummiſſas laminis argenteis malleo percuſſis cooperta: *Fecit argenteum faſtigium battutile, quod habet in fronte Salvatorem ſedentem.* ANASTAS. in SILVESTRO *T. I. p.* 84., & mox: *faſtigium ipſum, ubi ſtant Angeli, vel Apoſtoli.*

FAUDESTOLA, FAUDESTOLUS. V. FALDISTORIUM.

FAVON. V. FANON.

FENESTRA. Interdum adcipitur pro Tabernaculo, in quo repoſitum adſervatur Corpus D. N. J. C. *Lecturus Evangelium benedictione accepta accedat ad analogium cum reverenti inclinatione ad feneſtram venerabilis Sacramenti, ſi eam pertranſire habuerit.* Conſuetud. S. GERMANI *a Pratis*.

FERETRUM, capſa, arca, theca, in qua SS. Corpora vel Reliquiae includuntur. *Poſt quas ſequuntur duo Clerici in cappis, qui ferant feretrum* S. FIRMINI. *Poſt hos quidam monachus ferant lanternam cum cereo accenſo juxta fere-*

ta feretrum. MARTENE *lib. III. c.* 19. In Proceſſione, quae fit in Dominica Palmarum, etiam Corpus D. N. J. C. olim feretro impoſitum, delatumque fuiſſe patet ex Statutis LANFRANCI. *Interim cantore incipiente antiphonam, occurrunt turbae, exeant duo Sacerdotes albis induti, qui portent feretrum, quod paulum ante diem ab eiſdem ſacerdotibus illuc debet eſſe delatum, in quo & Corpus Chriſti debet eſſe reconditum.*

FERIA. Opinatus eſt S. AUGUSTINUS, Feriae appellationem profanorum nominum loco invectam fuiſſe, ut alia eſſet in Eccleſia ab Ethnica ſuperſtitione loquendi ratio: nihilominus Ethnica nomina ad hodiernam diem ſuperſunt; atque Eccleſia pluribus Feriis eorum Sanctorum nomina indidit, quorum Feſtum celebratur. Quocirca Feriae vox, quae ab Ethnicis ad Chriſtianos translata eſt, dies, quibus ab opere vacandum erat, apud illos denotabat. Hinc Chriſtiani primum, ut Dominicam, ceteroſque dies Domino ſacros ſignificarent, eo vocabulo uſi ſunt; paullo autem poſt ſingulos hebdomadae dies ita appellarunt. Unde decepti ſunt, qui appellationem hanc Feriis a S. SILVESTRO impoſitam exiſtimant, ut profanorum Deorum nomina, a quibus denominabantur, aboleret; quum Feriae denominatio longe ante S. SILVESTRUM fuerit inter Chriſtianos recepta, ut liquet ex TERTULLIANO, qui *quartae & ſextae feriae* meminit ſtationi, & jejunio deſtinatarum. Scriptura autem ſacra habito ad Sabbathum reſpectu, ſingulos hebdomadae dies, Dominicam *unam Sabbathi*, Feriam vero ſecundam & tertiam, *ſecundam, & tertiam ſabbathi* appellat, Eccleſia vero ſabbathi loco, Feſti, vel Feriae vocabulo utitur, atque diem, quam Ethnici Lunae, *Judaei* primam poſt Sabbathum vocabant, ipſa ſecundam Feriam dicit, & ſic de ceteris diebus. *Una Sabbathi dies dominicus eſt*, inquit S. AUGUSTINUS in Pſalm. XCIII. *Secunda Sabbathi, quem Saeculares Lunae diem vocant, tertia Sabbathi, tertia Feria, quam diem illi Martis vocant.* Exiſtimat autem S. ISIDORUS *Hiſpalenſis lib. II. de Nat. cap.* 3., appellationes iſtas Feriae, vel Feſti a praecedente Sabbatho adeptas eſſe, atque Dominicam, primam feriam, diem Lunae ſecundam feriam dictas fuiſſe, quod primus ſit, vel ſecundus poſt Feriam dies: *Primus aut ſecunda dies a Feria, aut a Sabbatho.* S. vero AUGUSTINUS *lib. I. de ſerm. Dom. in Monte* opinatur, ad Paſchalis hebdomadae formam, quae tota feſtis conſtabat, ceterarum hebdomadarum dies Feriarum nomen adcepiſſe: *In celebratione Octavarum feriarum, quas in regeneratione novi hominis celebramus.* Porro exinde aliarum hebdomadarum diebus Feriarum nomen inditum eſt, quemadmodum Dominica prima dies appellatur, licet id ſoli Paſchatis diei demonſtrando primum inſerviret. Si tamen feriae apud Ethnicos dies Feſti erant, adfirmandum, Chriſtianos eam denominationem ſingulis hebdomadae diebus adcommodaſſe, quia nulla eſt apud hos dies, quae Deo ſacra non ſit: *Omnis dies etiam vulgata conſecratione fit*, adnotat TERTULLIANUS. Demum juxta alios Feriarum appellatio inde derivata eſt, quod Clericis Feſtorum loco ſint ſinguli dies, quum ob inſtitutum ſuum omnibus ſaecularibus negotiis abrenuntiare, atque a rerum civilium tractatione vacare debeant. *Feriae de exceptato ritu Ambroſiano* vocantur omnes illi dies, qui ab ultima Adventus Dominica uſque ad Nativitatem Domini decurrunt, & majori ſolemnitate celebrantur. *Feriae in An-*

in *Authentica* juxta eumdem ritum, ſunt tres illi dies poſt Dominicam Palmarum uſque ad feriam quintam, in quibus color rubeus adhibetur. Porro feria, quod ad officium divinum ſpectat, definitur dies, quo nullum officium de Sancto, aut alicujus Feſti octava, nec de Dominica ritu duplici, aut ſemiduplici celebrata, nec denique de Vigilia, ac Beata Virgine in Sabbatho recitandum occurrit. Porro Feria dividitur in *majorem*, & *minorem*: de ea ſemper fit in officio ſaltem commemoratio, uti de feria qualibet Adventus, Quadrageſimae, Quatuor Temporum, & ſecunda Rogationum. Majores Feriae iterum ſubdividuntur *in privilegiatas*, & *non privilegiatas*: illae, *Feriae nempe IV. Cinerum*, *Feriae omnes majoris hebdomadae*, *Feriae omnes infra octavam tam Paſchae, quam Pentecoſtes*, nulli alteri officio, aut feſto etiam primae Claſſis cedunt, poſtulantque, ut transferatur ſaltem *in choro*; nam in foro, ſeu quoad obligationem audiendi Miſſam, & abſtinendi ab opere ſervili, Feſta fori in hujuſmodi Feriis, ac diebus privilegiatis occurrentia non transferuntur, ſi tamen excipias feſtum Adnunciationis B. MARIAE Virginis, quod occurrens in Feria ſexta Paraſceves, aut Sabbatho Sancto, tam in choro, quam in foro transfertur. Ceterae Feriae majores, quae feſtis duplicibus, aut etiam ſemiduplicibus in iis occurrentibus cedunt, dicuntur *non privilegiatae*, nimirum reſpectu Feſtorum novem Lectionum; nam Feſtis ſimplicibus, ac Vigiliis etiam, hae non cedunt, ſaltem quoad officium. Denique feriae minores per annum, qualis eſt etiam Feria III. Rogationum, cedunt cuicumque feſto etiam trium lectionum, ita ut in officio occurrentis in ea feſti ſimplicis, de praedicta Feria III. Rogationum, & multo magis de aliis feriis ne fiat quidem commemoratio. Eaedem feriae minores per annum cedunt etiam officio B. MARIAE in Sabbatho, item Vigiliis, nec non diebus infra octavam aliquam, ac a fortiori ipſis octavis. Hactenus AZEVEDIUM exſcripſimus *Exercit. XVI.*

FERIA V. *in Coena Domini*, quae & alicubi *dies viridium* appellabatur: V. COENA.

FERMENTUM. De fermento extant MELCHIADIS, SYRICII, & INNOCENTII *Romanorum* Pontificum decreta. De MELCHIADE haec in ejus Vita leguntur. ,, Hic fecit, ut oblationes conſecratae per Eccleſias ex ,, conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum. ,, Et de SYRICIO. ,, Hic conſtituit, ut nullus Presbyter Miſſas celebraret per om- ,, nem hebdomadam, niſi conſecratum Epiſcopi loci ſuſciperet declaratum, ,, quod nominatur fermentum. ,, INNOCENTIUS denique in epiſtola ad DECENTIUM ita ſcribit cap. 5. ,, De fermento, quod die Dominico per ,, Titulos mittimus, ſuperflue nos conſulere voluiſti, quum omnes Eccleſiae ,, noſtrae intra Civitatem ſint conſtitutae: quarum Presbyteri, quia die ,, ipſa propter plebem ſibi creditam nobiſcum convenire non poſſunt, idcir- ,, co fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut ſe a noſtra ,, communione, maxime illa die, non judicent ſeparatos. Quod per Pa- ,, rochias fieri debere non puto, quia non longe portanda ſunt Sacramenta: ,, nec nos per coemeteria diverſa conſtitutis Presbyteris deſtinamus, & Pre- ,, sbyteri eorum conficiendorum jus habent, atque licentiam. ,, De hoc fermento variae ſunt ſententiae, aliis Euchariſtiam eſſe negantibus, probantibus

bus

Digitized by Google

bus aliis. BARONIO non adſentitur MABILLONIUS, qui Euchariſtiam eſſe negat, ſed tantum Eulogias in ſignum mutuae communionis a Pontifice miſſas. Nam fermentum iſtud & *panis conſecratus*, & *Sacramentum* dicitur; & ſolis Presbyteris ejus conficiendi jus atque licentia tribuitur. Denique *panis conſecratus* dicitur: quo nomine Euchariſtia vocatur a JUSTINO in *Apologia prima*, ab IRENAEO apud EUSEBIUM *in lib. V. cap.* 24., tum *in lib. V. contra haereſes cap.* 11., & apud CLEMENTEM *Alexandrinum* in *Stromate primo pag.* 117. uti *Henricus* VALESIUS vir clariſſimus in EUSEBIUM adnotavit. Et quidem Euchariſtiam in ſignum Eccleſiaſticae communionis antiquitus mitti ſolitam, teſtes ſunt JUSTINUS in eadem *Apologia prima*, EUSEBIUS *in lib. V. cap.* 24., tametſi id fieri per Paſchalia feſta vetuit *Laodiceni* Concilii Canon 14. Nec quemquam movere debet, quod per Acolythum Euchariſtia tranſmitti dicatur, quum per puerum ad SERAPIONEM ſenem directa perhibeatur apud EUSEBIUM *lib. VI. cap.* 44., & Acolithi ipſi ad initium Miſſae ſolemnis Euchariſtiam ex praecedenti Sacrificio ſervatam deferrent. Duplicem vero ob cauſſam Pontifex per Titulos Urbis Euchariſtiam mittebat, nempe in ſignum tum auctoritatis, tum Eccleſiaſticae communionis. IGNATIUS *Antiochenus* Epiſc. in epiſtola ad *Smyrnaeos* ratam jubet Euchariſtiam, quae ſub Epiſcopo fuerit, vel cui ipſe conceſſerit. Et LEO M. in epiſt. ad *Galliae & Germaniae* Epiſcopos ait, non licere, Epiſcopo praeſente, niſi ipſius juſſu, Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti conficere. Itaque Pontifex, ut teſtaretur ſe Presbyteris titulorum urbis *Romae* poteſtatem facere Euchariſtiae conficiendae, Euchariſtiam ipſe mittebat, quae etiam ſymbolum mutuae unionis erat. Id a MELCHIADE & SYRICIO ſancitum dicitur, explicatum ab INNOCENTIO. Poſtea loco Euchariſtiae miſſae ſunt eulogiae, ſeu oblatae non conſecratae. Hinc in Vita JOHANNIS Papae III. conſtitutum legitur, *ut oblationes & amulae vel luminaria in coemeteriis per omnes Dominicas de lateranis miniſtrarentur*. Et in Vita GREGORII III. *ut oblationes de Patriarchio per oblationarium deportarentur ad celebrandas Miſſas*: oblationes, inquam, panis & vini, quales GREGORIUS II. Eccleſiae S. PAULLI quotidie mitti conſtituit. Sabbatho quoque ante Dominicam Palmarum dabatur *fermentum in conſiſtorio Lateranenſi*, ut legitur in Kalendario FRONTONIS, aliiſque liturgicis libris a GEORGIO indicatis *T. III. p.* 253. Hoc etiam fermentum Euchariſtiae particulam ſignificare, quae ad titulares urbis Eccleſias e *Lateranenſi* Patriarchio per Subdiaconum oblationarium mitteretur, poſt THOMASIUM cenſet GEORGIUS. Verum ut id verum fuerit antiquiore aevo, vix tamen putarim morem illum mittendi Euchariſtiam per titulos eo tempore ſervatum fuiſſe, quo hujusmodi nomina, nempe *conſiſtorium Lateranenſe*, uſurpari in *Romana* Eccleſia coeperunt. Itaque nomine fermenti hoc loco nihil aliud ſignificari jure ſuſpicabatur Cl. ANTONELLIUS *in not. ad Miſſ. vet. Rom. p.* 76., quam panem benedictum, qui eo die eulogiarum vice pauperibus a Pontifice ſolemni ritu diſtribuebatur. Et quidem e Patriarchio *Lateranenſi* diſtribui conſueviſſe panem, ſeu eleemoſynam pauperibus ſuaderi poteſt ex iis, quae narrantur in Vita HADRIANI I. *Romani* Pontificis in hunc modum: *decernens .... ut omni die centum fratres noſtri Chriſti pauperes, etiamſi plures fuerint, aggregentur*

in La-

in Lateranenſi Patriarchio , & conſtituantur in porticu, quae eſt juxta ſcalam ; quae aſcendit in Patriarchio , ubi & ipſi pauperes depicti ſunt , & quinquaginta panes penſantes per unumquemque panem libras duas , ſimulque & decimatas vini duas penſantes per unamquamque decimatam libras ſexaginta , & caldaria plena de pulmento erogentur omni die per manus unius fideliſſimi paracellarii eiſdem pauperibus , accipiens unuſquiſque eorum portionem panis , atque portionem vini . Quum autem mos ille vocandi panem benedictum fermenti nomine in deſuetudinem paullatim abiiſſet , vel panis loco nummos , vel alias res elargiri placuiſſet , ideo fortaſſe in aliis codicibus legitur : *Dominus Papa eleemoſynam dat* : atque ita ſublato ſpeciali nomine *fermenti* , generale eleemoſynae vocabulum adhibitum eſt ; poſtea vero rubricae hujus ſabbathi addita ſunt verba illa *ad S. Petrum* , quum ſcilicet *Romani* Pontifices habitare coeperunt apud Baſilicam S. PETRI , ibique reſidentes pias illas elargitiones , quas in Patriarchio Lateranenſi facere ſolebant , apud S. PETRUM peragere inſtituerunt .

FERRAMENTUM *caracteratum*, ferrum illud , in quo coquuntur hoſtiae, ſeu oblatae pro ſacrificio Miſſae . UDALRICUS lib. I. cap. 19. *In quinquageſima , quia de cetero nec caſeum , nec ova comedimus &c. ſi forte ſunt in promptu cruda poma, vel ea , quae in ferramento caracterato de conſperſione farinae tenuiſſimae fiunt , & ab hominibus* Romanae *linguae Nobulae , a Noſtratibus appellantur oblatae &c.* Unde etiam diſcimus hoſtias non conſecratas , ſeu oblatas Monachis in refectorio adponi conſueviſſe , certis tamen diebus , illis qui non communicaverant . Vide MABILLON. *de azymo cap.* 8.

FERRUM OBLATORIUM . Vide ſupra Ferramentum Caracteratum .

FERTUM , *dicitur* , inquit S. ISIDORUS *Hiſpalenſis etym. lib. VI. c.* 19. , *oblatio , quae altari offertur & ſacrificatur a Pontificibus ; a quo offertorium nominatur , quaſi propter fertum .* Videtur ſcilicet verbum *fero* habuiſſe plebejo latino ſermone apud Hiſpanos ſupinum *fertum* . Hinc oblationi , quae ad altare ferebatur , *ferti nomen* .

FERULA . HONORIUS *lib. I. Gemm. cap.* 217. hoc etiam nomine baculum Paſtoralem denotari ait . Olim uſque ad XII. ſaeculum *Romano* Pontifici in ejus inauguratione ferula tradebatur , *quae eſt ſignum regiminis & correctionis* , inquit CENCIUS , quocum conferenda ſunt , quae de Pontificia ferula eruditiſſime differit Cl. Praeſul GARAMPIUS *in Garfagn. Sigil. pag.* 103. *ſeq.* Verum aliud hoc erat a baculo Epiſcoporum paſtorali retorto , & arcuato . Nam *Romanus* Pontifex baculo paſtorali non utitur *in ſignum* , inquit D. THOM. in 4. diſt. 24. q. 3. ad 8. , *quod non habet coarctatam poteſtatem , quod curvatio baculi ſignificat . Ferula* etiam appellabatur poenitentium auditorum locus in Eccleſia , quia ibi erat poenitentium ſtatio ſub Eccleſiaſticae cenſurae ac diſciplinae ferula . Ferulas in publicis ſupplicationibus Romae geſtabant Archidiaconus , & Prior Subdiaconorum , ut idem CENCIUS teſtatur apud MABILLON. *Ord. Rom. XII. p.* 203.

FESTORUM DENUNCIATIONES plerumque fiebant diebus Dominicis ; *Romae* quidem ex GELASIANO Sacramentario poſt Pacem , & ante Communionem ; in *Gallicanis* Eccleſiis poſt Evangelium , ut LEBRUNUS animadvertit *T. II. diſſ. IV. art.* 4 ; in *Ravennate* Eccleſia, *lecto Evangelio, & offertorio cantato*, ut Synodus *Raveanatenſis II.* a. 1311. praecepit *Rubr. X.* Formulas in

las in Feſtorum annunciatione cum communes; cum peculiares ex Codicibus *Aquilejenſi* & *Forojulienſi* inter ſe collatis erudite perceuſet Cl. P. *de* RUBEIS *diſſ. II. de Sacr. Forojul. Ritib. p.* 285. *ſeqq.* Ut ut vero aliqua diſciplinae varietas notetur, id tamen ratum apud omnes, fixumque fuit, ut ſacrae Feſtivitates, quemadmodum & jejunia, a Sacerdotibus populo indicerentur. Id ſane praeter *Ravennatenſem*, quam laudavimus, Synodum, Concilia paſſim inculcant, ut *Forojulienſe* S. PAULINI a. 796. celebrat. can. 13., *Lugdunenſe*, de quo GRATIANUS *diſt. 3. de Conſecr. cap. I.*, & IVO P. *IV. cap.* 14., & TOLOSANUS a. 1229. *cap.* 27.

FESTUM de AGIOS. Anno MCV. ſeptimo idus Maji *Mediolani* inventae ſunt pretioſae Reliquiae in Eccleſia S. MARIAE ad Portam. Quare *Ordinarii Cardinales ſanctae* Mediolanenſis *Eccleſiae, nec non Primicerius cum univerſo Sacerdotio, & Clero Mediolanenſi, omniſque populus, & omnis ordo Laicorum* ſcripſerunt epiſtolam, qua ſtatuitur feſtum ſolemne celebrari in praedicta die in eadem Eccleſia. Rem totam exponit PURICELLUS *pag.* 520. ex quo haec tantum refero. *In praedicto autem feſto ab Eccleſia aeſtiva uſque ad praedictam Eccleſiam* S. MARIAE *ad Portam, ordinarii hebdomadarii* Mediolanenſis *Eccleſiae proceſſionaliter vadunt ſemper praecedentibus vicinis, & Parochianis ipſius Eccleſiae* S. MARIAE *cum viridibus frondibus, & ramis arborum, candelis accenſis alligatis eiſdem, & cantantibus Agios Agios, quod eſt nomen Dei: propter quod dicitur feſtum illud de Agios.* Reliquiae porro ibi inventae ſunt, pars de Sudario Domini, & de Sindone ejus, & de lapide, ubi ſederunt Angeli nunciantes Reſurrectionem D. N. J. C., & de probato ligno ſalutiferae Crucis Salvatoris Noſtri, & de Veſte S. MARIAE, & de oſſibus Sanctorum CASTI & POLIMII.

FESTUM ARCHITRICLINI: Ritu *Ambroſiano* Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, in qua ex S. JOHANNIS Evangelio *cap.* 2. nuptias in Cana Galileae factas *Mediolanenſis* Eccleſia recitat. *Teſtatur ſe vidiſſe illud altare apertum* (ideſt aureum in Baſilica S. AMBROSII) *in quodam die Architriclini*: PURICELLUS *pag.* 1068. & infra: *Vidit enim, quod viventibus Imperatore* FEDERICO, *& ejus filio in feſto Architriclini cuſtos Canonicorum portavit Crucem.*

FESTUM LUMINUM. V. Epiphania; Dies etiam Purificationis B. M. ita appellatur; in ea enim die benedicuntur Candelae. FRIDERICUS *in villa, quae vocatur Autimiacum, Feſtivitatem luminum celebrans &c.* PURICELLUS *pag.* 1058. ex RADEVICO.

FIDICULAE, BARONIO, GALLONIO, BOTTARIO eaedem ſunt; quae ungulae. Diverſas ab ungulis, nerveas funes fuiſſe, quibus ſontes equuleo adligabantur, SVETONIO in TIBERII vita, & *Valerio* MAXIMO *lib. III. cap.* 3. praeeuntibus, docent SIGONIUS, TURNELY, HALLOIXIUS, & *Stephanus Evodius* ASSEMANUS. Vide quae pro hac ſententia dixi in *hiſtoria litteraria Italiae Tom. V. pag.* 396. & *Tom. IX. pag.* 325.

FIDEI PROFESSIO. V. Indiculum, & Promissio fidei.

FIDES CATHOLICA. In antiquo pſalterio, quod USSERIUS GREGORII I. tempore recentius non eſſe conjecit, ita vocatur Symbolum, quod ſub S. ATHANASII nomine circumfertur. Nec dubito, quin idem Symbolum

bolum S. *Petrus* DAMIANI intellexerit, dum *Opuſc. XV. cap.* 9. ait: *His etiam non neglectis, quae in fine pſalterii videntur adjecta, videlicet Te Deum laudamus, Nunc dimittis, Gloria in excelſis, Pater noſter, cum fide Catholica:* Incertum porro eſt, quo primum tempore hoc ſymbolum in officio *Romano* fuerit recitatum; nam in Regula S. BENEDICTI nulla fit ejus mentio. In Breviarium tamen illatum eſt ante aetatem AMALARII, quum ipſe teſtatur, aevo ſuo illud ad Primam decantari conſueſſe. Ex teſtimoniis quoque HINCMARI *Rhemenſis*, in Synodo ſaeculo octavo habita ſtatutum fuit, ut ea fidei confeſſio, quam S. ATHANASII Symbolum appellant, in officio perlegeretur. Quidam altius repetunt conſuetudinem illud percurrendi ad Primam, ex quodam videlicet Concilio *Auguſtodunenſi* circa annum ſeptuageſimum ſupra ſexcenteſimum celebrato. Et quidem HONORIUS *Auguſtodunenſis lib. II. cap.* 19. refert, idem Symbolum eadem hora, ſingulis diebus in quibuſdam Eccleſiis cum hac oratione: *Omnipotens, qui dediſti famulis tuis verae Fidei Trinitatis....* recitatum fuiſſe. Quin longe ante tempus HONORII *Auguſtodunenſis*, explicationem Symboli S. ATHANASII ab Abbate THEODULPHO compoſitam, ad Primam quotidie lectam eſſe, plane liquet ex catalogo Abbatum *Floriacenſium* ad *Ligerim* Tom. *I. Miſcell. Baluz. Explanationem Symboli* S. ATHANASII, *quod ad Primam quotidie canitur.* Idem legitur in Ordinario S. APRI *Tullenſis*, nec non in Conſuetudinibus *Cluniacenſibus* ab UDALRICO collectis *lib. 9. c. 3. Quicumque, ſeu Symbolum Athanaſianum nullo die omittitur a nobis, ſed privatis diebus ſimul cum aliis Pſalmis in Dominica poſt preces....* Illi videlicet Monachi pſalmis quotidie hoc Symbolum ſubjiciebant; diebus vero Dominicis, ipſis precibus. Verum hunc morem penitus antiquavit novum Breviarium *Cluniacenſe*, expuncto ex Officio eodem Symbolo. *Carthuſiani* vero, & Eccleſia *Senonenſis* illud poſt Pſalmos Primae ſingulis diebus percurrunt. In Capitularibus autem ATTONIS *Baſileenſis* praeſcribitur: *Ut fides* S. ATHANASII *a Sacerdotibus dicatur, & ex corde die Dominico ad Horam Primam recitetur.* Quod ad uſum *Romanum* ſpectat, is expoſcit, ut in Dominicis per annum paucis exceptis poſt recitatos pſalmos ad Primam dicatur Symbolum S. ATHANASII. *Ambroſiani* vero quotidie recitant. Vide infra TEXTUS FIDEI, ET SYMBOLUM IN OFFICIO.

FILIOLA. Hoc nomine *Mozarabes* donant velum, quo ſacrum Calicem cooperiunt. Sic enim eorum rubrica poſt Sanguinis conſecrationem: *Hic elevetur Calix coopertus cum Filiola.*

FINIO, *finire, finitus: Morior, mori, mortuus;* mors enim finem vitae facit. *Officium pro defunctis nec in vigilia, nec in die agatur, niſi brevis de foris afferatur, vel frater in monaſterio finiat.* LANFRANCUS *cap. I.* §. 3. & Conſuetud. *Cluniacenſ. Tunc ſi frater nondum finitus fuerit, current omnes cantando praedictum Symbolum.*

FISTULA, Cannula aurea, ſive argentea, qua Sanguis Chriſti olim e Calice hauriebatur. LOTHARIUS Imperator Monachi vitam in *Prumienſi* Coenobio a. DCCCLV. profeſſus, Baſilicae ejuſdem monaſterii ſacra donaria obtulit, inter quae *calicem aureum cum patena aurea in crucis modum compoſitum; alium item gemmatum cum cochleari aureo, gemmatoque, & fiſtula nihilominus*

aurea cum gemmis. Ejus Fiſtulae uſum ſic explicat Ordo Romanus. *Diaconus tenens calicem, & fiſtulam ſtet ante Epiſcopum, uſque dum e ſanguine Chriſti, quantum voluerit, ſumat, & ſic Calicem, & fiſtulam Subdiacono commendet*. *Divionenſes* Conſuetudines *Cap.* 22. *Mox ut Subdiaconus pacem accepit, fiſtulam argenteam, cum qua Sanguis Domini ebibi ſolet, in ſacculo ex panno mundiſſimo facto reconditam de armariolo Diacono defert.... Sacerdos vero accipiens praefatam fiſtulam, & longiorem e gibbo partem deorſum in Domini Sanguinem mittens, breviorem vero, quae & ſuperior, ori immittens, poſteaquam de Sanguine Domini ſumpſerit, eumdem Calicem cum Sanguine & fiſtula dat Diacono, qui accipiens fiſtulam ſubtus digitos ſacros &c.* Fiſtula utitur Summus Pontifex ſolemniter celebrans, ex illa hauriens quantum vult de Sanguine, reliquum miniſtris relinquens, qui eadem fiſtula illum abſumunt. Hic uſus adhuc viget in Monaſterio S. DIONYSII in *Francia* Ord. S. BENEDICTI, Congregationis S. MAURI: ibi enim miniſtri veteri more ſub utraque ſpecie communicant, & Sanguinem e calice cum fiſtula hauriunt. V. CALAMUS.

FLABELLUM. Apud *Graecos* flabellis duo Diaconi ex utroque altaris latere muſcas abigunt, ne ſacra contingant. Sacra *Ripidia* vocant *Graeci*. Antiquiſſimus porro in *Orientali* Eccleſia eorum uſus eſt, quum eorum fiat mentio in *Conſtitutionibus Apoſtolicis lib.* 8. *c.* 12., in Liturgiis BASILII, CHRYSOSTOMI, aliiſque cum *Graecis*, tum *Syriacis*. Manubrium habent ligneum ſatis longum, cujus extremitati facies Cherubini ſex alis circumdata adfigitur, ejuſque motu ventilant Diaconi ſancta dona certis temporibus, quae in ordine Liturgiae notantur. *Maronitae* porro orbiculatis flabellis ex *argenteis*, ſeu cupreis laminis utuntur, ac circum circa tintinnabula addunt, quae a duobus Clericis hinc inde poſt Celebrantem tremulo motu agitantur. Etiam in *Occidentali* Eccleſia olim adhibita flabella invenimus. Ut alia mittam, quae BONA *lib. I. cap.* 25. §. 6., & SALA *in eum T. II. p.* 313. proferunt, in Coeremoniali Pontificio *Biblioth. Barberinae*, quod NICOLAI V. temporibus in uſu fuit, praeſcribitur, ut Epiſcopo Cardinale Miſſae ſolemnia celebrante *deferant quoque aeſtivo tempore flabella ad ejiciendas muſcas a miniſterio*. Quare a nonnullis flabellum *Muſcarium* appellatur. Flabello Eccleſiae *Trenorchienſis* apud MABILL. *Ann. Benedictin. Tom. IV. pag.* 356. hoc diſtichon inſcriptum erat.

Sunt duo, quae modicum confert aeſtate flabellum;
Infeſtas abigit muſcas, & mitigat aeſtum.

Hodie in *Romana* Eccleſia, quum ſummus Pontifex ſolemniter celebraturus procedit, duo flabella ex pennis pavonum compacta hinc inde deferuntur; ſed intra Miſſam nullus eorum uſus eſt.

FLECTAMUS GENUA. Certis diebus dicto a Sacerdote *Oremus*, Diaconus ſubdit *Flectamus genua*; poſt quam Diaconi monitionem olim fideles flexis genibus aliquantulum orabant: tum ab ipſo Diacono (nunc Subdiaconus id praeſtat) monebantur, ut ſurgerent, dicente *Levate*, & Sacerdos illis ſtantibus Collectam recitabat.

FLENTES. Vide POENITENTES.

FLETUS. Vide POENITENTES.

FLORES ſolebant in altari collocari; cujus moris teſtes ſunt AUGU-

STINUS

STINUS *lib.* 22. *de Civit. Dei cap.* 8., HIERONYMUS in *epitaph. Nepotian.*; GREGORIUS *Turon. de glor. Confeſſ. cap.* 50., PAULLINUS *Nat.* 3. S. FELIC., & *Venantius* FORTUNATUS *lib.* 8. *carm.* 9. ad RADEGUNDEM, quod *de floribus ſuper altare inſcribitur*. Ubi autem veri flores deeſſent, fictis altaria ornabantur. Flores porro ſimul cum Palmarum, & Olivarum ramis benedictos fuiſſe colligitur ex LANFRANCI *ſtatutis cap. I.* §. 4. *Poſtea accedens Abbas, aut Sacerdos, benedicat palmas, & flores, & frondes.* Et ex libro Uſuum *Beccenſium*. *Ponetur tapetum ante altare, & deſuper flores, & frondes, & palmae, quas benedicit Sacerdos.*

FONTES in atrio Eccleſiarum poſiti, ut interius Sacrarium ingreſſuris copioſos latices ad abluendum miniſtrarent. Ubi autem fontes, ſeu putei haberi non poterant, fodiebantur ciſternae teſte S. PAULLINO Natali 9. S. FELIC. Succeſſit his vas aquae luſtralis ad Eccleſiarum fores, qua fideles frontem inſpergunt, ſe ſigno Crucis munientes. Vide Cantharus. Fontes ſunt etiam urcei aquae, ſeu Amulae continentes aquam pro Sacrificio Miſſae. Ordo *Romanus*: *Deinde deſcendit Subdiaconus ſequens ſcholam, & accipit fontem de manu Archiparaphoniſtae, & defert Archidiacono, & ille ex amula infundit, faciens Crucem in calicem.* *Fontis* quoque nomine venit fons baptiſmalis, ad quem ex S. DUNSTANI *Concordia* procedere debebat Clerus in die ſancto Reſurrectionis. *Dehinc eatur ad fontes, pſalmum* Laudate pueri Dominum *cum antiphona canentes, quem ſequitur Collecta. Inde vero revertentes Chorum, vel Oratorium, quod eis competens videbitur, adeant, pſalmum* In exitu Iſrael *decantantes, quem propria ſequitur Collecta.* Hunc ritum procedendi ad fontem baptiſmalem adhuc obſervat Clerus Metropolitanae *Mediolanenſis*; per totam enim Paſchae octavam poſt Veſperas proceſſionaliter ad fontem procedit, in cujus circuitu plures tunc accenduntur lampades: eumdemque ritum aliae quoque Eccleſiae obſervant. Vide Exorcismus, ubi de fontis Baptiſmalis benedictione.

FONSLATORIUM, Cathedra. Ord. *Rom.* XII. inter *Mabillon. p.* 168.

FORCEPS. DURANDUS inter ſacra *Latinorum* miniſteria *lib.* 1. *Ration. cap.* 3. *n.* 29. numerat forcipes, eos ſcilicet, quorum gemino dente ignis componitur. Forcipem quoque vocant ferrum, quo Eccleſiaſticus panis efformatur. Vide Cochlear. Adde forcipes, quae adhibebantur in Carnificinis ſanctorum Martyrum. Triplex earum genus BARONIUS ad d. 26. Junii diſtinguit; quarum aliae erant ad incidendum, aliae ad comprimendum & contorquendum; aliae ad cutem tribus ferreis aculeis perforandam compoſitae. Sed & quartum ex Vita S. PELAGII Martyris *Cordubenſis* a RAGUELE Presbytero ſcripta adjicito. Nimirum RAGUEL refert *Habdarraghmanum*, quum PELAGIUM in fide Chriſti retinenda conſtanter perſeverare, *atque in ſuis ſe deſideriis ſpretum eſſe* intelligeret, *ira ſtimulatum* ſatellitibus ſuis dixiſſe: *Appendite illum in forcipes ferreas, atque ſtrictim tamdiu ſurſum deorſum viciſſim levantes deponite, quouſque aut animam exhalet, aut Chriſtum eſſe Dominum deneget.* Apparet *forcipes* iſtas *ferreas*, quas SANDOVALLIUS hiſpanice dixit *la garrucha de hierro*, ſupplicium fuiſſe illi haud abſimile, quod Itali *chordam, ſive funem* nominant, quo noxii paſſim puniri ſolent.

FORENSIS Epiſcopus, Presbyter, Diaconus. Scribit in Vita S. GREGORII M. JOHANNES Diaconus: *Item Cardinales violenter in Parochiis ordinatos* Forenſibus *in priſtinum cardinem revocabat*. In Concilio quoque STEPHANI III. *Lateranenſi* CONSTANTINUS Pſeudopapa dicitur *Act. I. Diaconus forenſis in oratorio Patriarchii* Lateranenſis *conſecratus*. Hinc enimvero Presbyteros, & Diaconos *Forenſes* fuiſſe, qui *Cardinales* non erant, ſeu alicui Eccleſiae, ut tunc loquebantur, incardinati. Itaque Epiſcopum quoque Forenſem non alium fuiſſe crediderim, quam Epiſcopum gentium, ſeu regionum, nulli peculiari Eccleſiae *incardinatum*, cujuſmodi VIII. ſaeculo fuit S. BONIFACIUS *Germanorum* Apoſtolus, antequam A. DCCXLV. *Moguntinae* Eccleſiae adligaretur. In alia omnia abit GARNERIUS in lib. *Diurni cap. I. Tit. 8. p. 6.*; ſed falli virum doctum nullus dubito.

FORMAE, ſedilia erant plicatilia canentium in choro: eae autem tapetibus in ſolemnioribus Feſtis cooperiabantur. Vide *Veterem Diſciplinam Monaſticam pag.* 49. 244., & alibi paſſim.

FORMALIUM, FIRMACULUM, FIRMALE, vulgo *Rationale*. Caeremoniale lib. I. c. 7. *Super eo Pluviale tempori congruum, ſine tamen formalio*. Formalium ergo eſt illa lamina aurea, ſive argentea deaurata, gemmiſque ornata, & diſtincta, quam Epiſcopi ante pectus ferunt ad Pluviale connectendum.

FORMATAE EPISTOLAE. Duo earum genera SIRMONDUS ad SIDON. *ep. 8. lib. VI.* diſtinguit. Nam Clerici aut in aliam dioeceſim tranſibant, ut in ea manerent, & *Dimiſſoriae* dabantur, quas Synodus in *Trullo XVII.* ἀπολυτικὰς proprie vocat, ſine quibus inter Eccleſiae alterius Clericos non cooptabantur; ejuſque generis ſunt formatae omnes, quae apud BURCHARDUM, IVONEM, & GRATIANUM leguntur: aut non penitus migrabant, ſed ad tempus, privati ſeu publici negotii cauſſa, ut AMANTIUS, de quo in indicata epiſtola SIDONIUS, & qui ad comitatum ibant: atque hic commendatitiae tantum dabantur, quas *Graeci* promiſcue nunc συςατικὰς nominant, nunc εἰρηνικὰς, ideſt pacificas. Etſi enim pacificas a commendatitiis aliquando diſtinctas doceat Canon XL. Synodi *Calcedonenſis*, conſtat tamen neglectum ab aliis diſcrimen id fuiſſe. Quare *Graeci* ipſi, quum harum litterarum formulas tradunt, de binis tantum quaerere ſolent, πῶς γράφουσιν οἱ ἀρχιερεῖς συςατικὸν καὶ πῶς ἀπολυτικὸν γράμμα: *Latini* vero utrumque genus formatarum nomine complexi ſunt; ita ut formatae litterae univerſim reſpondeant Canonicis, (quo etiam modo appellantur in Synodo *Meldenſi* Can. L., & ab HINCMARO in Formata ad AENEAM Epiſcopum *Pariſienſem*) dividanturque in dimiſſorias, & commendatitias, ſicut illae εἰς ἀπολυτικὰς καὶ συςατικὰς, quamquam dimiſſorias, quia ſine commendatione aliqua, pacique ſymbolo non fiebant, commendatitias quoque interdum, & pacificas appellabant: at non contra dimiſſorias, quae commendatitie tantum eſſent. De formatis ergo plena ſunt Concilia, ut dixi; & nota eſt ratio numerorum formatis addendorum, quam ex Synodi *Nicaenae* praeſcripto edidit ATTICUS *Conſtantinopolitanus*, ex ATTICO GRATIANUS, caeterique Canonum collectores, qui formatarum etiam exempla ſubjiciunt. Nec diffici-

difficile eſt cuivis, qui modo litteras *Graecas*, & numeros, quos ſingulae ſignificant, non penitus ignoret, totum illarum artificium collatis praeſertim exemplis perſpicere. Sunt porro qui ab his numeris, & quod certa quadam formula texerentur, inde nomen Formatis factum putent. Verius eſt Formatam a ſigilli forma dictam, qua muniebatur. Sic enim veteres Gloſſae Vaticanae *formatam epiſtolam*, *ſigillatam* interpretantur; & certum eſt ſigillum apponi ſolitum formatis. Concilium *Cabillonenſe II.* Can. XLI. *litteris, in quibus ſint nomina Epiſcopi & Civitatis plumbo impreſſa*. RATBODUS Epiſcopus *Trevirenſis* in Formata ſua apud IVONEM: *Hanc epiſtolam Graecis litteris hinc inde munire decrevimus, & anulo Eccleſiae noſtrae bullare cenſuimus*. Bullare illius ſaeculi verbo uſus dixit, ut βουλλεύειν, & βούλλας ἐπιβάλλειν Nicetas Choniates, bullam, ideſt ſigillum, ac τύπον ſeu formam imprimere. BERNARDUS epiſt. CCXXX. *Extant litterae integrae & bullatae*. Denique ſicut Imperatorum conſtitutiones inferioribus ſaeculis non ſolum τυπικὰ quaſi formales, ſed etiam θεῖοι τύποι, ſacrae formae, utraque lingua vocitatae ſunt, ac poſt etiam Caeſarum, & Pontificum diplomata *bullae* vulgo a ſigillis nuncupatae: ſic formatam epiſtolam a forma dixiſſe videntur, velut a bulla bullatam.

FOSSA, Sepulcrum. Rituale Corbejenſe: *Tunc ad Miſſam debet fieri commendatio corporis .... & debemus omnes ire ad foſſam, ſive ſepulturam defuncti*.

FOSSARII. Vide COPIATAE.

FRACTIO *panis*, *frangere panem &c.* Miſſam celebrare, Synaxim agere &c.

FRATRES PLUMBEI, ſeu *de plumbo* vocabantur duo Fratres *Ciſtercienſes* Converſi, qui ad cudendas *Romanorum* Pontificum Bullas plumbeas olim deſtinabantur.

FRONTALIA, ideſt Pallia, ſeu amicula anteriora altarium ab antiquis *Veſtes* nuncupata. *Obſervandum eſt, ut menſa Chriſti .... mundiſſimis linteis, & Palliis diligentiſſime cooperiatur*. IVO *Carnotenſ. 2. parte decreti c. 132.* ex quodam Concilio *Rhemenſi*.

FUNDATUM. Cl. HENSCHENIO in notis ad PASCHALIS I. Vitam, a vulgato ANASTASIO ſcriptam *veſtis de fundato* ea dici videtur, quae auro intexta eſt ſuper fundum holoſericum, aut e contra, nempe quae fundi aurei texturam habet; idque GEORGIO *lib. 2. de lit. Rom. Pont. c. 6. n. 3.* veroſimillimum viſum eſt.

FUNUS. Vide SEPULTURA.

FUSCINA. DESIDERIUS *Antiſſiodorenſis* baſilicae ſuae una cum aliis donariis dedit *fuſcinam unam praeſcriptam: habet caput leonis, penſat lib. III.* Erant autem in tridentis figuram efformatae ad aliquem divinorum myſteriorum uſum, fortaſſe ad Eulogias cultello ſectas honeſtius, quam ſi manibus adtrectarentur, diſtribuendas.

GABA-

Digitized by Google

G

GABATA, *Gavata*. Gabatarum ſaepius apud ANASTASIUM mentio; *Brunechildis* quoque Regina *Francorum* per manus Deſiderii Epiſc. Antiſſiodorenſis dedit Baſilicae S. GERMANI *Gabatas II. ab intus liliatas pariles, penſ. lib. VIII. & unc. II.* S. ISIDORUS *Hiſpalenſ. lib. XX. etymol. cap. 4. Lancem* GAVATAM eam dicit, *quae quaſi cavata ſit, g. pro c. littera poſita. Hinc & concha, ſed illa cavata, iſta concava: ſic & Graeci haec nuncupant*. Non ergo Gabatae lychni penſiles ſunt, inferne rotundi inſtar patinarum, ut PAPEBROCHIUS exiſtimavit, ſed lancis, ſeu diſci genus ad eulogias recipiendas Eccleſiis offerri ac deſtinari ſolitum.

GALILAEA. *Galilaeam Graeci* vocabant totum illud tempus, quod mediat inter Paſcha, & Aſcenſionem. Monachis noſtris tum clauſtri porticus (nobis *Galleria*), tum inferior pars Eccleſiae erat, quam *Navem* dicimus. *Fiat proceſſio extra clauſtrum, & per* Galilaeam. MARTENE *lib. IV. cap. 8.*, & *lib. III. cap. 9. Ad exitum* Galilaeae *Monaſterii ſint praeparati duo famuli eleemoſinarii &c.*

GALILAEI. Ita olim dicti per contemptum Chriſtiani; quod nomen Chriſtianum JULIANO Apoſtatae adeo erat exoſum, ut edicto ſanxerit, nequis Chriſti ſectatores Chriſtianos, ſed *Galilaeos* nuncuparet. CHRYSOSTOMUS *orat. contr. gent.* Hinc ipſe moriens, ex inflicto vulnere ſanguinem in auras ſpargens, blaſphemando clamabat: *Viciſti, Galilaee, viciſti*; ita vocans Chriſtum per contemptum, quia ex *Galilaeae* Civitate *Nazareth* ſecundum carnem oriundus erat.

GALLICINIUM, Galli cantus: hoc nomine apud veteres Monachos intelligebatur hora ſurgendi ad Vigilias; circa enim mediam noctem Galli cantare ſolent.

GAMBUCA, baculus Paſtoralis. V. CAMBUCA.

GAMMULAE, & GAMULAE, characteres aliquot, qui plerumque Γ, aliaſque *Graecas* litteras exprimebant, veſtibus, & aliis veterum indumentis intexi ſolitus. V. ANASTAS. in BENEDICTO II. *T. I. lib. Pont. p.* 293. Propterea eaedem veſtes ab eodem libro Pontificali in LEONE III. *num.* 9. & pluries deinceps *gammadiae* appellantur. Confer CIAMPINIUM *Vet. Monum. cap.* 23.

GASTRA, ex MARTENE in Onomaſtico, Vaſa rotunda fictilia. V. CATINUS.

GAZOPHYLACIUM. Erat olim in Templis locus, qui Gazophylacium dicebatur, quo recondebantur eleemoſynae in pauperes erogandae. Frequens ejus mentio in ſacris litteris. CHRYSOSTOMUS *de diverſis novi Teſtamenti locis Hom. XXII. de eleemoſyna & collatione in Sanctos*, poſtquam populum *Antiochenum* monuit, ut privatim quaedam pro pauperibus ſeponerent, *hoc itaque*, inquit, *modo uniuſcujuſque domus Eccleſia fiat, ſacratas opes inter ſe conſervans. Enimvero gazophylacia, quae in Templis ſunt, illarum ſymbolum gerunt*. AUGUSTINUS in Pſal. LXIII. *Quid eſt gazophylacium? Arca Dei, ubi colligebantur ea, quae ad indigentiam ſervorum Dei mittebantur.*

POSSI-

POSSIDIUS in Vita S. AUGUSTINI cap. XXIV. *De neglecto a fidelibus gazophylacio & ſecretario, unde altari neceſſaria inferuntur, aliquando in Eccleſia loquens admonebat: quod etiam beatiſſimum* AMBROSIUM *ſe praeſente in Eccleſia tractaviſſe, nobis aliquando retulerit.* Concilium *Carthaginenſe IV. Can.* 93. *Oblationes diſſidentium fratrum, neque in ſacrario, neque in gazophylacio recipiantur.* Gazophylacium hoc PAULLINUS *epiſt.* XXXIV. *menſam* quoque appellat. TERTULLIANO *arca* dicitur *Apologet. cap.* XXXIX. *Etiamſi quod arcae genus eſt, non de ordinaria ſumma, quaſi redemptae religionis congregatur*, uti & AUGUSTINO loco citato. CYPRIANO *corbona* eſt lib. *de opere & Eleem. cap.* 5. *Dominicum celebrare te credis, quae corbonam non reſpicis?* ubi etiam *gazophylacium vocat.*

GEMELLIONES, ſeu GEMMILIONES. ANASTASIUS in Greg. IV. *fecit amas argenteas VI., quae praecedunt per omnes ſtationes, penſ. libras XIII. ſcyphos duos, penſ. ſinguli lib. X.* Gemmiliones *VIII. penſ. ſinguli lib. II.* Ex Ordine quoque *Rom. I. num.* 3. habemus, ad ſtationes deferri conſueviſſe *gemelliones argenteos* una cum aliis ſacris miniſteriis. ONUPHRIUS cenſet, *gemelliones* eſſe *urceos* ad infundendam aquam in manus Pontificis, & miniſtrorum, ſed obſervat MABILLONIUS in Notis *ad Romanum* Ordinem, ab *amis*, ſeu *urceis diſtingui gemmiliones* in Vita GREGORII IV. MACRIUS item *Gemiliones* de urceolis adcipit, & ita dictos, argute, ſi vis ita, conjicit, quia *gemini* ad Miſſam praeparantur, & ratione conſimilitudinis, quaſi *gemelli*.

GENICULATIO, genuflexio, inclinatio &c. *Cum reverenti geniculatione oſculetur.* Conſuetud. S. GEMINIANI &c.

GENUFLEXIO. Omnino vetuſtus Eccleſiae mos genua in oratione flectere. Nimirum omne genu Domino flectendum Scripturae monent, *Pſ. XX. Iſaiae XLV.* Rom. *XIV. Philipp. II. Epheſ. III.* Moris autem hujus locupletes teſtes habemus JUSTINUM (ſi tamen JUSTINUS eſt) *q. CXV. ad orthodoxos*, TERTULLIANUM *ad Scapulam cap.* 4., & *adverſ. Marcion. lib. III. c.* 18., HIERONYMUM *in Iſaj. cap.* 45., & in *c.* 3. *ad Epheſ.* Hinc EUSEBIUS *lib. V. Hiſt. Eccl. cap.* 5. refert, milites, *in ipſa acie contra hoſtes inſtructa, genibus humi poſitis, ut nobis quum oramus in more eſt, ſe ad preces Deo adhibendas convertiſſe.* Et quidem hic ritus toto anni tempore in oratione ſervabatur, exceptis tamen Dominicis, & tempore Paſcha inter & Pentecoſten medio, ut ex TERTULLIANO *de corona militis cap.* 3., HIERONYMO *prooemio in epiſt. ad Epheſ., & Dialog. adv. Lucifer. cap.* 4., & AUGUSTINO epiſt. vet. edit. 119. c. 15. diſcimus: immo id ab ipſo quoque NICAENO Concilio *can.* 20. ſtatutum fuit, ac repetitum a Concilio CARTHAGINENSI VI. *can.* 20. Cauſſas vero hujus exceptionis has adferunt Patres, quod dies Dominicus, (idemque dic de tempore inter Paſcha & Pentecoſten) ſignum ſit, & deſignatio Reſurrectionis. Vide JUSTINUM, & AUGUSTINUM *loc. cit.*, praeſertim vero BASILIUM *lib. de Sp. Sancto cap.* 27., quem fere exſcripſit ANASTASIUS *Nicaenus q. q. in Sacr. Scrip. q.* 91. Ad Apoſtolica tempora hujuſce mutationis originem idem PSEUDOJUSTINUS refert. Quod tamen PAULLUS legitur *Act. XX.* poſitis genibus oraſſe tempore inter Paſcha, & Pentecoſten, BARONIUS

Ann.

Digitized by Google

Ann. T. I. ad ann. 58. exiſtimat; nondum tunc invaluiſſe etiam genuum illo tempore non flectendorum conſuetudinem; ſed paullo poſt. Verum LORINUS in eum Actorum locum nil obſtare ſentit, quin dictus eo etiam tempore jam receptus ritus fuerit, in publicis tamen, ſolemnibusque precibus, quales non videntur fuiſſe, quae fuſae ſunt in littore Tyri. Vide ſupra Flectamus genua. Vide quoque V. Metanoea.

GENUINUM NATALE. Vide Natalis dies.

GLASIUM. Vide Classicum.

GLOCCA, ſeu *Cloca*, *Campana*. *Ad primum ſonitum veſpertini ſigni glomerantur in chorum, poſt ſolito ordine incipiunt veſperas, ſingulaeque gloccae pulſantur. Conſuet. Germaniae.*

GLORIA IN EXCELSIS, Graecis *magna doxologia*, ut a *Gloria Patri*; quod *parvam doxologiam* appellant, ſecernatur; latinis *Hymnus Angelicus*, e coelo ad nos Angelorum voce ad ea verba *hominibus bonae voluntatis* derivatus eſt. Cetera Patres Concilii *Toletani IV. Eccleſiaſticos doctores compoſuiſſe* ajunt Can. 12. Codex *Chiſianus IX.* ſaeculi apud SALAM *Tom. III. in Bon. pag.* 84. verſiculum, *Qui ſedes*, JACOBO Fratri Domini, reliqua ad finem CYRILLO *Alexandrino* tribuit. Alii auctorem volunt TELESPHORUM, alii *Pictavienſem* HILARIUM. Hoc certum, integrum hunc hymnum extare in *Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 7. cap.* 47. TELESPHORUS in Miſſa tantum Nativitatis Dominicae cantari illum decreverat, ſi INNOCENTIO III. & SIGEBERTO credimus; SYMMACHUS vero praecepit, ut omni die Dominico, & in Natalitiis Martyrum diceretur. Conſuetudine vetuſta *in Hiſpania* canebatur Hymnus Angelicus, ut Concilium *Toletanum IV. Can.* 12. aperte innuit: canebatur autem *non ſolum dominicis diebus; ſed quibuſcumque feſtivitatibus*, ut ETHERIUS & BEATUS *lib. I. adv. Elip.* ſcribunt: quare recentioris inſtituti apud *Mozarabes* eſt, quod tempore Adventus, & Quadrageſimae diebus Dominicis Hymnus Angelicus omittatur. Hymnus Angelicus canebatur pariter in *Gallia*, ut ex Sacramentario *Bobiano pag.* 281. *&* 282. conſtat, ubi integer legitur, & adduntur binae orationes, quarum una de more poſt hymnum recitabatur. In publicis praeterea gratiarum actionibus adhibitus fuit, ut ex ſexto Concilio Oecumenico in adloquutione ad CONSTANT. *Pogonatum* Imp., & ex Concilio *Toletano VIII.* conſtat. A *Graecis* in matutinis laudibus recitatur: ad laudes quoque toto tempore Paſchali S. VALERIANUS *Arelat.*, & S. TETRADIUS in ſuis *regulis* dici juſſerunt. Olim a Presbyteris nonniſi die Paſchatis in Miſſa recitari poterat; illum dicere Epiſcoporum tantummodo erat ex S. GREGORII M. Sanctione. Sequioribus temporibus inſerti huic hymno quidam verſiculi.

GLORIA, LAUS, ET HONOR. Hymnus eſt notiſſimus, ſed diu poſt everſum *Gotho-Hiſpanorum* Regnum compoſitus. Anonymus quidam apud MENARDUM *in not. ad Sacram. Greg. pag.* 59. hunc hymnum, tamquam auctori, tribuit RAINALDO (qui potius RENARDUS, aut HUGO appellandus fuit) Epiſcopo *Lingonenſi* anno MLXXXV. extincto, viro *graece*, & *latine* docto (*Gallia Chriſt. edit. Maur. Tom. V. col* 560. 562.); ſed quum LUPUS *Ferrarienſis*, qui ducentis & amplius annis ante RENARDUM *Lingonenſem* vixit, *epiſt.* 20. *edit. Baluz.*, auctorem hujus celebris hymni citet

ni citet

ni citet THEODULPHUM, & hymnus ipſe loquatur apud *Andegavos* compoſitum eſſe (*Vide* SIRMUNDUM *in Notis ad* THEODULPH. *carm. 3. lib. 2. &* BALUZIUM *in Notis ad ep.* 20. LUPI *Ferrarienſ.*) non eſt, cur a recepta opinione recedamus, quae autumat, THEODULPHUM ob conjurationem initam cum BERNARDO *Italiae* Rege contra Imperatorem LUDOVICUM PIUM, ſententia Epiſcoporum depoſitum, *Andegavi*, ubi in cuſtodia detinebatur, hunc hymnum anno DCCCXVIII. compoſuiſſe: nec tamen ea de cauſa, ut vulgo fertur, libertati priſtinae reſtitutus eſt; id enim aliquot annis poſtea contigit, quum ob nuptias LOTHARII cum IRMENGARDA LUDOVICUS Auguſtus *Pius* anno DCCCXXI. in Conventu ad *Theodori Villam* conjuratis poenam omnem condonaſſet, cujus amneſtiae beneficio THEODULPHO ad Eccleſiam ſuam redire permiſſum fuit.

GLORIA PATRI, *Graecis* doxologia, ſeu hymnus glorificationis ab Apoſtolis traditus, ut oſtendunt BONA *de divina Pſalmod. cap. 6. §. 6.*, & SALA *Tom. III. pag. 53.* Primus, qui hunc hymnum mutavit, AETIUS fuiſſe dicitur *Antiochenae* Eccleſiae Diaconus, ſic cani inſtituens: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*. Additamentum = *ſicut erat* = *Nicaenis* Patribus BARONIUS, alii DAMASO tribuunt. Exiſtimant alii, antiquiſſimum eſſe, eoque referunt, quae apud TERTULL. *de ſpectac. cap. 25.* leguntur. *Graeci* paullo aliter doxologiam exprimunt, nempe *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* (S. BASILIUS *cum ſpiritu Sancto* ajebat, quam ejus formulam ab aliquibus reprehenſam ipſe in lib. de *Spiritu Sancto* defendendam ſuſcepit) *& nunc & ſemper & in ſaecula ſaeculorum. Amen.* *Hiſpani* vero dicebant: *Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto in ſaecula ſaeculorum. Amen.* V. Responsorium.

GRADALE, GRADALIS, GRADUARIUS, Antiphonarius ad Miſſam; ſeu Pſalmi ad Miſſam canendi in gradibus cum notis cantus ex antiphonario, in unum volumen poſteriore aevo relati, quum tamen prius *reſponſoria Gradalia* peculiarem, ab aliiſque diſtinctum librum conficerent. *Gradale, Graduale* appellati quoque hi Pſalmi ſunt, ſeu Reſponſorium, quod, dum perlecta epiſtola praeparat ſe Diaconus ad legendum Evangelium, chorus concinit; ſic dictum a gradibus ſive Sanctuarii, ut aliqui putant, ſive ambonis, ubi canebatur. Vide Responsorium.

GRADUS ARAE. In gradibus arae (ſcilicet principis, quae una fere in antiquiſſimis Eccleſiis exſtabat) Epiſcopi ſedentes in cathedra tribunali concionari ſolebant. SIDONIUS Carm. XVI. ad FAUSTUM *Rejenſem* Epiſc.

Seu te conſpicuis gradibus venerabilis arae
Concionaturum plebs ſedula circumſiſtit.

PRUDENTIUS de S. HIPPOLYTI Eccleſia.

Fronte ſub adverſa gradibus ſublime tribunal
Tollitur, Antiſtes praedicat unde Deum.

Quod ritualium quoque librorum Auctores docent. Eumdem etiam *Graecis* morem fuiſſe, & hodiernus eorum mos oſtendit, & quod de CHRYSOSTOMO a SOCRATE, & aliis, ut peculiare proditum eſt, illum in ambone conſcendiſſe, ut a pluribus audiretur. Concionabantur ergo pro gradibus arae, intra cancellos, qui βῆμα, ſeu ἱερατεῖον, hoc eſt tribunal, ſive ſa-

crarium dirimebant a capſo, quod illi *ναὸν* appellabant. Hunc enim locum indicat GREGORIUS *Theologus*, quum de *Conſtantinopolitanis* concionibus ſuis loquens in *oratione ad Epiſcopos CL.* cancellos ab auditorum ſe ſe impellentium turba vim paſſos ſcribit.

GREMIALE, pannus, qui in Gremio Epiſcopi celebrantis ponitur, quum ſedet, & ordines confert. V. PRAECINCTORIUM.

GREMIUM Baſilicae, pars ejus media, nobis *nave di mezzo*.

GYRO, ſeu *Giro*, lacinia, ſeu pars extrema veſtimentorum, ſeu togae, quae laxior fit, & in parte ſuprema contracta largius in ima ſe explicat, ſic dicta, quod hac parte giret veſtis, & circuli figuram efficiat. *Inde abſtrahent ſparſorium (aſperſorium) mox cum ſiniſtra manu gyrones Albae accipient, & ante ſe tenent, ſpargit primum de aqua benedicta ſuper pavimentum majoris altaris, & exient per jannam ferream &c.* Conſuetud. *Cluniacenſ. lib. I. cap.* 10.

H

HAGIOGRAPHUS, Sacer Scriptor, ideoque omnes Canonicae Scripturae *Hagiographae* dicuntur.

HANAPPUS, & ſine adſpiratione, immo & *anapus*, *anaphus*, GREGORIO *Turon.* de mirac. S. JULIAN. *cap.* 8. *anax.* In Vita S. ANSEGISI Abbatis *Fontanellenſis*, & in Chronico *Fontanellenſi* habetur, S. ANSEGISUM obtuliſſe Luxovienſi coenobio ſacra dona, ac inter cetera *hanapum argenteum optimo opere factum, habentem limaces aureos quatuor, in fundo exterius ſibi adnexos*. In Vita S. GILBERTI Abb. 18. Febr. *Incenſaria argentea auro parata, quatuor: haunapi argentei ſuper aurati tredecim*. Idem ergo videtur Hanapus fuiſſe, quod Acerra, ſeu vas, in quo thus pro ſacrificio poni conſuevit. Vide ANAX.

HASTA, pertica, arundo, ſupra quam tres candelae in Sabbatho Sancto poſt ignis benedictionem poni ſolent. *Poſt Nonam induatur Abbas, vel Prior, vel Sacerdos hebdomadarius alba ſtola, & manipulo, ſimulque Diaconus & Subdiaconus cum manipulis..... Diaconus inter thuribulum, & candelabra ferentes, ferat haſtam cum tribus cereis*. Conſuetud. *Beccen.* Pertica autem appellatur a *Benignianis*, & *Dionyſianis*.

HEBDOMADA. Adnotanda ſingularis quaedam apud Neapolitanos hujus nominis ſignificatio, qua Praebendae Hebdomadariorum denotantur. Confer MAZOCHIUM in Diſſert. hiſtor. de Cathedr. Eccl. Neap. vicibus *p.* 174.

HEBDOMADA *ultima* Quadrageſimae, dicta *Major*, in ea enim recoluntur Majora noſtrae Redemptionis Myſteria; Hebdomada *Indulgentiae*, illis enim diebus peccatores reconciliabantur; Hebdomada *ſancta* a ſanctioribus officiis, quae in ea celebrantur; *Poenoſa*, ratione poenarum, quas pro nobis Chriſtus ſuſtinuit; *Authentica* ritu *Ambroſiano*. Hujus hebdomadae dies celebriores ſunt feria V. in Coena Domini, Paraſceve, & Sabbathum Sanctum, de quibus ſuis locis. Vide AUTHENTICA.

HEBDOMADARIUS. Monachis hoc munus debemus. Eſt enim Hebdomadarius is Frater, ſeu Monachus, qui ſuas vices in miniſteriis Monaſticis

cis per hebdomadam exſequitur, ut optime MAZOCHIUS in citata nuper diſſertatione *p.* 142. ex FRESNIO in *Gloſſario* definit. Regula Ss. Patrum *cap.* 12. *Debet is qui praeeſt* (ὁ ἡγούμενος Graecis, Latinis *Abbas*) *diſponere hebdomadarios, & ordinem officii, quo ſibi invicem ſuccedant ad miniſtrandum.* Idem FRESNIUS ad hoc, HIERONYMI, CASSIANI, & Concilii AQUISGRANENSIS loca erudite agglomerat. Itaque quot erant in monaſteriis ſive ad victum, ſive ad chorum, ſive ad ceteras monaſterii neceſſitates pertinentia officia, totidem & Hebdomadarii in orbem redibant; verbi gratia Hebdomadarius *coquinae*, *chori*, *Pſalterii*, *Invitatorii*, item Hebdomadarius Lector, Cantor, *majoris miſſae*, atque hujus generis ſexcenta. Hinc qui hebdomadam compleverat, *egredi* dicebatur *de ſeptimana*, ut in Regula XXXV. S. BENEDICTI, & apud S. HILDEGARDEM *in explicatione Regulae*. A Monachis igitur ad Cathedrales & Collegiatas Eccleſias haec appellatio manavit; in quibus Praefectus Chori novo Hebdomadario, ſive is ſit, qui lectiones Matutinorum legit, ſive qui alia cum ad officium, tum ad Miſſam, ceteraque id genus ſpectantia peragit, Hebdomadam adſignat. *Hebdomadarii* quoque dicebantur Lateranenſis Eccleſiae Cardinales Epiſcopi. V. CARDINALIS.

HEPTATEUCHUS. Ut Pentateuchum veteres appellarunt quinque libros MOSIS, ita & *Triteuchum* tres, qui proxime ſequuntur, JOSVE, JUDICES, & RUTH. Sic enim ATHANASIUS ad MARCELLINUM: utroſque vero ſimul junctos Octateuchum. Ita CASSIODORUS cap. 1 *divinarum Inſtitutionum*, & *Graeci* omnes, quorum ſcripta leguntur εἰς τὴν ὀκτάτευχον. Quia autem Hebraei, ut EPIPHANIUS & HIERONYMUS obſervant, hiſtoriam RUTH unum in librum cum Judicibus compingant, inde factum eſt, ut *Heptateuchum* plerique dixerint pro *Octateucho*, ut HIERONYMUS *epiſt. VII. & XXVIII.*, & SIDONIUS *lib. V. ep. XV.*

HICINARIUS. Legimus, DESIDERIUM Epiſcopum *Autiſſiodorenſem* donaſſe HICINARIOS II. *anacteos penſantes lib. IV. & unc. III.*, item HICINARIOS *anacteos penſantes lib. V.*, ICHINARIOS *columellatos III.* Hae voces ignotae ſunt ipſi CANGIO, neque de iis aliquid profert. Si conjecturis quid adſequi licet, legerem utrobique (inquit GEORGIUS in diſquiſit. *de ſacr. miniſt. c. XXII.*) *lacunarios*: nam *lacuniaria* apud ISIDORUM in Originibus ſunt pendentia lumina, quaſi *lucanaria*, ideſt in aere lucentia.

HIRMOLOGIUM, liber eſt, quo omnes *octoechi*, ſive cantus initiales Chriſti, & Deiparae feſtivitatum, totiuſque anni apud *Graecos* uſitati continentur. Vide *Biblioth. Ritual. T. I. p.* 83.

HISTORIA, lectiones Sacrae Scripturae, ſeu initium alicujus libri ejuſdem Sacrae Scripturae, in choro legendum inter horas Canonicas. *Tres verſus primi Reſponſorii primae hiſtoriae adventus dicuntur ab hebdomadario, & a duobus ſenioribus, qui prioribus ſunt in ordine*. Conſuetud. *Lyrenſes*, & Rituale *Corbejenſe* loquens de Proceſſione, quae fit in feſto Corporis Chriſti. *Ad praedictam proceſſionem cantor incipiet primum & ſecundum reſponſorium de hiſtoria cum verſu*. Apud nonnullos Auctores hiſtoria quoque accipitur pro ipſo Reſponſorio, quod canitur poſt Lectiones. *Reſponſoria ad unum diem pertinentia vocantur hiſtoria*. RADULPHUS lib. *de Canon. obſervant. cap.* 13.

HOMILIA, latine colloquium, confabulatio, collatio; eſt proprie ſermo, qui in coetu habetur. Habebant illum Epiſcopi vel in ambone, vel in gradibus arae. Vide Gradus arae. In tertio officii nocturno leguntur Patrum homiliae. Siquid vero ex Patribus in ſecundo nocturno legendum ſit, non *homilia*, ſed *ſermo* inſcribitur, quia nihil ibi, ut in homiliis, ex Evangelio explicatur, ſed ſolum ſermo tempori conveniens profertur. Id porro antiquiſſimi moris eſt. Refert enim S. GREGORIUS *lib.* 10. *epiſt.* 22. *Ravennae* Moralia ſua in JOB lecta fuiſſe; quam epiſtolam ad JOHANNEM Subdiaconum *Ravennatem* dedit, in qua MARINIANUM ejuſdem Urbis Epiſcopum monet, ut Patris cujuſdam explicationes legi jubeat: *Neque enim volo*, inquit, *dum in hac carne ſum*, *ſiquae me dixiſſe contingit*, *ea facile hominibus innoteſcere*. Nuperrimis etiam temporibus, qui poſtremam Breviarii Eccleſiae *Lexovienſis* editionem fieri curavit, in illud Homilias CLEMENTIS XI. Pontificis adhuc in vivis inſeruit.

HOMILIARIUM, volumen eſt, in quo olim homilias in officio legendas Majores noſtri habebant. Confer a me dicta *Biblioth. Ritual. T. I. p.* 9.

HOMOUSIOS (Martyrologium 15. Julii) latine conſubſtantialis. ὁμὸς unus, idem, ὀσία ſubſtantia, quaſi unius ſubſtantiae: ſed addita litterula ι, ὅμοιος ſimilis, quemadmodum *Ariani* Chriſtum volebant, non unius & ejuſdem, ſed ſimilis ſubſtantiae, *homiouſion*; Catholici autem *homouſion* dicebant: ſic una litterula tantum turbarum in Eccleſiam invexit.

HORAE CANONICAE. Officium id nominis ſortitum eſt ſive ex eo, quod Majores noſtri tempus, & horas, quibus officium eſt perſolvendum, Eccleſiaſticis canonibus definierint; ſive quia officium a Canonibus, vel *regulis*, atque *legibus* Eccleſiae fuit praeſcriptum. Septem ſunt, de quibus HONORIUS in *Gemma animae lib. II. c.* 53. *Septem horas canonicas in die*, *quaſi ex debito canimus*, *pro ſeptem gradibus*, *quos a ſeptiformi Spiritu ſuſcepimus*. *Formam autem habemus ab Apoſtolis*, & *aliis Sanctis*, *ut ſepties in die Salvatorem noſtrum laudemus*. V. Benedictio.

HOROLOGIUM, liber eſt apud Graecos, in quo horae diurnae, ut officia, continentur. Confer *Biblioth. Ritual. Vol. I. p.* 92.

HORREARIUS. Varios inter Eccleſiae Miniſtros & hic Saeculo VI. in *Ravennate* Eccleſia occurrit, nempe horrei cuſtos ob tritici copiam, quam ex *Siculo* patrimonio Eccleſia illa quotannis referebat. Hinc in veteri charta ſcripta quo tempore *Ravennatibus* praeerat Archiepiſcopus S. ECCLESIUS, memoratur *Laurentius Horrearius*.

HOSANNA, ſumptum ab acclamatione, qua Hebraei Chriſtum Hieruſalem ingredientem ſuſceperunt, *Matth. XXI.* canentes: *Hoſanna filio David*. HILARIUS *Can. XXI.* in *Matth.*, quem AMBROSIUS ſequutus eſt, hanc vocem interpretatur: *Redemptio domus David*: quod reprehendit HIERONYMUS. EUTHYMIUS ZIGABENUS eam explicat: *Hymnus filio David*. Rectius HIERONYMO eſt: *Salvum fac*, *ſalva quaeſo*, *Domine*, non nos, ut multi putarunt, ſed Chriſtum ipſum advenientem, ut doctiſſimus MALDONATUS pluribus in eum locum oſtendit. Unde ſequitur: *benedictus*, *qui venit in nomine Domini*, ideſt *proſper ſit ejus adventus*. *Hoſanna in excelſis*, quod ſequitur, ejuſdem acclamationis iteratio eſt ex vehementi affectu profecta,

Digitized by Google

ſecta, eaque explicanda: *Salva, Domine, de excelſis, ſeu de coelis*. Itaque erat haec ſolemnis gratulantium formula, & fauſta acclamantium, qualis apud nos eſt, *Io triumphe, vivat Rex, bene ſit Principi*. Hinc Eccleſia Praefationes Miſſarum eadem formula claudit, illud ſpectans, ut Sacerdotes ex intimo corde Regi omnium Chriſto applaudant, & gratulentur, bonaque omnia imprecentur, exemplo illius apocalypticae precationis, *Apoc. VII.*: *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus & fortitudo Deo noſtro in ſaecula ſaeculorum*.

HOSTIAE pro miſſa deſtinatae, quo ritu, qua diligentia & munditie conficerentur a Monachis, explicat MARTENE *Lib. II. cap.* 8. *a n.* 1. *uſq. ad* 8. V. OBLATAE.

HOSTIARIA, capſula, in qua conſervantur hoſtiae conſecrandae. *Diaconus latinus accipiens tres hoſtias ex hoſtiaria, ponit eas ordinatim ſuper patenam*. Caeremon. Pontif. *lib. II. cap.* 24.

HOSTIAE ELEVATIO. V. EUCHARISTIAE OSTENSIO.

HUMERALE. V. AMICTUS.

HYEMANTES. V. POENITENTES.

HYMNARIUM liber eſt Hymnorum, cujuſmodi vetus ille Codex a Ven. Card. THOMASIO *Romae* evulgatus a. MDCLXXXIII. Vide *Bibliotb. Ritual. Tom. I. pag.* 101. *ſeq.*

HYMNODIA, laudatio Dei, quae fit cantu. V. HYMNUS.

HYMNOLOGIA, Hymnorum cantus. *Signo dato cum fratribus conveniens, horarum laudes perſolvebat hymnologiarum*. Hiſt. *Rhemenſ.* de S. REMIGIO loquens *c.* 25. Hymnologia etiam ſumitur pro Tract. de Hymnis. Quare

HYMNOLOGIUM, *Graecorum* liber inſtar *Hymnarii Latinorum*, qui continet hymnos in omnia feſta totius anni cum antiquis notis Muſicis, *Menaei*, & *Menelogii* inſtar in XII. menſes digeſtos. Vide *Bibliotb. Ritual. Tom. I. pag* 85.

HYMNUS. *Hymnus ſcitis quid eſt? Cantus eſt cum laude Dei. Si laudas Deum, & non cantas, non dicis hymnum. Si cantas & non laudas Deum, non dicis hymnum. Si laudas aliquid, quod non pertinet ad laudem Dei, etſi cantando laudes, non dicis hymnum*. Haec S. AUGUSTINUS in Pſ. 148. Cantus autem ille debet eſſe metricus, ut hymnus nuncupari poſſit. Hinc S. ISIDORUS *lib.* 5. *Etimol. cap.* 19. hymnum dicit, *canticum laudantium, pro eo, quod ſit carmen laetitiae, & laudis*, & S. AMBROSIUS in *orat. contra* AUXENTIUM *de Baſilicis non tradendis haereticis*, hymnos a ſe compoſitos *carmina* vocat. *Hymnorum meorum carminibus deceptum populum ferunt, grande carmen iſtud eſt, quo nihil potentius*. Non neſcimus Concilii *Braccarenſis I. Can.* 3. vetitum fuiſſe, ne in publicas preces inferatur aliud, quam quod ex Scriptura excerptum ſit, juſſumque, ut poetica omnia, & quaecumque humana elucubratio excludantur: *Ut extra pſalmos, vel Canonicarum Scripturarum veteris & novi Teſtamenti, nihil poetice compoſitum in Eccleſia pſallatur; ſicuti & ſancti praecipiunt Canones*. Verum ſequiori ſaeculo Concilia *Toletana* hymnos cani permiſere, dummodo ab inſignibus Scriptoribus ſint compoſita. Quem quidem morem JESUCHRISTI, & Apoſtolorum exempla confirmant, qui Hymnum poſt coenam cecinerunt; *Sicut ergo orationes, ita*

& hym-

Digitized by Google

& hymnos in laudem Dei nullus veſtrum ulterius improbet; ideſt, quemadmodum collectae, proſae, & benedictiones ex Scriptura Sacra non excerptae in Miſſa leguntur, ita & hymni, quamquam e Sacris Codicibus non adcepti, ſunt in officium inſerendi. Hinc Concilium *Toletanum VIII.* ineunte ſeptimo ſaeculo celebratum, Clericum ordinari vetat, qui Pſalterium, Cantica, & quotidianos hymnos ignoret. Quin S. PAULLUS ipſe 1. *Cor. XIV.*, *Coloſſ. III.*, *Eph. V.* canticorum & hymnorum meminit, quos Chriſtiani in conventibus ſuis cantabant. Antiquiſſimus itaque eſt ritus canendi Hymnos in laudem Dei. Quare in epiſtola Synodi Antiochenae adverſus *Paullum* SAMOSATENUM habitae haereſiarchae crimini vertitur, quod hymnos in laudem Chriſti compoſitos aboleverit, & alios in ſui honorem die Paſchatis ab improbis mulieribus cantari praeceperit. Verum enim vero plures ex antiquis Patribus hymnos edidere, ut S. *Gregorius* NAZIANZENUS, S. HILARIUS, & S. AMBROSIUS, cujus poſtremi hymni in pluribus Eccleſiis recepti fuere, non *Mediolani* tantum, ſed etiam in *Hiſpania*; unde juxta S. BENEDICTUM hymnum dicere nihil aliud eſt, quam canere *Ambroſianum*. Multi tamen a PRUDENTIO, aliiſque veteribus Chriſtianis poetis ſunt adcepti, quin etiam a poſterioribus Scriptoribus *Venantio* FORTUNATO, RHABANO, STRABONE, JOHANNE Diacono, S. BERNARDO, atque S. THOMA in officio Corporis Chriſti. At *Romae* nonniſi ſequioribus temporibus Hymni cani coeperunt; quum nec AMALARIUS, nec ullus Ordo *Romanus*, ne ille quidem, quem BENEDICTUS Canonicus S. *Petri* GUIDONI de Caſtello inſcripſit, poſthac Pontifici maximo nomine COELESTINO *Secundo*, eorum meminerint. Quapropter adſerendum eſt poſt duodecimum ſaeculum in officium *Romanum* fuiſſe invectos. Nam decimo quarto Saeculo iidem fere, qui etiamnum, teſte RADULPHO, recitabantur. Si vero quis contendat, prioribus ſaeculis hymnos in Breviarium *Romanum* fuiſſe inſertos, fateri tamen eum neceſſe eſt, duodecimo ſaeculo nullos in Eccleſia S. PETRI fuiſſe recitatos, atque, quum ULRICUS in Conſuetudinibus *Cluniacenſibus* Hymnorum *Romanae* Eccleſiae meminit, ipſum de ſingularium aliarum Eccleſiarum hymnis agere voluiſſe. *Lugduni* pariter, atque *Viennae* nulli ad haec tempora, niſi ad Completorium, dicuntur. *Pariſiis* non multum antea fuere; in prima ſiquidem Breviarii editione anno MCCCCXCII. excuſa nulli leguntur. Nulli quoque hymni apud veteres *Orientis* Monachos, quum CASSIANUS eorum nullam fecerit mentionem, quemadmodum nec in Occidente Regulae S. COLUMBANI, S. ISIDORI, S. FRUCTUOSI Magiſtri, & DONATI. *Graeci* ſuos hymnos habent, de quibus aliqua vide *Biblioth noſtrae Ritual. T. I. p.* 85. Primi in *Galliis* hymnorum meminere S. CAESARIUS, & S. AURELIANUS: in *Italia* S. BENEDICTI Regula, qui *conſuetum morem* S. AMBROSII *in nonnullis Eccleſiaſticis elegiſſe* perhibetur ab AMALARIO. In *Hiſpaniis* hymni S. AMBROSII, & S. HILARII recitabantur. Tandem quum potiſſima *Romani* Breviarii Hymnorum pars circa dimenſiones metri, & numeri leges peccaret, URBANUS VIII. ad eos corrigendos adhibuit tres lectiſſimos viros, ac politiorum litterarum bene peritos, *Famianum* ſcilicet STRADA, *Tarquinium* GALLUCIUM, & *Hieronymum* PETRUCIUM. Unde licet ſummus ille Pontifex poeſeos laude excelle-

excelleret, ipſe tamen eam emendationem non praeſtitit, ſed curavit. Et quidem illi tribui ſolent hymni dumtaxat Ss. BIBIANAE, MARTINAE, & ELISABETHAE.

HYMNUS *ad Salutationem Ligni Dominici*. Ita in Breviario *Mozarabum* inſcribitur hymnus *Pange lingua*, quem alii *Venantio* FORTUNATO, alii *Claudiano* MAMERTO, Presbytero *Viennenſi*, tanquam auctori tribuunt: huic opinioni favet SIRMUNDUS in Notis ad SIDONIUM *lib. 3. epiſt.* 4., & pro ea citat GENNADIUM, ut in cod. mſſ. Sancti MICHAELIS *de Tumba* auctior legitur.

HYMNUS *Angelicus*. Vide GLORIA IN EXCELSIS.

HYMNUS *Benedicite*. Vide DANIEL.

HYMNUS Cherubicus, quem Graeci *Cherubim* voces imitantes, ante magnum Introitum cantant dicentes: *Qui Cherubim myſtice repraeſentamus, & vivificanti Trinitati ter ſanctum hymnum canimus, omnem ſaecularem deponamus ſollicitudinem tamquam Regem omnium ſuſcepturi Angelicis inviſibiliter ſtipatum agminibus Alleluja*.

HYMNUS *glorificationis*. Vide GLORIA PATRI.

HYMNUS *triumphalis*. Vide TRISAGIUM.

HYMNUS TRIUM PUERORUM. Vide DANIEL PROPHETA.

HYMNUS *Veſpertinus*. Ita *lib. 1. Carminum* inſcribitur ENNODII carmen X. Qui hymnus, inquit SIRMONDUS in Notis ad illum, PRUDENTIO eſt *ad incenſum lucernae*. Sic enim in optimis exemplaribus inſcribitur Hymnus *VI. Cathemerinon*, qui ejuſdem eſt „ argumenti, non ut vulgatum „ eſt, *ad incenſum cerei Paſchalis* „ (Vide tamen LESLAEUM *Praef. in Miſſ. Mozarab. p. LIX.* aliter ſentientem). „ Unde & *Lucernarium* dicebant veſpertinarum precum officium, quod veſpere, & quando lucernas „ accendi mos eſt, occaſo nimirum Sole peragi ſoleret. HORAM INCENSI appellat S. Ambroſius *lib. III. de Virginibus*. *Certe ſolemnes orationes cum gratiarum actione ſunt deferendae, cum e ſomno ſurgimus, cum „ prodimus, cum cibum ſumimus, cum ſumpſerimus, & hora incenſi, cum denique cubitum pergimus*.

HYPAPANTE. Vide PURIFICATIO B. M. V.

HYPODIACONUS, Subdiaconus.

I

ICON, ICONA, imago: Saepius hoc nomen occurrit in libro Pontificali. Vide ACHEROPITA, IMAGINES.

ICONICA, Imago. GREGOR. *Turon.* in lib. *de Vitis Patrum* cap. 12. laudat *Iconicas* Apoſtolorum, aliorumque Sanctorum, ſuper quas eorum nomina ſcripta erant ad uſum ſpectantium.

ICONOMACHUS, Iconoclaſta, ſacrarum Imaginum oppugnator, fractor.

IDAEA. „ Haec erat Beatiſſ. Virginis Mariae imago, quam *Mediolani* „ geſtatoriae arcae ſuperimpoſitam Miniſtri ſuppoſitis humeris deferebant „ ab Eccleſia hyemali ad aeſtivam. „ *Arcae*, & *Idaeae* nunc quoque effigies lapidi

lapidi inſculpta viſitur prae foribus S. Mariae Beltradis, ſeu Bertradis. *Decumani omnes, aut pars major, qui ſunt de numero centum, veniunt ad Eccleſiam majorem, antequam Miſſa major ibi incipiatur in Dominicis diebus, & praecipuis feſtivitatibus, & ad portandam Aream, & Idaeam.* PURICELL. *Monum. Baſil. Ambr. pag.* 1037.

. JEJUNIUM. Praeter antepaſchale jejunium (Vide QUADRAGESIMA) celeberrimum fuit jejunium feriae IV., & VI., quod *ſtationum* vocabant. Ejus mentio fit non ſemel apud TERTULLIANUM, ut *lib. II. ad uxor. cap.* 4., *lib. de fuga in perſeq. cap. I.*, *lib. de jejuniis cap.* 1. 2. 10. *&c.*, uti & in Actis S. FRUCTUOSI Martyris, atque in CASSIANI *collationibus lib. V. cap.* 24. Cauſſam hujus invecti jejunii hanc adfert S. PETRUS ALEXANDRINUS *epiſt.* 2. *canon. Can.* 15. *Non*, inquit, *reprehendet nos quiſquam quartam, & ſextam feriam obſervantes, in quibus nos jejunare ſecundum traditionem praeceptum eſt, quartam quidem propter initum a Judaeis conſilium de proditione Domini, ſextam autem, quod pro nobis paſſus ſit.* In eamdem ſententiam loquitur S. AUGUSTINUS *epiſt. XXXVI. ad Caſulanum cap.* 13. Apud *Graecos* eadem jejunii duobus hiſce hebdomadae diebus diſciplina hodiedum ſervatur. Latini nono jam ſaeculo feria IV. jejunium remiſerant. Quare S. NICOLAUS I. *Bulgaris* reſcribens *reſp. V.* ait: *Quarta feria, quamvis e ceteris diebus praeter ſextam feriam ſit amplius moeroribus operandum, pro eo quod Dominus ipſo jam die in corde terrae, ideſt Judae proditoris quodammodo ſepultus erat....... tamen ſi veſtrum quiſque eodem die vult, poteſt omnino carnes comedere.* De l' ISLE in *hiſtoria jejunii pag.* 178. ait, conſequutis NICOLAUM ſaeculis nullam fere jejunii feriae IV. mentionem occurrere: occurrit tamen in Regula a JACOBO *Ariminenſi* Epiſcopo ann. MCCLIV. Hoſpitali S. Spiritus conſtituta, ubi haec leguntur: *Statuimus, ut omni tempore quarta, & ſexta feria per hebdomadam jejunetis in cibis Quadrageſimalibus, & hora canonica comedatis.* In Conſtitutionibus quoque Mſſ. Canonicorum S. Spiritus utriuſque Feriae jejunium praeſcribitur *a feſto S. Crucis uſque ad Reſurrectionem Domini*, teſte in Vita B. CLARAE Illuſtriſſ. GARAMPIO *pag.* 204. Cetera vide apud eumdem GARAMPIUM ibidem *p.* 514. Sextae tamen Feriae jejunium, cujus apud *Innocentium I.* in epiſtola ad DECENTIUM mentio fit, in Occidente diutius altero illo obſervatum fuiſſe libens fateor. Quare non ſolum VIII. ſaeculo ejus meminit HADRIANUS I. *T. I. cod. Carol. p.* 391., ſed etiam in Canonicorum *Tiphernatium* Conſtitutionibus, ut idem GARAMPIUS refert *pag.* 207., ſtatuitur: *Per totum annum ſextas ferias in jejunio obſervabunt.* De Sabbathi jejunio, uti & de Quadrageſima S. MARTINI, ac de quatuor temporum jejunio infra dicam. Vide SABBATHUM, QUADRAGESIMA S. MARTINI, ET QUATUOR TEMPORA.

Alia jejunia heic paucis perſequamur, THOMASSINIO, Monacho de l' ISLE, & GARAMPIO ducibus. Atque unum quidem Monachis praeſertim, & Canonicis familiare, quod poſtea S. FRANCISCUS ſuis Fratribus maximopere commendavit, jejunium fuit ab octava Epiphaniae vel uſque ad Quadrageſimam, ut Concilium *Turonenſe II.* ann. DLXVII. Monachis edixit *can.* 17., vel uſque ad Quinquageſimam (quod Monachis *Pariſienſibus* S. VICTORIS in uſu fuit), vel ſaltem uſque ad Septuageſimam, quemadmodum

PETRUS

PETRUS DE HONESTIS, vir ſanctimonia illuſtris, Canonicis praeſcripſit *Par. II. cap.* 19. Hoc vero jejunium tribus diebus, Feriis ſcilicet II. IV. & VI. ſervabatur. Adſcenſionem quoque inter, & Pentecoſten jejunium aliquot dierum celebrari in aliquibus Eccleſiis conſueverat. Meminit hujus jejunii S. PHILASTRIUS *de haer. cap.* 145. *Rodulphus* autem GLABER *hiſt. lib. V. cap.* 3. narrat, plura XI. ſaeculo habita fuiſſe Concilia, in illiſque actum quum eſſet de hiſce jejuniis, *quae plerique Fidelium inter Adſcenſionem, & Pentecoſten obſervant*, decreviſſe Patres, *ut ne per imperium Sacerdotum fierent, excepto Sabbatho Pentecoſtes*. Huc ſpectat Synodi *Copriniacenſis* XIII. ſaeculo celebrati canon, quo permittitur, ut in *jejuniis, quae ſunt in ſeptimana Pentecoſtes, poſſint comedi ova, & caſei. In ſeptimana Aſcenſionis Domini non debent comedi carnes, niſi in die*. Ad hoc jejunium Pentecoſtale pertinet, quod de Hiſpanorum diſciplina LESLAEUS *p.* 553. monuit. *Hiſpani*, inquit ille, *olim inter Paſcha & Pentecoſten non jejunabant*. S. ISIDORUS *de off. Eccl. lib.* 1. *cap.* 33. Hinc idem S. ISIDORUS *in Regula cap. XI.* Monachos *alia die poſt Pentecoſten* jejunium inchoare praecipit, quo die omnes Hiſpani ex praeſcripto Concilii *Gerundenſis can.* 2. Litanias, & ſolemne jejunium triduanum celebrabant: poſtea vero (fortaſſe cauſſa Baptiſmatis, quod ſolemniter Sabbatho ante Pentecoſten, noctu, ut in Paſchate, conferebatur) inſtitutum fuit, ut ſolemne illud jejunium feſtivitati Pentecoſtes praemitteretur, & ut quatuor diebus conſtaret. Ita enim praeſcribit Rubrica Breviarii Mozarabum: *In nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti incipit officium jejuniorum; obſervantur IV. feria, & V. feria, & VI. feria, & Sabbatho ante Pentecoſten*. Porro haec jejunii Pentecoſtes translatio, etſi poſterior ſit aetate S. ISIDORI, eſt tamen antiqua in Orationali *Gothico pag.* 116. *Extat item completuria die, quo Miſſa dicitur ad Veſperas*; quae quum feſtivitati Pentecoſtes praemittatur, oſtendit uſum jejunandi ante Pentecoſten jam ſuſceptum fuiſſe, quum Orationale hoc exaratum fuit. *In Eccleſia Mediolanenſi* quatriduo ante Pentecoſten jejunant, ut ex Miſſali *Ambroſiano* anni 1548. eruitur. Memorandum nunc mihi eſt jejunium Kalendarum Januarii. Nimirum feriae Kalendarum Januarii pluribus diebus celebrabantur, GOTOFR. *in lib.* 2. *Cod. Th. tit.* 8. *de feriis*: *Quibus ad conculcandam Gentilium conſuetudinem Eccleſia triduanum jejunium indixerat*. *Conc. Turon. II. cap.* 17., de quo jejunio S. AUGUSTINUS *Serm.* 198 *Oper. T.* 5. *ed. nov.*, Concilium *Toletanum IV. can.* 11., S. ISIDORUS *de off. lib.* 1. *cap.* 40. mentionem fecerunt. At poſtquam Kalendis Januarii Circumciſio Domini ſolemniter celebrari coepit, triduanum hoc jejunium in dies tertium quartum, & quintum Januarii translatum eſt, & modo Jejunium *Kalendarum Januarii*, ut olim denominabatur, modo *jejunium Epiphaniae* a feſtivitate, quae proxime ſequitur; & cujus Vigiliae cadunt in diem tertium hujus jejunii, appellari conſuevit; quod tamen cum jejunio octavam Epiphaniae ſequente, de quo ſupra, cave confundas, licet hoc quoque *jejunium Epiphaniae* dictum nonnumquam fuerit. Ad haec jejunia accedit 1. Quadrageſima *circa feſtivitatem* S. JOHANNIS *Baptiſtae* ab AMALARIO indicata *lib. IV. de Eccleſ. offic. cap.* 37.; & a *Salenguſtadienſi* A. MXXII. Concilio *cap.* 1. ad quatuordecim dies redacta, quibus *omnes Chriſtiani in abſtinentia* eſſe debebant *carnis, & ſangui-*

nis; 2. jejunium in Apoſtolorum pervigiliis, quod etſi multo antea uſitatum erat, in Romana praeſertim Eccleſia (quod S. Petrus DAMIANI, & INNOCENTIUS III. *lib. IX. ep. 3.* teſtificantur) primus tamen omnium GREGORIUS IX. ſervandum ex praecepto diſerte indixit. Vide GARAMPIUM in Vita B. CLARAE *p. 222. ſeq.*

Primis Eccleſiae ſaeculis nonniſi poſt occaſum Solis decantatis veſperis jejunium ſolvere licuit. Stationum tamen, quae IV. & VI. feria haberi conſueverant, jejunia hora nona reſignabantur. Quamobrem PRUDENTIUS *hymno X.*, in quo de Sanctorum FRUCTUOSI, ſociorumque martyrio agit, FRUCTUOSUM potum ſibi libandum a quibuſdam adferri quum VI. feria videret, eos ſic adloquentem inducit:

Nondum nona diem reſignat hora,
Numquam conviolabo jus dicatum.

Monachi hora item nona jejunium paſſim ſolvebant. Sic in Vita S. ANTONII *cap. 37.* legas: *hora circiter nona quum ante cibum orare coepiſſet*. Alia exempla proſtant in Vitis Patrum, *Roſweyd. edit. lib. III. n. 4. & 55., lib. V. libello 10. n. 69., lib. VI. libello 3. n. 2.* Quidam tamen ex his jejunia ad veſperam extendebant, ut in eiſdem Vitis Patrum videre eſt apud RUFFINUN *lib. II. cap. 1. & 31.*, itemque *lib. III. n. 23.* Quod non omnibus Patribus probabatur, magis ſuadentibus hora nona cibum ſumere. Vide CASSIANUM *coll. II. cap. 6.* Saeculo XIII. hora nona ad veſperum paſſim praefiniebatur, ut ſolvi jejunium poſſet; ſextam alii ſtatuerunt, quia etiam alicubi hora tertia jejunantes cibum ſumere in moribus habuere; qua de re confer eumdem GARAMPIUM *l. c. p. 198. ſeqq.* Vide COLLATIO, SUPERPOSITIO.

IGNITEGIUM, hora, qua in *Anglia*, *Gallia*, aliiſque in locis oppidani ſono campanae monentur, ut domum quiſque ſuam ſecedat, atque ignem tegat. Ad hunc ignitegii ſonum ſpectat terna Salutationis Angelicae ſub veſperam recitatio a JOHANNE XXII. conſtituta, de qua *Senonenſe* a. 1345. Concilium cap. 13. *Praecipimus, quod obſervetur inviolabiliter ordinatio facta per ſ. m.* JOHANNEM PP. XXII. *de dicendo ter* Ave Maria *tempore, ſeu hora Ignitegii*. Vide ANGELUS DOMINI.

ILLUMINATI, recens Baptizati, Baptiſmus enim *Illuminatio* dicebatur.

ILLUMINATORIUS, Baptiſterium. *Sed quomodo pulcherrimi ab eo conſtructi Illuminatorii, quod quidem ſolemus vocare Baptiſterium*. In Vita S. MARCI Presbyteri.

IMAGINES. Crediderim, inquit MABILLONIUS *in diſſ. de azymo, & ferment. cap. 8.*, totis decem Eccleſiae ſaeculis Imagines ſacras aris non fuiſſe impoſitas. Teſtatur LEO Papa IV. in Homilia quadam his verbis: *Super altare nihil ponatur, niſi capſae, & reliquiae, aut forte quatuor Evangelia, & buxida cum corpore Domini ad viaticum infirmis: caetera in nitido loco recondantur*. Eadem verba repetit RATHERIUS *Veronenſis* Epiſcopus in *Synodica* Oratione *ad Presbyteros ſuos*. Ubi ergo Imagines collocabantur? Certe in Baptiſteriis, in Secretariis, ſeu Sacriſtiis (quas vocamus) in porticibus, in parietibus, & laquearibus templi. Imagines in baptiſterio collocatas a SEVERO fuiſſe docet S. PAULLINUS in epiſtola 12. ad ipſum ſcri-

pta,

pta; Statuam Chriſti Domini, quae a muliere ſanguinis profluvio liberata erecta fuerat, a Gentilibus mutilatam, Fideles in Diaconicum, ſeu Secretarium Baſilicae intulerunt, competentem ei curam atque obſervantiam deferentes. PHILOSTORGIUS auctor in *hiſtoriae lib.* 7. De Iconibus Sacris in porticibus, & in laqueatibus depictis, aut affixis, teſtis eſt idem PAULLINUS in praelaudata epiſtola: teſtis item venerabilis BEDA in *lib.* 1. *de Vita* Epiſcopi abbatis ſui, ubi ait, Epiſcopum *Roma* detuliſſe *Picturas Imaginum ſanctarum ad ornandam Eccleſiam Beati* PETRI *Apoſtoli, quam conſtruxerat, Imaginem videlicet beatae Dei genitricis* MARIAE, *ſimul & duodecim Apoſtolorum: quibus mediam ejuſdem Eccleſiae teſtudinem, ducto a pariete ad parietem tabulato, praecingeret.* Haec ille, quae ut vera eſſe concedam, ſi receptiores Eccleſiarum mores adtendimus generatim, vel quae de ipſo LEONE IV. ANASTASIUS refert, falſa eſſe demonſtrant. Hic enim *fecit ſuper corpus* B. PETRI Apoſtoli IMAGINES ARGENTEAS, *totaſque numero tres, & unam quidem in medio habentem effigiem Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti cum gemmis in capite per Crucem ornatam hyacinthinis, & praſinis. Item aliam quamdam poſitam ad dexteram Salvatoris, & habentem* VULTUM *Beati* PETRI *Apoſtoli, & Beatae* PETRONILLAE. *Aliam quamdam poſitam ad partem laevam, depictam,* VULTUM *habentem Beati* ANDREAE *Apoſtoli, ſimul &* VULTUM *praedicti ſummi Praeſulis, penſan. libras centum & quatuor. Idem confeſſionem* (Sanctorum IV. Coronatorum) *cum ſacro altari argenteis tabulis .... Sanctorumque* EFFIGIEBUS *perornavit.* Immo VALENTINIANUS *Auguſtus hortatu* SIXTI *Papae III.* obtulit IMAGINEM AUREAM *cum XII. portis, & Apoſtolos XII., & Salvatorem gemmis pretioſiſſimis ornatum; quem voti gratia ſui* SUPER CONFESSIONEM *Beati* PETRI *Apoſtoli poſuit.* Ceterum ſacrae veſtes figuris quoque, & imaginibus contexebantur; imagines quoque in velis, & palliis Baſilicarum ex vetuſtiſſima Eccleſiae traditione exprimebantur. Quem morem GEORGIUS multis illuſtrat *lib. II. de Liturg. R. P. cap.* 8.

IMMOLATIO Miſſae *Gallis Praefatio*. Vide INLATIO.

IMPOSITIO MANUUM. Inter omnes Eccleſiae ritus, qui in ſacris myſteriis adhiberi ſolent, clara inprimis, & frequenti uſu notiſſima eſt manuum impoſitio. Nam 1. baptizandis Sacerdos ex veteri more manus imponit, & benedicit. Conc. CARTHAGINIENSE IV. *cap.* 85. S. AUGUSTINUS *lib. de peccator. merit, & rem. c.* 26.

2. Imponendae ſunt confirmandis manus exemplo Apoſtolorum, qui *imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Act. VIII. 17. *Quod nunc quoque*, inquit S. CYPRIANUS *ep. 73. ad Jubejan., apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, praepoſitis Eccleſiae offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur.* An autem utraque manus, an ſola dextera in confirmatione imponenda ſit, ſi quaeras, utrumque fieri poſſe ajo. Confer TROMBELLIUM *de Confirm. T. I. p.* 210. *ſeqq.*

3. In ſacra ordinatione maxime manuum impoſitio locum habet. Jam ab Apoſtolorum temporibus Epiſcoporum, & Presbyterorum ordinatio manuum impoſitione facta. Vide 1. *Timoth. IV. & V.* GREGORIUS NA-

Digitized by Google

ZIANZENUS *Orat. XX. in laudem* BASILII de patre ſuo ab electione Epiſcopi Caeſarienſis redeunte ait: *Redit firmus, ac valens, ſublimes oculos gerens a manuum impoſitione, & unctione.* OPTATUS *Milevitanus lib. 1. In* DONATUM, inquit, *ſunt hae ſententiae latae, quod confeſſus ſit, ſe rebaptizaſſe; & Epiſcopis lapſis manus impoſuiſſe; quod ab Eccleſia alienum eſt.* Quod intelligendum, inquit ſcite ROSWEYDUS in *Onomaſtico*, non quod Epiſcopos manuum impoſitione Eccleſiae reconciliaverit (quae & ipſa ſolemnis caeremonia erat), ſed Epiſcopus ſemel per manuum impoſitionem rite creatos, rurſus eadem caeremonia creare auſus fuerit.

4 In publicis poenitentibus, eaque non una, ſed triplex fuit impoſitio manuum, prima in operis aditu, altera in decurſu, tertia denique in exitu. Prima, inquam, ut de ſingulis dicamus, illa fuit, per quam publicorum criminum rei ad poenitentiam agendam admittebantur ab Epiſcopo, qui pro cujuſque delictorum modo ſtata ſingulis poenitendi tempora decernebat, quibus exactis communionem, a qua interim prohibebantur, adciperent. Quod illi cum Epiſcopo dum tranſigebantur, actionem, & copiam, locumque poenitentiae ipſi petere; Epiſcopus dare, & concedere dicebatur. Haec enim publicae poenitentiae erat velut janua; de qua loqui apparet AUGUSTINUM in Epiſtola CXXC. ad *Honoratum*, cum alios ad Eccleſiam venire ait Baptiſmum flagitantes, alios reconciliationem, alios etiam poenitentiae ipſius actionem; & in Epiſtola LIV. ad MACEDONIUM, quando locum, & copiam humillimae poenitentiae ſemel in Eccleſia concedi ſcribit, & LEONEM Papam, cum ad RUSTICI *Narbonenſis* inquiſitionem 11. reſponderet, *alienum ab Eccleſiae conſuetudine* ait eſſe, *ut Presbyteri, vel Diaconi pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant poenitendi.* Quamquam aliis quoque verbis rem eamdem ſignificabant; ut, quia publicae poenitentiae actioni adnexa erat excommunicatio, qui illam ſuſciperet, hunc excommunicari, removerique dicerent ab altari. Unde AUGUSTINUS idem in Epiſtola CVIII. ad SELEUCIANAM: „ Agunt (inquit) „ homines poenitentiam, ſi poſt Baptiſmum ita peccaverint, ut excom„ municari, & poſtea reconciliari mereantur. „ Et in Epiſtola CXVIII. ad JANUARIUM: „ Si tanta eſt plaga peccati, auctoritate Antiſtitis de„ bet quiſque ab altario removeri ad agendam poenitentiam, & eadem au„ ctoritate reconciliari. „ Quibus porro legibus, & quo ritu ad hanc primam actionem accederent poenitentes; Synodi *Agathenſis* Canon 15. patefacit his verbis. „ Poenitentes, tempore, quo poenitentiam petunt, impo„ ſitionem manuum, & cilicium ſuper caput a Sacerdote, ſicut ubique con„ ſtitutum eſt, conſequantur. Si autem comam non depoſuerint, aut ve„ ſtimenta non mutaverint, abjiciantur, & niſi digne poenituerint, non re„ cipiantur. „ De quibus ſingulis quoniam agere non eſt hujus loci, hoc ſatis ſit obſervare, impoſitionem manuum a Synodo eam dici, quae prima omnium poenitentiam petentibus tribuebatur. Altera vero non ſimplex, nec una fuit, ſed multiplex, ac diuturna; tamdiu quippe durans, quamdiu poenitentes a communi fidelium Miſſa excludebantur; toties iteranda, ac repetenda, quoties ab Eccleſia poſt Cathecumenos ejiciendi manibus prius Epiſcopi capita ſubmittebant, juxta Synodi *Laodicenae* Canonem 19. *Quod oporteat*

teat

tcat ſeorſum primum poſt allocutiones, ſeu ſermones Epiſcoporum; *orationem ſuper Catechumenos celebrari, & poſtquam Catechumeni egreſſi fuerint, ſuper eos, qui ſunt in poenitentia, precem fieri. His etiam accedentibus ad manum Sacerdotis, & diſcedentibus tres orationes conſummari fidelium.* De hac ſecunda impoſitione manuum adcipiendus haud dubie Sanctus AUGUSTINUS in Sermone 144. de tempore, cum ait: *Abundant hic poenitentes. Quando illis manus imponitur, fit ordo longiſſimus.* De eadem & Patres Synodi *Toletanae III. Canone II.*, dum praecipiunt, *ut ſecundum formam Canonum antiquorum dentur poenitentiae: hoc eſt, ut prius eum, quem ſui poenitet facti, a communione ſuſpenſum faciant inter reliquos poenitentes ad manus impoſitionem crebro recurrere, expleto autem ſatisfactionis tempore, communioni reſtituant.* Tertia igitur, & poſtrema haec fuit, in qua poenitentes omnibus rite peractis, poenitentiae fructum, hoc eſt reconciliationem conſequebantur, unde *reconciliatoria* impoſitio manuum dicebatur, ut in Concilii *Arauſicani I. Canone III. Qui recedunt*, inquit, *de corpore poenitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicari: quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundum definitionem Patrum, qui hujuſmodi communionem viaticum nominarunt. Quod ſi ſupervixerint, ſtent in ordine poenitentium, ut oſtenſis neceſſariis poenitentiae fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant*; De hac ipſa quoque adcipiendum, quod in Concilio *Carthaginenſi IV.* legitur Canone 78. *Poenitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiae adceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione, ſi ſupervixerint:* reconciliatoriam namque intelligit. Ita ergo tres omnino, ut oſtendimus, in poenitentia publica impoſitiones manuum diverſos ad effectus, quas eaſdem ſcite ac diſtincte paucis verbis expreſſit LEO *Magnus* in Epiſtola ad THEODORUM Epiſcopum: *Chriſtus*, inquit, *hanc Praepoſitis Eccleſiae tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem poenitentiae darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Porro ex tribus iſtis quae duae ſunt extremae, prima, & tertia nunc etiam apud nos in privata Sacramenti hujus adminiſtratione locum habent. Nam & manum principio imponens poenitenti Sacerdos bene illi precatur ad Confeſſionem recte obeundam, & expleta Confeſſione, manum iterum, ut abſolvat, imponit. Media tantum illa, quae tunc ſcilicet uſurpabatur, cum aſpera, & luctuoſa illa fiebant a poenitentibus, quae deſcribuntur a TERTULLIANO *de Poenitentia*, & a CYPRIANO de *Lapſis*, & poſtquam poenitentia publica vel penitus exolevit, vel in hac parte ſublata eſt, in uſu pariter & ipſa eſſe deſiit. SIRMONDUS *in hiſt. Poenit. Publ. cap. VII.* Adde his omnibus manuum impoſitionibus eam, quam Chriſtus *Marci* XVI. praeſcripſit ad morbos curandos.

INCENSARIUM, INCENSORIUM, thuribulum. *Incenſorium de argento unum*, Chron. Caſſin. l. 2. c. 98. Vide HANNAPUS.

INCENSUM. Uſus thuris, ſeu incenſi in Eccleſia Dei vetuſtiſſimus eſt; & a *Malachia* Propheta *cap. I. v.* 2. juxta verſionem ſeptuaginta Interpretum praedictus ἐν παντὶ τόπω θυμίαμα προσφέρεται τῷ ὀνόματί μου καὶ θυσία καθαρά, ut S. JUSTINUS in *Dialogo* cum TRYPHONE legit, *in omni loco thymiama offertur nomini meo, & ſacrificium mundum.* Hinc in omnibus *Orien-*

Digitized by Google

Orientalium Liturgiis thus, & thuribulum tam frequenter recurrunt: Templum enim, & altare, dona ſacra, Evangelium, ſacras Imagines, Sacerdotes, Presbyteros, Clerum, & populum, mortuorumque fidelium cadavera thurificare ſolent. Praeter Liturgias vide S. BASILIUM *Hom. de* S. GORDIO *Martyre*, S. EPHREM *in Teſtamento ſuo*, DIONYSIUM AREOPAGITAM, ſive alium Auctorem *de Eccleſiaſtica Hierarchia cap.* 3., Canones Apoſtolorum *can.* 3. *&c.* In Occidente thus in funeribus adhibebatur. TERT. *apol. cap.* 40. Thuribulum Sacerdotem praecedebat, quum Eccleſiam ſacrificaturus adiret. Ordo *Romanus* primus *Hittorpii* de proceſſione Pontificis e ſecretario ad aram deſcribens: *Tunc Miniſtri, cum Thimiameterio, & Thuribulis non amplius ternis procedunt ante ipſum Pontificem, mittentes incenſum.* PAULLUS Diaconus *Emeritenſis de Vitis Patr. Emeritenſ. cap.* 6. de FIDELE Epiſcopo *Emeritenſi* agens: *moxque*, inquit ille, *conſurgens Diaconibus ex more thuribula gerentibus, & ante eum praecedentibus, cum univerſis, qui aderant, ad Eccleſiam perrexit, quatenus Deo adjuvante Miſſarum ſolemnia celebrarent &c.* Thus quoque praecedebat Evangelium ab altare ad ambonem procedens, & ab ambone ad altare rediens. *Ord. Rom.* citatus, & MICROLOGUS *cap.* 9. In quibuſdam Eccleſiis altare thurificabant, & oblata; teſtis eſt S. AMBROSIUS in *Lucam lib.* 1. *cap.* 1. *Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, ſacrificium deferentibus adſiſtat Angelus. Imo praebeat ſe videndum; non enim dubites adſiſtere Angelum, quando Chriſtus adſiſtit, quando Chriſtus immolatur.* Porro quotieſcumque incenſum thuribulo imponeret Sacerdos, illud prius benedicebat. Harum benedictionum formulae plures apud MARTENIUM leguntur *de ant. Eccl. ritib. Tom. I. l.* 1. *cap.* 4. *art.* 12., inter quas *pag.* 532. eſt haec in Pontificali PRUDENTII *Trecenſis* Epiſcopi: *Hoc incenſum ad omnem putorem nocivum extinguendum Dominus benedicat, & in odorem ſuavitatis ſuae accendat.*

INCISIO, INCISIONES. Diviſiones, ſeu Pauſae. Apud MARTENE l. 1. c. 2. *A Kalendis Novembris ad Coenam Domini ante nocturnos pſalmos triginta decantabant ex* UDALRICO *l.* 4. *c.* 41. *Ab octava autem Paſchae ad praedictas kalendas, quindecim dumtaxat pſalmos graduales, idque cum triplici inciſione, & precibus ad ſingulas inciſiones, hoc eſt ad ſingulos denos pſalmos, cum triginta dicebantur, vel ad quinos, cum quindecim tantum.*

INDICTIO. Indictiones cum NORISIO, & MAFFEJO vulgo putant ſub CONSTANTINO MAGNO anno CCCXII. prodiiſſe, quamquam meminit quidem Indictionis AMBROSIUS, & poſt eum THEODOSIANUS Codex, ſed apud alios tamen aetate ſuperiores, ne ullum quidem ejus veſtigium eſt. Tria tamen de Indictione certa ſunt: primum Indictiones nihil aliud eſſe, quam tributa, quorum modus quotannis indicebatur: alterum, Indictiones ſingulas dicimoquincto quoque anno terminari: tertium illarum uſum fuiſſe triplicem: alia enim incipit a Kalendis Septembris, quae *Conſtantinopolitana*, alia ab octavo Kal. Octobris, quae *Caeſarea*, alia a Kalendis Januariis, quae ideo & *Pontificia* dicitur, & *Romana*, quod in Pontificiis praeſertim Diplomatibus uſurpetur. Multo tamen poſt CONSTANTINI tempora in *Romanorum* Pontificum epiſtolis, aliiſque Eccleſiaſticis monumentis indictio adſcribi coepta eſt. Inter *Romanos* Pontifices SYMMACHUS

ep. III.

Digitized by Google

ep. III. ad LIBERIUM Patricium primus, ut CANTELIUS opinatur, eam notare inſtituit: *Data XVIII. Kalend. Novembr. die, Indictione VIII.* Poſtquam Conſulum nomina adpingi deſierunt, uſus Indictionis frequentior fuit, ſaepiuſque cum a PELAGIO II., tum ab aliis deinceps Pontificibus adhibita, ut in illorum epiſtolis legere licet. Ad annum fere MCXCI. ea adnotandae Indictionis conſuetudo obtinuit, quamvis a nonnullis interdum neglecta CAELESTINUS III. eam uſurpare deſtitit, ejuſque exemplo INNOCENTIUS III., GREGORIUS IX., ALEXANDER IV., CLEMENS IV., MARTINUS IV. & alii.

INDICULUM PONTIFICIS, *ita* in libro diurno Romanorum Pontificum profeſſio Fidei vocatur, quam electus Romanus Pontifex ante ordinationem emittere conſueverat, & a Notario, & Scriniario ipſius juſſu conſcriptam, atque a ſe ſubſcriptam Beato PETRO ad ejus confeſſionem offerebat. Vide GARNERII Librum diurnum *cap. II. Tit.* 9. Aliud erat *Indiculum Epiſcopi*, quo ſcilicet Epiſcopus in ſua ordinatione ſe obligabat Sedi Apoſtolicae. Extat hujus indiculi formula in eodem libro diurno *cap. III. Tit.* 8.

INFANTES. Neophyti omnes, etſi aetate ſenes, *Infantes* appellabantur: hinc octavae Paſchae apud S. Auguſtinum *octavae infantum* appellantur; quotquot enim baptizati erant, utpote regenerati, novam vitam ingreſſi erant. Hinc *Infantes*, hinc etiam *Infantia*. Huc refer illud Sacramentarii *Gelaſiani* in conſecratione fontis, eum orant, ut fons *ſanctificatione concepta, ab immaculato Divini fontis utero, in novam renata creaturam, progenies caeleſtis emergat, & quos, ut ſexus in corpore, aut aetas diſcernit in tempore, omnes in unam pariat gratia mater infantiam.* Infantes vocantur etiam pueri, qui in choro divinas laudes canebant, & pſallebant. Hic mos diu viguit in Eccleſia tum *Orientali*, tum *Occidentali*, ut omnes in Eccleſia canerent, ut ex NICET. *lib. de bono Pſalmodiae*, ex AMBROSIO epiſt. ad ſororem, ex FORTUNATO *lib.* 10.

Pontificis monitis Clerus, plebs pſallit, & infans:

In antiquis ritualibus Monaſticis frequentiſſima fit mentio puerorum in Choro cantantium, vel alia munia exercentium. Horum quoque infantium, ſeu puerorum ſaepe meminit liturgia *Ambroſiana*, tum in officio, tum in Miſſa. In Sabbatho Sancto, poſt lectionem tertiam de libro *Exodi*: *Canticum puerorum, cujus priorem verſum unus puerorum ſolus cantat, reliquos cum aliis.* Et apud PURICELL. *Monum. Baſilicae Ambroſianae* pag. 428. *Aliis parvulis Clericis cantantibus in Choro, panem, & vinum ſecundum conſuetudinem aliarum feſtivitatum.*

INFIRMORUM COMMUNIO. Viaticum vulgatius dicimus ex URSENSI Concilio *can. 3.*, immo & ex *Nicaeno* Concilio *can. XV.*, de quo vide infra V. Viaticum. Ὀδοιπόριον vocat Concilium ANCYRANUM *cap. 6.*, illudque dari aegrotis praecepit, ut eo quaſi commeatu poſſent in meliorem locum commeare. Concilium *Turonenſe* apud REGINONEM *lib.* 1. *Eccl. diſcipl. cap.* 70. praeſcribit, ut Presbyter habeat pyxidem, aut vas tanto Sacramento dignum, ubi Corpus Dominicum diligenter recondatur ad Viaticum recedentibus a ſaeculo, eamque ſacram oblationem jubet intinctam

Digitized by Google

ctam eſſe in Sanguine Chriſti. Ac vetuſtior quidem fuit hic mos deferendae ad infirmos intinctae Euchariſtiae, ut MALDONATUS oſtendit *pag.* 167. Sed olim quoque non ſolum Diaconi, ſed pueri quoque, atque adeo feminae Euchariſtiam infirmis porrigebant: quae omnia jure poſtea a Conciliis proſcripta ſunt. Confer eumdem MALDONATUM *p.* 165. & quae ad eum adnotavi. Illud etiam haereſeos BERENGARIANAE cauſſa, ut major in Euchariſtiam veneratio apud populos excitaretur, inductum deinde, ut nonniſi majore pompa, dato ſigno, immo & praecedente campanulae ſono ad infirmos Euchariſtia deportaretur. Confer S. EDMUNDI *Cantuarienſis* Epiſcopi Conſtitutionem, aliaſque ſanctiones, quas ad eumdem MALDONATUM *pag.* 166. indicavi. Ac de tintinnabuli pulſatione a Scholaſtico, ſeu Campanario facienda apud ALBERICUM in *Chronico ad ann.* 1200. exſtat peculiare ſtatutum GUIDONIS Cardinalis, & Sedis Apoſtolicae in Germania Legati. Sed de varia in deferendo ad aegrotos Viatico diſciplina conſule praeter BARONIUM *in Martyr.* ad d. *XVIII. Kal. Sept.*, BONAM *lib. II. cap.* 17. §. 5., MARTENIUM, GRANCOLASIUM, & GEORGIUM, conſule Excellentiſſ. Praeſulem GARAMPIUM in Vita B. CLARAE *Ariminenſis p.* 187. & 509.

INFRA (ideſt intra) Actionem, ſeu Canonem. Haec formula non ſolum in noſtris Miſſalibus occurrit, ſed etiam in Liturgia *Ambroſiana*, ubi poſt ea verba: *tibique reddunt vota ſua &c.*, continenter additur: *Propria infra Canonem, vel etiam actionem. Infra actionem* ejuſdem Paſchae, & octavae: *infra actionem* ejuſdem Pentecoſtes, & octavae: Commune *infra Canonem*: Commune *infra actionem*.

INFULA, mitra; eſt etiam caſula, planeta, ut videre eſt apud HUGONEM de S. VICTORE in *Specul. Eccl. lib.* 1. *cap.* 26. „ Caſula, quae alio „ nomine *planeta*, vel *infula* dicitur „, *& lib.* 3. *cap.* 8. „ Sciendum, quod „ ab hac die (*Septuageſimae*) uſque in Paſcha, non induitur Diaconus Dal„ matica, nec Subdiaconus Tunica, ſed induuntur Infulis. „

INFUSORIUM ECCLESIAE, communi loquendi modo Sacrarium; alias Piſcina. *Tollat, & lavet os infirmi, & mittat in infuſorio Eccleſiae, aut in foco apud* MARTENE *lib.* 5. *cap.* 8.

INGRESSA *Ambroſianis* eſt, quod nobis *Romanis* introitus Miſſae.

INGRESSUS *major* eſt ſolemnis illa pompa, & ingens apparatus, quo *Graeci* ex protheſi ad majus altare, ſeu Bema ſacra, Dona conſecranda deferunt. Ritus hujus Ingreſſus vide apud BONAM *lib.* 2. *c.* 29. *Rer. Liturgic. Ingreſſus, ſeu introitus minor* apud eoſdem eſt, quum Diaconus traditum ſibi a Sacerdote librum Evangeliorum ad altare defert.

INLATIO: apud *Gotho-hiſpanos Inlatio*, aut *Illatio* conſtanter dicitur ea prolixa oratio, quae in Liturgia *Romana*, & in *Ambroſiana Praefatio* appellatur, in Liturgiis Gallicanis *Conteſtatio*, aut *Immolatio Miſſae*. S. ISIDORUS de *off. Eccl.* lib. 1. cap. 15. *Quinta*, oratio, *infertur* ILLATIO *in ſanctificatione oblationis, in qua etiam ad Dei laudem terreſtrium creatura, virtutum coeleſtium univerſitas provocatur, & Oſanna in excelſis cantatur.* Illationem S. ISIDORUS ad orationem *poſt pridie*, ſive ut ille loquitur, *ad con-*

firma-

Digitized by Google

firmationem Sacramenti extendit, atque adeo complectitur etiam orationem *poſt Sanctus*, & conſecrationem, & hinc fortaſſe a *Gallis* dicta eſt *Immolatio*; quia ea oratio verba inſtitutionis Chriſti habet, quibus tranſubſtantiantur elementa, & ſacrificium immolatur. Attamen tam in Miſſali *Mozarabum*, quam in libris *Gallicanis* oratio *poſt Sanctus* proprio titulo ab *Illatione*, aut ab *Immolatione* diſtinguitur.

INSCRIPTIONE DAMNATI. Erat inſcriptio antiquum genus ſupplicii, quo ſumma irrogabatur ignominia, quum liberi hominis facies atris notis perpetuo manſuris profundis characteribus incideretur. Meminit ejus ſupplicii SENECA *lib. 3. de ira cap. 3.*, cum ait: *Varia vinculorum genera, varia poenarum, lacerationes membrorum, inſcriptiones frontis &c.* Ejuſmodi porro ignominia adfici ſolitos Chriſtianos Confeſſores, docet PONTIUS Diac. in Vita S. CYPRIANI, dum ait: *Quis denique tot Confeſſores frontium notatarum ſecunda inſcriptione ſignatos, & ad exemplum martyrii ſuperſtites reſervatos, incentivo tubae coeleſtis animaret?* Haec ille. CONSTANTINUS Imperator ejuſmodi vultus deturpationem lege vetuit. Sub JULIANO tamen Apoſtata S. FLAVIANUS Expraefectus, cujus memoria 22. Decembr. recolitur, ea poena mulctatus fuit, quemadmodum etiam multis poſt ſaeculis, THEOPHILO Imp. Iconoclaſta jubente, ſancti THEOPHANES, ac THEODORUS fratres.

INSTITUTIO, Ritualis liber. V. *Bibliotb. Ritual. T. I. p. 154.*

INSUFFLATIO. Ritus inſufflandi a Chriſto Domino originem ducit; qui *Joh. XX. 22.* facultatem remittendi peccata Apoſtolis conferens *inſufflavit, & dixit: adcipite Spiritum Sanctum, quorum &c.* Inſufflatio priſcis fidelibus frequenter in uſu erat, tum ad malos Daemones in fugam vertendos, S. CYRILL. *Hieroſ. Catech. 22.*, TERTULLIAN. *de Idolol. cap. 11. & Apologet. c. 33.* PRUDENTIUS *in agone Romani*; tum ad Spiritus Sancti dona conferenda. Sic in Sacramentario *Gregoriano* P. AMELII rubrica praeſcribit: *Inſufflet in aquam tribus vicibus*, & additur: *deſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus Sancti &c.* De inſufflatione in fontis baptiſmalis benedictione ſilent Sacramentaria *Gelaſianum*, & *Bobianum*, & Miſſale *Gallicanum*. At inſufflationem diſtincte praeſcribunt Miſſale *Mozarabum*, Miſſale *Gallo-gothicum*, & Graecorum Euchologium *offic. Bapt. edit. Goarii pag. 353. Gotho-hiſpanis* inſufflatio cum exorciſmo conjuncta erat. S. ISID. *orig. lib. 6. c. 19.*, *& offic. lib. 2. cap. 20. Gallos* quoque inſufflationem cum exorciſmo conjunxiſſe oſtendit Miſſale *Gallo-gothicum* N. XXXV. *pag. 248. col. 2. ed. Pariſien.* Demum Miſſale *Ambroſianum* P. AMELII praeſcribit exorciſmum cum *inſufflatione*.

INTERDICTUM, Cenſurae Eccleſiaſticae genus, quo univerſitati, aut certae ejus parti facultas exercendae Religionis adimitur, Clerici officia ſaltem publice celebrare vetantur.

INTERPONTIFICIUM eſt, quando Sedes Apoſtolica vacat, & Papa non eſt, ſicuti dicitur interregnum, quando Rex non eſt.

INTERSTARE dicebatur apud *Cluniacenſes* de Monachis in Choro, qui ad officium divinum alterni ſedebant, & alterni ſtabant, hoc ſcilicet ordine,

ut inter duos ſtantes unus ſederet, & viciſſim. *Vetus diſcipl. Monaſt. p.* 413. & *ſeq.*

INTINCTIO, Baptiſmus. *Itaque Audientes optare Intinctionem, non praeſumere oportet*. TERTULL. *de poenit.*

INTROIBO *ad Altare Dei*, ritu *Gotho-hiſpano* ſemel dicebatur ante illationem, ſeu praefationem. At recentiores *Mozarabes* in Miſſa ſua bis dicunt, primum more *Romano*, priuſquam Sacerdos ad altare adſcendat, iterum ex *Gotho-hiſpano* ritu ante illationem.

INTROITUS, antiphona, quae tunc canitur quum Sacerdos intrat ad altare. Ejus inſtitutionem plerique COELESTINO tribuunt, GREGORIO M. HONORIUS in *Gemma l.* 1. *c.* 87., qui tamen COELESTINUM Pſalmorum ad introitum canendorum auctorem facit. Duplex autem eſt Introitus genus, alterum *regulare*, quod introitus deſignat ex Pſalmis decerptos, alterum *irregulare*, ad quod introitus ſpectant, vel ex aliis Scripturae locis, vel aliunde deſumpti, ut *Puer natus eſt nobis; Salve Sancta parens &c.*

INVENTIO S. CRUCIS. Vide CRUX DOMINICA.

INVITATORIUM, in Miſſa *Introitum* denotat: in horis Canonicis Pſalmum *Venite exultemus*. Vide VOCATORIUM.

JOCALE, Monile, Gemma; nonnulli *Rationale* eſſe volunt. *Poſt ordinabitur proceſſio. Diaconus portabit Jocale*. Conſuetudines S. GERMANI.

JUBILATIO. Vide SEQUENTIA.

JUBILAEUS annus erat *Hebraeis* remiſſionis, qui ſeptenis annorum hebdomadibus, id eſt quadraginta novem annis texitur: in quo buccinatur tubis in ſignum laetitiae. Dicitur ab hebraeo *Jobel*, quod eſt buccina (quae per buccam inflatur) uti *Joſue* cap. 6. *Sacerdotes tollent ſeptem buccinas, quarum uſus eſt in Jubilaeo*. Et recte annus ille Jubilaeus dicebatur: erat enim maximae Jubilationis, & laetitiae, quem multi praeſertim miſeri vehementi deſiderio expectabant: nam ſervi omnes eo anno libertate donabantur, debitores ad ſolvendum conſtringi non poterant, exules omnes ad patrium ſolum poterant redire. Chriſtianis quoque ſuus eſt Jubilaeus annus. Primus enimvero, qui Jubilaeum non quidem inſtituerit, (ut falſo quidam arbitrati ſunt) ſed Encyclicis litteris indixerit, certaque pia opera peragenda pro ejuſdem conſecutione praeſcripſerit, fuit BONIFACIUS VIII. ex nobili *Cajetana* Familia *Anagniae* ortus. Quum enim Kalendis Januarii ann. reparatae ſalutis MCCC. Vaticanam S. PETRI Eccleſiam *Romanus* Populus catervatim inviſeret, ut magnam lucraretur Indulgentiam, quam centeſimo quolibet anno a viſitantibus memoratam Eccleſiam acquirere poſſe conſtans fama, vetuſtiſſimaque traditio perhibebat; ea Fidelium pietate permotus BONIFACIUS, de Jubilaei fama inquiri primum juſſit; mox ex conſilio Cardinalium 8. Kalend. Martii ejuſdem anni Conſtitutionem edidit incipientem: *Antiquorum habet fida relatio*, quam ipſe Pontifex in Eccleſia S. PETRI legens promulgavit. Hac itaque Conſtitutione antiquam conſuetudinem approbans, ſtatuit, ut centeſimo quolibet anno plenariam Indulgentiam conſequerentur *Romani*, ſi per triginta vices, Peregrini vero, aut Forenſes, ſi per quindecim *Vaticanam* Principis Apoſtolorum, & *Oſtienſem* S. PAULLI Baſilicas vere poenitentes, & confeſſi, reverenter viſitarent.

CLE-

Digitized by Google

CLEMENS VI. ex *Lemovicenſi* Familia, quum *Avenione* reſideret, ad. cepiſſetque *Romanorum* Legatos illuc profectos, ut contractionem centenariae Indulgentiae ad quinquageſimum quemlibet annum impetrarent, eorum petitioni adnuendum cenſuit. Quare die 1. Januarii Pontificatus ſui anno I. Conſtitutionem edidit incip. *Unigenitus*; qua magnum Jubilaeum quinquageſimo quolibet anno celebrandum eſſe ſtatuit, injungitque, ut praeter Baſilicas *Vaticanam* S. PETRI, & *Oſtienſem* S. PAULLI, Patriarchalis quoque *S. Johannis in Laterano* viſitetur. Per eamdem Conſtitutionem indictum fuit Jubilaeum pro anno 1350., quod ſub eodem Pontifice ingenti populorum concurſu celebratum fuit.

GREGORIUS XI. licet nullum Jubilaeum indixerit, per Bullam tamen *Avenione* datam III. Kalend. Maji anno 1373. incip. *Salvator noſter*, conſtituit, ut impoſterum Jubilaeum conſecuturi, praeter tres Baſilicas *Vaticanam*, *Oſtienſem*, & *Lateranenſem*, *Liberianam* quoque, quam Sanctae *Mariae Majoris* dicunt, viſitarent. Mox URBANUS VI., qui GREGORIO in Pontificatu ſucceſſit, breviorem paullatim fieri hominum vitam proſpiciens, III. Idus Aprilis ann. 1389. quinquagenarium Jubilaeum ad annos quoslibet 33. in memoriam annorum Chriſti reduxit, ac ſimul indixit inchoandum a Nativitate Domini anni 1389. uſque ad eamdem ſolemnitatem anni inſequentis 1390. Quum tamen ipſe die 15. Octobris ejuſdem anni obiiſſet, Jubilaeum ab URBANO indictum ejus Succeſſor BONIFACIUS IX. celebravit.

Anno reparatae ſalutis 1400., qui ex BONIFACII VIII. Conſtitutione erat centenarius, & ex Bulla CLEMENTIS VI. quinquageſimus, plurimi, praeſertim ex *Gallia*, ad Urbem peregrini adceſſere, Indulgentias ab utroque memorato Pontifice conceſſas lucraturi. Quamquam autem BONIFACIUS IX. adhuc ſuperſtes Jubilaeum hoc anno celebrandum non indixiſſet, ipſo tamen tacente, & permittente celebratum fuiſſe dicendum eſt, juxta BONIFACII VIII., vel CLEMENTIS VI. conſtitutiones, quas nullus *Romanus* Pontifex aut ſuſpenderat, aut revocaverat. Quare cum permiſſum quidem fuerit, ſed non indictum a Pontifice, merito ab aliorum Jubilaeorum numero expungitur.

MARTINUS V. anno 1423., qui triceſimus tertius erat ab anno piaculari 1390., reductionem URBANI VI. ratam habens, Jubilaeum a ſe indictum celebravit, uti teſtantur PAULLUS II. in ſua Bulla incip. *Ineffabilis*, & JULIUS III. in ſua incip. *Si Paſtores ovium*. Hujus tamen Jubilaei, quum ob temporum calamitates admodum infrequens fuerit peregrinorum in Urbem adventus, veteres Hiſtorici non meminerunt.

Quum MARTINO V. EUGENIUS IV., EUGENIO vero NICOLAUS V. *Sarzanenſis*, ſublato ſchiſmate, ſucceſſiſſet, hic Jubilaei reductionem ad annum quinquageſimum a CLEMENTE VI. ſtabilitam confirmavit, ſuaque Conſtitutione incip. *Immenſa, & Innumerabilia*, edita 19. Januarii 1449. Jubilaeum indixit, quod anno 1450. ingenti populorum concurſu, teſte S. ANTONINO, celebravit.

Novam adhuc quoad Jubilaei celebrandi tempus mutationem induxit PAULLUS II. Is enim 13. Kalend. Maji 1470. bullam edidit incip. *Ineffabilis*, in qua recenſitis omnibus, quae de piaculari anno deceſſores Pontifi-

Digitized by Google

ces conſtituerant, illud quolibet viceſimo quincto anno celebrari impoſterum juſſit, indixitque primum pro anno 1475. Verum, eo morte praerepto, Jubilaeum iterum indixit, & anno 1475. celebravit SIXTUS IV., qui primus ſua Conſtit. incip. *Quemadmodum Operarii*, edita 29. Auguſti 1473. alias quaſcumque plenarias Indulgentias (exceptis Eccleſiarum Urbis indulgentiis) omniaque privilegia, & facultates abſolvendi occaſione Indulgentiarum, ad ſui, Sediſque Apoſtolicae beneplacitum revocavit.

Anno 1500. Jubilaeum celebravit ALEXANDER VI. *Borgia Hiſpanus*, qui illud bis indixerat, videlicet pridie Idus Aprilis 1499. & 13. Kalend. Januar. eodem anno. Is ſua Conſtit. incip. *Inter curas multiplices*, injungit viſitationem quatuor Baſilicarum, & ſpecialiter praeſcribit, ut altare majus in illis viſitetur: edicit, velle ſe ſuis manibus magna cum ſolemnitate, & cum Cardinalium Collegio Portam Sanctam *Vaticanae* Eccleſiae aperire, aliarum vero aperitionem ſuis Legatis ſe eſſe commiſſurum. Indulgentiam plenariam pro Defunctis lucrandam concedit, dummodo aliqua eleemoſyna adjutrices manus porrigantur Baſilicae S. PETRI. In alia vero Conſtit. incip. *Paſtoris aeterni*, Poenitentiariis omnibus Baſilicae S. PETRI facultatem largitur abſolvendi ab omnibus caſibus Papalibus, etiam Bullae *Coenae*, etiamſi ſpeciali mentione indigerent, exceptis tamen his quatuor: 1. Conſpirationis in *Romanum* Pontificem, ejus Statum, & Sedem. 2. Falſitatis Literarum, & Commiſſionum Apoſtolicarum. 3. Delationis armorum, aliarumque rerum prohibitarum ad Infideles. 4. Injectionis manuum violentarum in Epiſcopos, & Praelatos Superiores. Ceteris vero Urbis, aliorumque locorum Confeſſariis ſub poena excommunicationis latae ſententiae hujuſmodi facultatem ſuſpendit. Tandem alia Conſtit. incip. *Commiſſum nobis*, edita die 16. Decembris 1500. ob ingentem Peregrinorum concurſum uſque ad Epiphaniam Domini anni 1501. Jubilaeum produxit.

CLEMENS VII. e *Medicea* Familia *Florentinus* 10. Kalend. Januarii 1524. duabus Conſtitutionibus, quarum prima incipit: *Inter ſollicitudines*, altera *Paſtoris aeterni*, Jubilaeum promulgavit. In prima Bulla dicit Pontifex, ſe per alias litteras Jubilaeum indixiſſe, pro quo celebrando ea omnia ſtatuit, quae in praeterito Jubilaeo ALEXANDER VI. conſtituerat, ſolumque addit expreſſe generalem ubique plenariarum Indulgentiarum ſuſpenſionem. In ſecunda conſuetas facultates dat Poenitentiariis, quas aliis Confeſſariis ſuſpendit. Celebratum eſt ab eodem CLEMENTE hoc Jubilaeum anno 1525. ſed infrequens fuit ad illum Exterorum concurſus ob peſtilentiam, bella, ac *Lutheranorum* turbas. Primus hic Pontifex Portam Auream, ſive Sanctam Equitibus S. PETRI Militibus nuncupatis cuſtodiendam tradidit, uti perhibet VICTORELLIUS.

Jubilaeum anno 1550. celebrandum indixerat PAULLUS III. At, eo e vivis ſublato 4. nonas Novembris ann. 1549., JULIUS III. qui 6. Idus Februarii electus, & 8. Kalend. Martii 1550. coronatus fuit Pontifex, 6. Kalend. Martii ejuſdem anni Conſtitutionem edidit incip. *Si Paſtores ovium*, qua Jubilaeum iterum indixit, illudque incepiſſe a Veſperis Nativitatis Domini praeteriti declaravit. Eadem autem die S. *Matthiae* ſacra ipſe Vaticanam Portam, alias vero per Cardinales Legatos reſeravit. Conſuetas facul-

Digitized by Google

facultates, ac plenarias Indulgentias ſuſpendit: ab hac autem ſuſpenſione excepit Indulgentias Eccleſiarum Urbis, & Indulgentias, ac privilegia, quibus nunc exſtincta Societas Jeſu a PAULLO III. fuerat abunde cumulata. Portam Sanctam non hoc anno clauſit, ſed die Epiphaniae anni inſequentis 1551.

VI. Idus Maji anni 1574. GREGORIUS XIII. *Boncompagnus Bononienſis* Bullam edidit de Jubilaeo celebrando anno 1575. incipientem: *Dominus, ac Redemptor noſter*; quam bis promulgavit, primum quidem die 20. Maji in Adſcenſione Domini, deinde Dominica IV. Adventus. Jubilaeum indixit inchoandum a pervigilio Nativitatis Domini, *& finiendum per totum annum ipſum* 1575. De Baſilicarum viſitatione loquens non expreſſit altaria majora, ſed orationem pro ſui, & totius Chriſtiani Populi incolumitate injunxit. Per aliam Conſtit. incip. *Quoniam Sancti* Jubilaei editam Idibus Novembris 1574., Indulgentias omnes plenarias, atque abſolvendi facultates ſuſpendit, Indulgentias tamen omnes Eccleſiarum Urbis praeſervavit. Aperienti GREGORIO Portam Sanctam fractus eſt malleus, digituſque leviter laeſus. Eadem Porta reſerata, tanta irruit hominum multitudo, ut plurimi oppreſſi interierint. Bacchanalia hoc anno Pontifex interdixit, conſuetaque bravia in pios uſus erogavit. Quater equitando Baſilicas inviſit, & quater etiam ſeptem luſtravit Eccleſias. Quotidie a prandio Peregrinos plurimos ad pedis oſculum excepit, & aliquando una die uſque ad tredecim milia. Incredibilis fuit Peregrinorum frequentia, quos inter S. CAROLUS BORROMEUS, qui nudis pedibus Baſilicas viſitavit. Idem GREGORIUS Portam Sanctam Baſilicae *Vaticanae* clauſit, alias vero per Legatos.

Undecimum Jubilaeum anno 1600. celebravit CLEMENS VIII. *Florentinus* ex *Aldobrandina* Familia, qui illud promulgaverat Conſtitutione edita 14. Kalend. Junii 1599. incip. *Annus Domini*, inchoandum a primis Veſperis Nativitatis Domini, & continuandum per totum annum 1600. Alia Conſtitutione edita 12. Kalend. Junii 1599. incipien. *Cum Sancti Jubilaei*, ſuſpendit generaliter indulgentias omnes, & facultates non eum formula conſueta *ad beneplacitum*, ſed cum hac, *durante hoc anno*, addiditque poenam excommunicationis latae ſententiae, non tamen reſervatae, adverſus promulgantes alias indulgentias. Podagra impeditus Portam Sanctam nonniſi ultima die anni 1599. aperuit, eamdemque ob cauſſam nonniſi anno 1601. in Octava Epiphaniae illam clauſit, Jubilaeo uſque ad illam diem protracto. Maxima fuit Peregrinorum Romam confluentium frequentia, eoſque ad tricies centena millia adſcendiſſe refert SPONDANUS *ad annum* 1600.

URBANUS VIII. ex *Barberina* Familia *Florentinus* Jubilaeum celebravit anno 1625. Illud indixit per Conſtit. incip. *Omnes Gentes*, editam 13. Kalend. Maji 1624., quae fuit ſimilis bullae Indictionis editae a CLEMENTE VIII. Per aliam Conſtit. incip. *Cum nuper* 6. nonas Maji 1624. indulgentias omnes, & abſolvendi facultates generaliter ſuſpendit *durante Anno Sancto*. Per aliam incip. pariter *Cum nuper* 31. Julii 1624. Indulgentiam Portiunculae ſuſpenſam non eſſe declaravit. Anno vero 1625. die 28. Januarii Conſtitutionem edidit incipientem *Pontificia ſollicitudo*, qua Monialibus, Eremitis, carcere detentis, & infirmis Jubilaeum conceſſit cum facultate eligendi Con-

Confeſſarium, cui ampliſſimas tribuebat facultates. Eodem anno die 30. Januarii per Conſtit. incip. *Paterna Gregis cura*, Baſilicae S. PAULLI ob metum peſtis ſubſtituit viſitandam Eccleſiam *S. Mariae trans Tiberim*: menſe autem Novembri, ceſſante peſtis metu, renovata fuit caeremonia aperitionis Portae Sanctae in Baſilica S. PAULLI. Tandem eodem anno die 21. Aprilis per Conſtit. incip. *Divinae Miſericordiae*, Jubilaeum conceſſit iis omnibus, qui ſolemni ſupplicationi intereſſent habendae a S. PETRO ad *S. Mariam trans Tiberim*, vel intra eamdem hebdomadam tribus diebus jejunarent, ac S. PETRI Baſilicam viſitarent, addita ampla facultate eligendi Confeſſarium, uti in extraordinariis Jubilaeis fieri conſuevit.

Anno 1650. Jubilaeum celebravit INNOCENTIUS X., poſtquam illud promulgaſſet die 4. Maji 1649. per Conſtitutionem incip. *Appropinquat*; omneſque prorſus indulgentias, & facultates, ac privilegia abſolvendi ſuſpendiſſet per aliam Conſtit. incip. *Cum nos nuper.*, editam die 6. Maji eodem anno 1649., Jubilaeum hoc conceſſit Monialibus, Eremitis, carcere detentis, atque infirmis cum facultate eligendi Confeſſarium per Bullam editam die 12. Februarii 1650. incip. *Pontificia ſollicitudo*. Indulgentiam autem *S. Mariae Portiunculae* ſuſpenſam non eſſe declaravit per Conſtit. datam 5. Julii 1650. incip. *Cum ob Sacri Jubilaei*. *Romam* advenere Jubilaeum lucraturi MATTHIAS, & LEOPOLDUS Magni Etruriae Ducis Fratres, qui quum INNOCENTIUS peregrinorum pedes in *SS. Trinitatis* Xenodochio lavaret, aquam, & pelvim cum ſudario miniſtrarunt.

CLEMENS X. ex *Alteriorum* Familia *Romanus* 16. Kalend. Maji 1674. Jubilaeum indixit per Conſtit. incip. *Ad Apoſtolicae Vocis oraculum*. Indulgentias omnes, & facultates generatim de more ſuſpendit 3. nonas Maji ejuſdem anni 1674. per bullam incip. *Cum nos nuper*. Per dies quatuor ante Pervigilium Nativitatis Domini pulſari campanas juſſit mane, & meridie, & Veſpere. Die 1. Februarii 1675. per edictum Cardinalis Vicarii Poenitentiariis Baſilicarum, Parochis Urbis, omnibuſque Confeſſariis Regularibus facultatem tribuit abſolvendi ab omnibus peccatis, & a cenſuris etiam reſervatis, & diſpenſandi in votis, non tamen caſtitatis, & Religionis, neque in ulla irregularitate: declaravit non eſſe ſuſpenſas Indulgentias altarium privilegiatorum, neque alias pro defunctis directe conceſſas, neque Indulgentias pro mortis articulo, neque facultates S. Officii, & Congregationis de Propaganda Fide: praeſervavit Indulgentias ſeptem Eccleſiarum, & Scalae Sanctae: viſitantibus autem expoſitionem 40. horarum largitus eſt Indulgentiam 7. annorum pro ſingulis vicibus. Die 6. Februarii per Conſtit. incip. *Pontificia ſollicitudo*, extendit Jubilaeum ad Eremitas, carcere detentos, infirmos, & Moniales, declarans ſub his comprehendi Puellas educandas, & mulieres licet Saeculares in Monaſteriis cum clauſura degentes. Die 1. Augusti conceſſit Indulgentiam *Portiunculae*. Hoc anno per decretum Cardinalis Poenitentiarii invitati ſunt ad veniam Apoſtatae, ac fugitivi a Religionibus. Huic Jubilaeo, & aperitioni Portae Sanctae adfuit CHRISTINA *Suecorum* Regina.

Jubilaeum anni 1700. indixit INNOCENTIUS XII. *Pignatelli Neapolitanus* per Conſt. editam die 17. Maji 1699. incipien. *Regi ſaeculorum*, quae publi-

publicata eſt primum die Feſto Adſcenſionis Domini, deinde Dominica 4. Adventus. Alteram edidit bullam die 4. Junii ejuſdem anni incip. *Cum nos nuper*, qua Indulgentias omnes, & facultates de more ſuſpendit, praeſervans tamen Indulgentias Scalae Sanctae. Per alteram datam die 19. Januarii 1700. incip. *Pontificia ſollicitudo*, Jubilaeum de more conceſſit Monialibus, infirmis &c. Plures Inſtitutiones hoc anno edidit Cardinalis Vicarius. Prima edita eſt die 4. Januarii, ſimilis omnino illi, quae anno poſtremi Jubilaei emanaverat. Per alteram die 24. ejuſdem menſis praeſervata fuit Indulgentia pro adſociantibus SS. Viaticum. Per aliam die 6. Maji declaratum fuit, viſitationes quatuor Baſilicarum fieri debere intra diem naturalem a media nocte ad mediam noctem, & intactas relinqui Epiſcoporum, & Cardinalium in Pontificalibus, & Benedictionibus Indulgentias. Pro die 2. Auguſti praeſervata fuit Indulgentia *Portiunculae* etiam in omnibus Eccleſiis *Franciſcani* Ordinis *Romae*. In Pervigilio Nativitatis Domini anno 1699., quum aegrotaret non modo INNOCENTIUS, verum etiam Cardinalis CIBO Decanus, Portam auream S. Petri aperuit Cardinalis BULLIONIUS Subdecanus. Regina Vidua *Poloniae* MARIA CASIMIRA adfuit huic aperitioni, nudiſque pedibus ad ſepulcrum uſque S. PETRI perrexit. Obiit INNOCENTIUS die 27. Septembris hoc anno; quare CLEMENS XI., qui creatus eſt Pontifex die 23. Novembris, Jubilaeum abſolvit, auream que S. PETRI Portam clauſit.

BENEDICTUS XIII. *Urſinus Neapolitanus*, electus die 29. Maji, & coronatus die 4. Junii 1724., Jubilaeum indixit per Conſtit. editam die 26. Junii incip. *Redemptor, & Dominus noſter*, quae publicata primum fuit die 29. Junii in Feſto Ss. Apoſtolorum PETRI, & PAULLI, & mox die 17. Decembris Dominica III. Adventus. Die 6. Julii ejuſdem anni 1724. Indulgentias omnes ubilibet, ac facultates abſolvendi de more ſuſpendit per Bullam incip. *Cum nos nuper*. Die 20. Januarii 1725. Jubilaeum conceſſit Monialibus, Oblatis, Educandis &c. per Bullam incip. *Pontificia ſollicitudo*. Die 2. Martii 1725. per Conſtit. incip. *Decet Romanum Pontificem*, a ſuſpenſione excepit, ac de novo conceſſit Indulgentias Altaris privilegiati, ac directe datas pro Defunctis; Indulgentias pro mortis articulo, aliaſque dari ſolitas in Pontificalibus, ac benedictionibus Epiſcoporum; item indulgentias pro adſociantibus Viaticum, & pro orantibus ad ſignum ſalutationis Angelicae; & indulgentiam ſeptem annorum pro orantibus in oratione 40. horarum: tandem praeſervavit Indulgentias omnes, ac facultates S. Inquiſitionis, & Propagandae Fidei. Poſtremo per Conſtit. incip. *Salvatoris, & Domini noſtri*, editam die 28. Aprilis 1725., conceſſit, ut Fideles lucrari poſſent indulgentias omnes, ſed ſolum applicando illas pro Fidelibus Defunctis. Celebratum eſt hoc anno ab eodem BENEDICTO XIII. Concilium Provinciale *Romanum* in *Lateranenſi* Baſilica. Idem Pontifex aperuit, & clauſit Portam auream S. PETRI, reliquas vero aperuere, & clauſere Cardinales Legati. (1)

BENE-

(1) Hactenus Jubilaeorum annorum recenſionem dedimus, qualem Cl. AZEVEDO ediderat in Apparatu ad hiſtoriam, quam meditabatur Jubilaei ſequentis.

BENEDICTUS XIV. e nobili LAMBERTINIA Familia *Bononienſis* ad Summum Pontificatum die 17. Auguſti 1740. evectus, XIX. Februarii 1749. Encyclicas literas ad omnes Eccleſiaſticae ditionis Epiſcopos in praevium Jubilaei apparatum conſcripſit; die autem XV. Maji ſolemni edita Conſtitutione Jubilaeum ſequente anno celebrandum indixit. Grande volumen efficerent, ſi colligerentur Epiſtolae, quas eadem de cauſſa ſapientiſſimus Pontifex dedit, edicta ejus juſſu edita, inſtitutiones ab eo latae. Anno autem MDCCL. magna populorum frequentia Romae ſacer hic annus celebratus fuit.

CLEMENS XIV. Ord. *Min. Convent.* a die XIX. Maji ann. 1768. Catholicam Eccleſiam adminiſtrans, 12. Maji ann. 1774. ipſo ſcilicet Feſto Adſcenſionis die annum Jubilaeum ſequente anno 1775. celebrandum edita Conſtitutione indixit. Eo autem vita functo PIUS VI. feliciter regnans illum magna Chriſtiani populi frequentia celebravit.

JUBILUS, *Jubilatio*. Haec nomina veteres tribuerunt illis notis, quae ſine verbis poſt *Alleluja* cantantur, & ab aliis *Sequentiae* dicta ſunt. AMALARIUS lib. 3. cap. 16. *Haec Jubilatio, quam Cantores ſequentiam vocant, ſtatum illum ad mentem noſtram reducit, quando non erit neceſſaria locutio verborum.* Ordo Romanus: *Sequatur Jubilatio, quam Sequentiam vocant.* RADULPHUS *Tungrenſis* propoſit. 23. *Jubili autem ſunt neumata gradualium, & de Alleluja reſecandi non ſunt, niſi quum illorum loco Sequentiae decantarentur.*

JUGULUM. De NICOLAO ANASTASIUS T. III. p. 177. *Fecit enim in Confeſſione ipſius Sacratiſſimae Baſilicae* (B. PETRI) *jugulum de auro mundiſſimo.* Apex videtur fuiſſe, ſeu faſtigium. BULENGERO *de donat. Pontific. cap.* 60. eſt parvum jugum, quod ex auro, vel argento in Eccleſiis adponebatur in memoriam Evangelici dicti: *jugum enim meum &c.*

JUSTA, Vas ita barbaro aevo appellatum, quod juſtam, certamque liquidorum ſpeciem contineret. Inter ſacra vaſa, quae ann. 1136. HUGO *Cenomanenſis* Epiſc. ſuae Eccleſiae donavit, legimus *vaſcula duo, inter tenacia ducta per medium, vinum, & aquam in calicem fundentia, Leonem,* JUSTAM, *& cantarum, vaſa ſcilicet puriſſimo argento conflatilia, ſculpta mirifice.*

JUSTITIAE S. PETRI, quarum ſaepe mentio fit in libro Pontificali, & in *Romanorum Pontificum Epiſtolis*, urbes ſunt, patrimonia, & bona ad *Romanam* Eccleſiam pertinentia.

K

KAlendae Januarii. Quot ſuperſtitioſis ritibus apud Ethnicos eſſet is Januariarum Kalendarum dies inquinatus, quidque ad eos abolendos Eccleſia ſanxerit, BARONIUS in notis ad eum Martyrol. diem enarrat. Huc ſpectant, quae ſupra de jejunio Kalendarum Januarii diximus. Vide Jejunium.

KALENDARIUM. Vide Calendarium.

KALENDARIUS *dies*, Kalendae, ſeu prima menſis. *Si vero dies Kalendarius ſecunda, & tertia, vel quarta feria venerit &c.* GUIDO *diſcipl. Farfenſ. cap.* 39.

KYRIE

KYRIE ELEISON, precatio, quae apud omnes gentes in Eccleſiaſticis officiis adhibetur. Meminit illius S. AUGUSTINUS *ep.* 178. ſeu in altercatione cum PASCENTIO *Arriano*. Eam vero in *Gallias* invexit Concilium *Vaſenſe II.* ſub FELICE IV. *can.* 3. Quum autem apud *Graecos* omnis ſimul coetus concinat *Kyrie eleiſon*, S. GREG. M. ſtatuit, ut a Clericis diceretur populo reſpondente, addiditque, ut totidem vicibus, ſexies ſcilicet diceretur *Chriſte eleiſon*; quod *Graecis* in uſu non eſt. Vide *ejus* Epiſtolam 64. ad JOH. *Syracus. lib.* 7. Sequiore aevo in feſtis quibuſdam diebus coepit *Kyrie eleiſon* nonnullis, iiſque plerumque ineptis clauſulis interpolari. Exempla habes apud BONAM *lib.* 2. *cap.* 4. §. 2. Cur vero haec precatio *Graece* potius, quam *Latine* a *Latinis* dicatur, diſquirunt *Stephanus* DURANTUS, & SCORTIA. Exſtat in Miſſali *Mozarabum* Rubrica, qua in *Miſſa votiva omnimoda*, & in Miſſis Defunctorum Sacerdos monetur, ut *poſt Sacrificium* dicat *Kyrie eleiſon*, & chorus, ut reſpondeat *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*; quae veſtigia quaedam ſunt *precum fidelium*, in quibus ad ſingulas Diaconi petitiones Populus elata voce reſpondebat *Kyrie eleiſon*, & *Chriſte eleiſon*. In publicis quoque ſupplicationibus hujus Litaniae maximus uſus fuit. MABILLONIUS (*in Ordin. Rom. Comm. praev.*) *ex Caſſinenſi* Codice inſigne hujus rei documentum prodidit, quod ad X. Saeculi exitum CENNIO viſum eſt pertinere (*T. I. Cod. Carol. p.* 463.); in eo enim de ſupplicatione, quae in Deiparae Adſumptione habebatur *in ipſa Veſpera vigiliarum ad* S. MARIAM *Minorem*, in gradibus S. MARIAE *depoſita aliquamdiu Icona* (Chriſti Domini) *omnis chorus virorum, ac mulierum genibus humiliter ante eam flexis, pugnis etiam pectora caedentes una voce per numerum dixiſſe* perhibentur *centies* Kyrie eleiſon, *centies* Chriſte eleiſon, *item centies* Kyrie eleiſon. Sed etiam citra ſupplicationem in Eccleſiis eadem oratio celebrabatur. Dum ann. DCCLXXIV. Ticinum a CAROLO M. obſidebatur, uti ad eumdem CAROLUM HADRIANUS ſcribebat (*T. I. Cod. Carol. p.* 318.) *cotidie ..... omnes noſtri Sacerdotes, ſeu etiam Religioſi Dei famuli, Monachi per univerſa noſtra Monaſteria, ſimulque & reliquus populus tam per Titulos, quam per Diaconias trecentos* Kyrie eleiſon *extenſis vocibus pro vobis Deo noſtro ad clamandum non ceſſant*. Neque ſolum urgente aliqua Reipublicae calamitate haec precatio occinebatur a populo; ſed in ipſa diaconiarum Romanarum conceſſione edicebatur, *ut in eadem diaconia pro remiſſione peccatorum noſtrorum, omnes diaconites, & pauperes Chriſti, qui ibidem conveniunt*, Kyrie eleiſon *exclamare ſtudeant*. Vide Librum Diurnum Roman. Pontif. *cap. VII. num.* 17.

L

LABELLUM, vaſculum aquae luſtralis ad Eccleſiae fores poſitum, ut ea Fideles ſe adſpergant. Apud PURICELLUM p. 1157. *Et vidi Cuſtodes Monachorum portare aquam in Labello, qui eſt in Eccleſia* S. SATYRI.

LABORANTES. Vide Copiatae.

LABRUM. Vide Cantharus.

LAC, & MEL Neophytis datum. S. BARNABAS in Epiſtola ſect. 5. ed. MENARD. *Quid ergo lac & mel? Quia nimirum infans lacte, & melle*

vivificatur; *ſic & nos fide promiſſionis*, *& verbo nutrimur*; adludit autem ad ritum vetuſtum *Occidentalium* Eccleſiarum dandi Neophytis lac, & mel, quem in *Hiſpania* receptum fuiſſe, praeter alia ſuadet, quod aptiſſimus fuerit ad *Manichaeos*, atque adeo *Priſcillianiſtas* detegendos, qui teſte S. AUGUSTINO Haereſ. c. 46. *lactis alimonia non veſcuntur*. In Miſſali *Mozarabum* ſolus *favus mellis* memoratur; lac tantum in aliis Scriptoribus. ZENO *Veronenſis* Tr. 32. proxime baptizandos adloquens, *intrate ergo*, inquit, *intrate felices mox omnes ſimul ſubito futuri lactentes*; & Tract. 42. *Eccleſia*, inquit, *communis omnium mater*, *ne quem plus amare videatur*, *aut minus*, *unam nativitatem*, *unum lac*, *unum ſtipendium*, *unam Spiritus Sancti praeſtat omnibus dignitatem*, & S. PETRUS 1. ep. c. 2. v. 2. *Quaſi modo geniti infantes*, *rationabile*, *ſine dolo*, *lac concupiſcite*. Nihilominus lac, & mel non ſeorſim dabantur: ſed ſimul commixta ad modum potus Neophytis porrigebantur: unde S. HIERONYMUS *contra Luciferian. n.* 8. lavacro *egreſſos lactis*, *& mellis praeguſtare concordiam* dixit. TERTULLIANUS *de coron. milit. c.* 3. inter traditiones Apoſtolicas & hanc enumerat, quod a fonte ſuſcepti *lactis*, *& mellis praeguſtamus concordiam*; *& lib. 1. adv. Marcion. cap.* 14. idem TERTULLIANUS *lactis*, *& mellis ſocietatem* potum hunc myſticum nuncupavit; ad modum enim potus eam mixtionem lactis, & mellis datam fuiſſe Neophytis probat etiam vetuſta formula benedicendi lac & mel, quae in Sacramentario S. LEONIS extat: *T. IV. Anaſtaſ. proleg. 2. pag. XIX.*, eadem quae exſtat in Ordine Romano HITTORPII *pag. 79. Benedic*, *Domine*, *has creaturas fontis*, *mellis*, *& lactis*, *& pota famulos tuos ex hoc fonte*......*& nutri eos de hoc lacte*, *& melle*......*conjunge*, *Domine*, *famulos tuos Spiritui Sancto*, *ſicuti conjunctum eſt lac*, *& mel &c.* Et in Epiſtola JOHANNIS Diaconi (ejus, qui Vitam S. GREGORII ſcripſit, ut opinatur MABILLONIUS; quod tamen CENNIO falſiſſimum erat) ad SENARIUM *Muſaei Ital. par. 2. pag.* 72. legitur: *lac ergo*, *& mel potantur novi homines &c.* Atque adeo ſaeculo IX. in *Italia* mos potandi Neophytos lacte, & melle adhuc vigebat. Adverte tamen ex eadem epiſtola, quod ſaeculo IX. *Itali* lac, & mel in ſacro Calice offerebant, & benedicebant, quum olim *Romae*, & in *Italia* lac, & mel nec in ſacro Calice, nec ad altare, ſed in Baptiſterio benedicerentur; in *Africa* autem lac, & mel ſemel quotannis *in myſterio Infantum ad altare offerebantur*, quin tamen eadem, qua *Sacramentum Dominici Corporis*, *& Sanguinis*, benedictione ſanctificarentur (*Cod. Eccl. Afric. c.* 37.); quem ritum ex *Africa* in *Italiam* veniſſe credibile eſt.

LACUNIARIA. Vide HICINIARIUS.

LACUS porphyreticus cum concha anſata in medio aquam fundente ab HILARO Papa ante Oratorium *Sanctae Crucis* conſtitutus, de quo poſt ANASTASIUM *T. I. p.* 156. meminit JOHANNES Diaconus a MABILLONIO evulgatus *T. II. Muſaei Italici p.* 572., eſt labrum ingens. Vide FONTES.

LAICUS. Laicus ſaepe pro Monacho *converſo*, nec ſacris initiatus accipitur; ſaepe tamen nonniſi illiteratum ſignificat, quemadmodum CLERICUS virum litteris eruditum deſignabat, cujuſque modi is eſſet, profanus homo, ſeu ſacer. Apud MARTENIUM *T. V. Theſ. Anecd.* extat dialogus

Digitized by Google

gus inter *Ciſtercienſem*, & *Cluniacenſem*, ubi in hanc rem: *non proprie vocamus Coronatos* LAICOS *Monachos, niſi* LAICOS *adcipiamus per* ILLITERATOS. Praeter CANGIUM vide GARAMPIUM, qui & alios Auctores appellat, in Vita B. CLARAE *p. 35*.

LAMPADARIUM, *Lamparium*, Lampas major, quae in Eccleſia diebus ſolemnioribus adcendi ſolebat. *Adcipiunt cereos ardentes ad gradum ſub Lampario*. MARTENE *l. 3. c. 22*. Et Conſuetudines S. DIONYSII: *Omnis rota, & duodecim lampades Lampadarii debent accendi. In circuitu chori adcendentur ſexaginta quatuor Cerei*. Et Ord. *Tullenſe*: *Ad hanc Nonam* (Adſcenſionis Domini) *quinque lampades in Lampario adcendantur*.

LAMPAS. In Theſauro monaſterii *Centulenſis* erant LAMPADES *argenteae ſex, cuprinae auro, argentoque decoratae duodecim*. Quae in choro, vel per Eccleſiae circuitum adcendebantur, *Lampades choreae* dictas fuiſſe ex MARTENIO diſcimus lib. IV. c. 3. *Abbas cantabit Veſperas: ſeptem Cerei adcendentur ante corpora Sanctorum, & ſex ad Angelos: & Candelabrum adcendetur: Lampades choreae debent adcendi uſque ad craſtinum inceſſanter*. Harum media in Ordinario *Caſſinenſi mediana* appellatur.

LANCEA, ſive gladiolus lanceae figuram habens: ea hoſtiam conſecrandam ab integra panis maſſa apud *Graecos* in modum crucis ſecat. Vide GOARIUM in *Euchol.* ubi ejus figuram exprimit *pag. 116*.

LAPIS PACIS in *Statutis* Ordinis *de Sempingham* vocatur inſtrumentum; quo pax in Miſſa dari conſuevit.

LAPSI. Erant horum varia genera. Alii *thurificati* appellabantur, qui idolis thus adoleverant. Alii *ſacrificati*, qui idolis quacumque ratione ſacrificium obtulerant. Alii *libellatici*, qui privatim fidem negantes, ne publice ad cultum idolorum traherentur, oblata pecunia a tyrannis libellos obtinuerant, quibus ſecuritas eis fuerat promiſſa. Complura circa lapſos Concilia ſunt celebrata, praeſertim medio ſaeculo III., quo multi in *Deciana* perſequutione defecerant. Fuerunt quoque qui pecunia dimiſſionis libellos emerent, abſque ullius in Religionem flagitii mentione; eos vero S. PETRUS *Alexandrinus* in ſuis *de Poenitentia* canonibus ab omni noxa immunes habuit, quum injuſta vexatio redimi pecunia poſſit. Lapſis adcenſendi praeterea ſunt *traditores*, qui poſt impium DIOCLETIANI edictum metu perſecutionis vaſa ſacra, aut ſacros libros, aut catalogum, in quo deſcripta erant Chriſtianorum nomina, tradiderant.

LAUDA. Apud *Mozarabes* ex decreto Concilii IV. *Toletani can. 12.* lauda non canitur ante Evangelium, ſed numquam poſt Evangelium omittitur. Conſtat ex *Alleluja*, & verſiculo, qui ut plurimum e pſalmis deſumitur, & deinde repetitur *alleluja*: hinc S. ISIDORUS *off. lib. I. cap. 13.* laudam idem eſſe dixit, quod Alleluja: tempore tamen Quadrageſimae ſine *alleluja* canitur lauda.

LAUDES, adclamationes ſunt, quae in Miſſa poſt collectam fiebant *Romano* Pontifici, atque etiam Imperatoribus, vel eorum imaginibus. Idem mos in *Gallicanis* viguit Eccleſiis. Confer BONAM *lib. 2. cap. 5. §. 8.*; & SALAM *T. III. p. 117*. In inſula quoque *Creta*, ex quo PETRUS ZIANI Dux ſub XIII. ſaeculi initia *Venetae* coloniae bona publica illius Regni

Digitized by Google

conceſſit, ſaepius quotannis Duci Veneto, Rom. Pontifici, & Regni Epiſcopis adclamabatur. Vide Cl. Senatorem CORNELIUM *Cretae Sacr.* *T. II.* *p.* 31. *ſeqq.* Ad GREGORII X. tempora, nempe ad idem ſaeculum XIII. *Romae* laudes novimus decantatas. Hodie fieri ſolent Domino Papae eodem fere ritu in die dumtaxat ſuae coronationis. Adclamationes in Synodis quoque, antequam dimittantur, locum habent; qua de re vide CATALANUM T. I. Concil. in Prolegomenis cap. XXXI., & infra V. LITANIAE *ſub finem*.

Laudes porro, quae officii divini pars ſunt, inde nomen habuere, quod laudem Divinam aperte ſonant. De iis haec tradit FRUCTUOSUS *Bracarenſis* Reg. c. 3. *Duodenis iterum cantatis pſalmis, adeunt cubilia, paullumque quieſcentes, gallicinio jam ſonante, recitatis tribus pſalmis cum Laude, & Benedictione ſua Matutinum incipiant Officium.* Nomine autem *Laudum* heic veniunt tres poſteriores pſalmi, *Laudate Dominum de Coelis*, *Cantate Domino canticum novum*, *Laudate Dominum in Sanctis ejus*, quos ſpeciali nomine veteres appellabant *Laudes*, eo quod ad reddendas Domino grates nos frequenter invitant; & nomine *Benedictionis* venit Canticum *Benedicite omnia opera Domini Domino*. Ceterum quod heic FRUCTUOSUS tradit, id apud omnes Monachos viguit, ut nocturnae Vigiliae propria oratione concluderentur, atque etiam a Nocturnis laudes, & tempora ſejungerentur, immo & diſtincto aeris campani ſonitu ſignificarentur. Laudes igitur olim officium erant a nocturnis ſeparatum. *Vigilias implevimus*, inquit GREGORIUS *Turonenſis* de mir. S. MARTINI lib. 2. c. 2., *mane autem facto, ſigno ad Matutinas commoto, reverſi ſumus dormitum*; & mortem S. GALLI deſcribens: *Ille Pſalmo quinquageſimo, & benedictione decantata, & Allelujatico cum capitello expleto, conſummavit* totum officium temporis Matutini. Haec enim vera eſt Laudum notio, Matutinum ſcilicet officium, ſive ut veteres Scriptores loquuntur, Matutinae Laudes. Haec de *Occidentali* Eccleſia; nam aliter erat apud *Orientales*. Ait enim CASSIANUS lib. 3. de Inſtit. Coenob. cap. 4. *Haec Matutina ſolemnitas* (Laudes) *in* Galliae *quidem Monaſteriis, expletis Nocturnis Pſalmis, & Orationibus, poſt modicum temporis intervallum ſolita eſt celebrari, ſed in* Orientis *partibus cum quotidianis vigiliis pariter conſummatur*. Quum vero dividuntur Laudes a Nocturnis, eis praemittendae ſunt Oratio Dominica, & Salutatio Angelica, excepta Nocte Nativitatis Domini, in qua Laudes abſolute inchoantur, eo quod Miſſae uniantur. Quis autem fuerit *Romae* Laudum ordo, patefacit Regula S. BENEDICTI, qui Eccleſiae *Romanae* morem hac in re ſequutus eſt. Canticum a Prophetis excerptum ſingulis diebus canebatur: *Canticum unumquodque die ſuo ex Prophetis, ſicut pſallit Eccleſia Romana.* Pſalmus ſexageſimus ſextus ſine Antiphona dicebatur: inde *Laudate*, Lectio, Hymnus, ſive *Ambroſianum Te Deum*, Verſiculus, *Canticum de Evangelio*, ſcilicet *Benedictus* pro Matutino tempore, Litania, ſive Kyrie; *& Completum eſt*: tandem Oratio Dominica. Mutabantur quoque Prophetarum Cantica ſingulis Hebdomadae diebus, uti hiſce temporibus fieri ſolet. In Officio *Mozarabico* loco *Benedictus* varia ſunt Cantica, & Natali Chriſti die, atque Feſtis Beatiſſimae Virginis ad Laudes dicitur *Magnificat*; Feſto tamen S. JOHANNIS BAPTISTAE cantatur

Bene-

Benedictus. Lectionem, ſeu capitulum, memoriter recitabat Celebrans, quia diceret *Jube*; quia quum pro ſuo arbitrio officium ordinare poſſet, alterius venia opus non habebat. S. BENEDICTUS nullam antiphonam ad *Benedictus* deſignavit; atque diu *Romae* mos ſervatus eſt, ut ad *Benedictus*, & *Magnificat* Antiphonae ex Evangelio eſſent petitae pro ratione Feſti, quod incidiſſet. Pſalmus *Miſerere* ante AMALARII aetatem in Laudes inſertus eſt, & ad haec tempora recitatur tribus ante Paſcha diebus ad Horas omnes, Laudes, & Veſperas, omnibuſque majoribus Feriis. Taudem preces, ſeu *Obſecrationes*, dicebantur pro Eccleſia, Rege, & populo, quae feſtis, & ſolemnibus diebus praetermittebantur. V. Lauda.

LAVELLUM, ſepulcrum, lapis ſepulcralis. *Navellum*, *Labellum* idem ſunt. *Condiderunt illud in marmoreo lavello infra Oratorium B. Dei Genitricis Mariae*. In Vita S. ANSELMI abbatis *Nonantul.* Saec. 4. Benedict. p. 1. Apud PURICELLUM quoque in *Monum. Eccl. Ambroſ.* legas p. 914. *Hoc eſt ſcriptum ſuper lavello, ſive monumento, ubi legitur, & cantatur Epiſtola, & Evangelium in Eccleſia* S. AMBROSII. *Sepultus eſt in Eccleſia* S. AMBROSII *in uno Lavello, quod erat dictorum Comitum de Inglexio, & illa corpora dictorum Comitum, ſeu Regum extra dictum Lavellum fuerunt poſita: & ſuper dictum Lavellum cantabatur Evangelium, & Epiſtola*. Hoc porro Lavellum elegantiſſime, fuſe, & apprime erudite deſcribit *P. Joſeph* ALLEGRANZA *ex Ord. Praedicat.* in libro, cui Tit. *Spiegazioni, e rifleſſioni del P. Giuſeppe Allegranza ſopra alcuni ſacri monumenti antichi di Milano ann.* 1757.

LAUS ANGELICA. Vide Gloria in excelsis.

LECTICA lignea, ſeu arca, in qua defunctorum corpora antequam tumularentur collocabantur. In Chronico *Centulenſi lib.* 4. *cap.* 32. de NITHARDO Abbate haec habentur: *In eodem, quo pauſaverat, ſarcophago invenerunt Lecticam ligneam coriatam* (corio ſcilicet coopertam) *Domini* NITHARDI *filii ejus Abbatis, & Comitis corpus continentem, ſale perfuſum*.

LECTICARII. Vide Copiatae.

LECTIO. Ab ipſis Eccleſiae incunabulis in Miſſa recitata fuit Lectio; & antequam legeretur, indicebatur adſtantibus ſilentium. *Quando Lector dicit: Haec dicit Dominus, & ſtans Diaconus ſilentio indicto omnibus os obſtruit, non Lectori honorem habens hoc facit, ſed ei, qui per illum omnibus loquitur*. CHRYSOST. *homil.* 3. *in* 2. *Theſſalon.* Lectionum tamen varius in Eccleſiis ritus fuit. Nam apud *Gotho-Hiſpanos*, ut ex S. ISIDORO *ep. ad Laudifr.* & Miſſali *Mozarabum*, Lectiones tres e Sacra Scriptura cunctis diebus Dominicis, & feſtis, & ferialibus per annum in Miſſa legebantur: una e veteri Scriptura, quam *Prophetiam* appellabant; binae e Novo Teſtamento, quarum una dicebatur *Epiſtola*, aut *Apoſtolus*, altera *Evangelium*: diebus vero Dominicis dempta prima, & ferialibus Quadrageſimae, diebuſque Jejunii, quatuor in Miſſa recitabantur Lectiones, binae e veteri, binae e novo foedere. Eſt tamen notandum, quod a Paſchate ad Pentecoſten nullae ſunt Lectiones e Scriptura veteris Teſtamenti, ſed prima Lectio ex *Apocalypſi* depromitur, quae ex Decreto Concilii IV. *Toletani can.* 17. hoc tempore legitur. *Gallos* quoque tres olim in Miſſa legiſſe lectiones diebus Dominicis,

nicis, & ferialibus per annum; quarum una ex antiquo Teſtamento; binae e novo, ſuadent Lectionarius *Gallicanus*, & Sacramentarium *Bobianum*, a nunquam ſatis laudando MABILLONIO edita. Conſuetudo quoque *Gallorum* erat, pro veteri Scriptura, *Apocalypſim* tempore Paſchali legere: ſolebant etiam diebus feſtivis Sanctorum, pro prima Lectione, acta eorum legere: hinc in Lectionario *Luxovienſi* hujuſmodi diebus binae plerumque adſignantur lectiones. Haec ſatis conſtant: minus certum eſt, an diebus Jejunii mos Eccleſiae *Gallicanae* fuerit tres lectiones in Miſſa legendi, an potius quatuor? *Romae* autem, paucis quibuſdam diebus exceptis, duas tantum in Miſſa lectas eſſe lectiones vetuſta omnia Lectionaria, & Capitularia comprobant. Excepti dies erant *Sabbatha in XII. Lectionibus*, ſic dicta, quod olim his Sabbathis XII. Lectiones in Eccleſia *Romana*, ſex videlicet *Graece*, & ſex *Latine legerentur*. Lectionaria edita a Cardinali THOMASIO praeferunt ſemper ad praeſtituta Sabbatha titulum *in duodecim Lectionibus*, quamvis ſemper ſex Lectiones *Latinae* indicentur, praeter quam Sabbatho Sancto Paſchae, quo duodecim *Latinae* Lectiones deſignantur. Vulgatus ALCUINUS de Sabbatho in XII. Lectionibus haec memorat: *Lectiones duodecim propter duodecim Lectores dicuntur, quia ab antiquis* ROMANIS *bis legebantur, hoc eſt* GRAECE, *&* LATINE (*ſex enim tantummodo ſunt*), *niſi fallor, duas ob cauſſas. Una, quia aderant &* GRAECI, *quibus ignota erat Lingua Latina: aderant &* LATINI, *quibus ignota erat Graeca: altera cauſſa propter unanimitatem utriuſque populi. Qui mos apud* CPOLIM *ubique hodie ſervatur*. Eadem habet AMALARIUS *de Eccleſ. offic. lib. II. c. 1.* De numerō tamen Lectionum in Sabbatho Sancto vetuſtis libris Miſſalibus non ſatis convenit. Nam in Miſſali *Toletano* ſunt Lectiones quinque, in *Gregoriano* P. AMELII, & in *Comite* THOMASII ſex; in *Gregoriano* MENARDI octo, in Miſſali *Mozarabum*, & in Sacramentario *Gelaſiano* decem; in Orationali *Gothico*, in Sacramentario *Bobiano*, in Miſſali *Gallo-gothico*, & in Lectionario *Luxovienſi* duodecim; demum in Miſſali *Gallicano* ſunt tredecim. Legebantur Lectiones in ambone a Lectoribus; in Sacramentario *Gelaſiano*, in Orationali *Gothico*, & in Miſſali *Mozarabum* Lectionibus Oratio praemittitur, non item in Sacramentariis *Gregorianis*. Ritu *Ambroſiano* in Miſſa ſolemni ſemper recitatur Lectio, & Epiſtola: illa ut plurimum de veteri Teſtamento, cui per Lectorem praemittitur haec vox: *Lectio*; Epiſtola vero ſemper de novo; & ex Apoſtolo, praevio hoc Tit. *Epiſtola* B. PAULLI *&c.* De Lectionibus porro officii haec ſunt adnotanda. THEODEMARUS *Caſſinenſis* in epiſt. ad CAROLUM M. adſerit, *Romae* nonniſi ex B. GREGORII M., aut HONORII inſtitutione Scripturas legi coepiſſe. At fallitur. Nam, ut recte animadvertit MABILLONIUS *in diſquiſit. de Curſu Gallic. n. 7.*, GELASIUS I. definiens in Concilio *Romano*, qui libri legendi eſſent, quive non legendi, id de lectione eorum publica in Eccleſia decreviſſe videtur. Praeterea GREGORIUS MAGNUS in Synodo *Romana* ſtatutum edidit, ne in poſterum Diaconi Cantorum officio fungerentur; at ſolum Evangelium in Miſſa cantarent; reliquae vero lectiones a Subdiaconis perſolverentur: *Qua de re*, inquit, *praeſenti Decreto conſtituo, ut in Sede hac ſacri Altaris Miniſtri cantare non debeant, ſolumque Evangelicae lectionis officium inter Miſſarum ſolemnia exſolvant, Pſalmos*

vero,

Digitized by Google

vero, ac reliquas Lectiones cenſeo per Subdiaconos, vel ſi neceſſitas exigit, per minores ordines exhiberi. Porro S. GREGORIUS prohibens, ne Diaconi inpoſterum lectiones canant, & morem ſuper hac re introductum arguens, manifeſtum facit, Lectiones jam ante ſua tempora in Eccleſia *Romana* fuiſſe uſitatas. Dum autem *Romae* haec conſuetudo coepit, executioni mandatus fuit *Leodicenſis* Concilii Canon tertius praeſcribens, fieri lectionem per ſingulos Pſalmos, quod *in Conventu Fidelium nequaquam Pſalmos continuare conveniat, ſed per intervallum, ideſt per Pſalmos ſingulos recenſeri debeant Lectiones.* Unde *Romae* Feſtis illis, quae matutinis novem Pſalmos habent, novem quoque lectiones adſignatae ſunt. Lectiones illae e Scriptura Sacra tantum peti ſolebant, quod ad haec tempora in Officio Feriali ſervatur. Ubi vero plures Nocturni fuere inſtituti, is invectus eſt ordo, quem tres ante Paſcha dies praeferunt, additique Patrum ſermones. In tertio Nocturno novum Teſtamentum, non autem Evangelium legebatur, quia Miſſae lectioni erat deſtinatum. Verum poſthac tertii Nocturni ordo mutatus fuit; & ſatius viſum fuit, ad nimiam Officii prolixitatem vitandam, ut Evangelii initium ad tertium Nocturnum legeretur, atque Homilia, ſive cujuſdam Patris explicatio illi adjiceretur, ut quemadmodum Lectiones ſecundi Nocturni explicatio Patris cujuſdam Lectionis in primo Nocturno recitatae, atque e Veteri Teſtamento petitae, cenſebantur; ita etiam tertii Nocturni Lectiones explicationem quamdam Evangelii a quodam Patre traditam complecterentur. Vetus tamen mos tribus ante Paſcha diebus fuit retentus. Tria autem haec Lectionum genera Dominicis tantum, Feſtiſque diebus erant deſtinata; quum Feriis juxta antiquum morem nihil, niſi e Scripturis Sacris excerptum, legeretur; nec niſi poſt S. PII V. tempora Homiliae in Evangelium tam Quadrageſimae, quam Vigiliarum diebus legi coeperunt. Ad Acta Sanctorum quod ſpectat, ubi illa in ſecundo Nocturno legi Eccleſia permiſit, ſapientiſſime voluit, ut nonniſi tres haberentur lectiones ex eorum geſtis depromptae. Olim tamen duodecim Lectiones de Vita, & Tranſitu S. BENEDICTI in Nocturnis ejus Feſti legebantur a Monachis ejuſdem alumnis: duodecim pariter a Monachis *Dionyſianis* de Paſſione S. HIPPOLYTI in ejus Feſto; duodecim itidem refert Ordo *Tullenſis* in Feſto S. MARTINI: & in Officio S. FRANCISCI apud *Minores* novem erant Lectiones per totam Octavam. V. MARTYRUM ACTA. Ubi antiquitus libri inſcriptio ſemel perlecta fuerat, ſequentibus diebus minime repetebatur; hinc ſine titulo libri leguntur lectiones ISAIAE ad primum Nocturnum Natalis diei Chriſti: Capita etiam ſine titulo recitantur, quia olim continuatio erant illorum, quae ad Matutinum dicta fuerant; vel quod ex Epiſtola Miſſae excerpta ſint, quae numquam ſine inſcriptione legitur. Dum Prophetae legebantur, dici ad finem ſolebat: *Haec dicit Dominus, convertimini ad me, & ſalvi eritis*; qui mos etiamnum apud *Carthuſianos* viget, & *Pariſiis* Adventus tempore fuit reſtitutus. V. LECTORES.

LECTIONARIUS, liber lectiones continens, quo ſpectant praeter librum *Comitis* (de quo V. COMES) Homiliaria, & Paſſionalia MSS. paſſim in bibliothecis obvia. V. etiam *Bibliotb. Ritualem T. I. p. 35.*

LECTIUN-

LECTIUNCULA; lectio brevis in Divinis Officiis è ſacris Bibliis recitari ſolita.

LECTORES. Nihil aeque poſt S. CORNELII *Romani* Pontificis epiſtolam ad FABIUM *Antiochenum* A. D. 251. ſcriptam, in qua Lectores Romanae Eccleſiae cum Oſtiariis, & Exorciſtis *quinquaginta duos* memorat, nomen Lectorum ejuſdem Eccleſiae confirmat, quam EUSEBIUS *Vercellenſis* Epiſcopus. Is Natu *Sardus*, quum a teneris annis ex Inſula *Sardiniae Romam* a matre circa A. D. 311. adductus eſſet, ac S. EUSEBIO *Romano* Pontifici traditus qui ſacro illum, ut fertur, Baptiſmate abluit, atque EUSEBII nomine donavit, tum, teſte S. HIERONYMO, EX LECTORE URBIS ROMANAE *Vercellenſis Epiſcopus* creatus eſt, praeeratque *Vercellenſi* Eccleſiae a. 354. Eodem ſaeculo duo illuſtres ejuſdem Romanae Eccleſiae Lectores, qui eamdem poſtea Pontifices rexerunt, DAMASUS, & SIRICIUS. Qui tenera aetate ſacris miniſteriis addici petebant, ii in Lectorum officio uſque ad annum viceſimum permanere tenebantur. Hinc ejuſdem SIRICII jam *Romani* Pontificis verba ad HIMMERIUM *Tarraconenſem* faciunt: *Quicumque*, inquit, *ſe Eccleſiae vovit obſequiis, a ſua infantia, ante pubertatis annos baptizari*, & LECTORUM *debet miniſterio ſociari*. In *Africana* quoque Eccleſia inſtituti fuere Lectores ab initio propagatae in eas regiones Fidei. Meminit inprimis de Lectoribus TERTULLIANUS in libro *de Praeſcriptionibus adverſus haereticos: Hodie*, verba ejus ſunt, *Diaconus, qui eras Lector*. Lectores autem in ea Eccleſia *Cypriani* aevo non ſolum Lectiones in Miſſa, ſed etiam Evangelium legebant. Vide ejuſdem CYPRIANI epiſtolam XXXIII. edit. *Oxon*. Id hodieque in *Ambroſiana* Eccleſia ſervatur. Lectorum porro munia alia erant in divina Pſalmodia perſolvenda, alia in Miſſarum ſolemniis. De Lectorum officio in divinis laudibus ſelectiſſima quaedam protulit Venerabilis Dei ſervus Card. *Joſephus Maria* THOMASIUS in aurea praefatione *Reſponſoriali*, & *Antiphonario Romanae Eccleſiae* praefixa. Nos ex eo haec delibavimus. Quoties aliquis Pſalmus cantandus erat, Lector praemonebat, cujus eſſet Pſalmus ille. Si Pſalmus *Davidis* erat, pronunciabat hunc titulum: *Pſalmus David*. Alius in *Africa* mos fuit in tituli pronunciatione. Pſalmi exordium a Lectore itidem de codice legendo, cantandoque pronunciabatur, iſque praecinebat ſingulos, ut verbis THOMASII utar, totoſque omnino verſus Pſalmi, quos ſigillatim intercalari reſponſione plebs univerſa una cum Epiſcopo, & clero repetendo ſuccinebat: Lectiones, quae in Miſſa quandoque a Lectoribus recitabantur, abſque cantu legebantur. In quibuſdam Eccleſiis ſaeculo IX. mos adhuc perſeverabat, ut quandoque Lectores Epiſtolas ad Miſſam legerent, frequentiſſime autem Subdiaconus, AMALARIO teſte *lib. II. de Eccleſ. Offic. cap. II.* Saepe Lectores e ſuperiori loco, ut facilius ab univerſis audirentur, Lectiones praelegebant: *Qui ſuggeſtum adſcendunt*, ait Concilium *Laodicenſe*, vel *ſuper ambonem legentes*, uti fert *Nicaenum II*. Hi vero ſuggeſtus *Jube* vocabantur, unde ortum eſt *Jube*, quod vel hodienum ſupereſt, dum lecturus benedictionem petit his verbis: *Jube Domne Benedicere*. *Jube* autem, ſive venia legendi a Lectore petita demonſtrat, miſſione opus eſſe a Praepoſitis data, ut docendi alios, atque erudiendi munus exerceri poſſit. Hinc *Jube Domne*

dicitur,

Digitized by Google

dicitut, noń *Domine*, Celebrantem, non Deum adloquendo; ad finem vero dicirur, *Tu autem Domine*, ſermone ad Deum ipſum converſo, veniam de peccatis inter legendum admiſſis petendo, vel ut in ejus nomine divini verbi lectionem abſolvere liceat; quare univerſi ad Deum convertuntur, gratias illi pro verbo ſuo agentes, *Deo gratias*. Aliud ſenſit MERATUS, qui quum, inquit, olim prolixae eſſent Lectiones, quae recirabantur in Nocturnis (AURELIANI ſiquidem Regula praeſcribit, ut tres, vel quatuor paginae legantur; S. CAESARIUS, tres paginas ad ſingulas lectiones; unde libri cujuſque lectio, donec abſolutus eſſet, perdurabar, & ideo integra legebatur Sacra Scriptura in curſu Divini Officii) quum, inquit, prolixae eſſent ſacrae lectiones, pertinebat ad eum, qui Choro praeſidebar, jubere ut lectio ceſſaret, dicendo, *Tu autem*, reſpondente Lectore, *Domine miſerere nobis*: Chorus autem dicebat, *Deo gratias*. Monachus S. GALLI in Vita CAROLI MAGNI ait, Imperatorem illum ſignum Lectori, ut deſineret, ſibilo quodam linguae dediſſe. Primus Lectorum, qui alicui Eccleſiae adſcripti erant, *Primicerius Lectorum* dicebatur. In Actis ſinceris S. POLLIONIS Eccleſiae *Cibalienſis* in *Africa* primi Lectoris, & aliorum Martyrum A. D. 304. interfectorum, haec dignitas agnoſcitur. Nam interrogante Praeſide POLLIONEM, quodnam officium gereret: POLLIO *reſpondit: Primicerius Lectorum*: ac rurſus interrogante, *quorum Lectorum?* POLLIO *reſpondit: qui eloquentiam divinam populis legere conſueverunt*. Huc facere nobis videtur, quoniam de Lectoribus martyrium paſſis mentio injecta eſt, ab EUSEBIO literis conſignatum, in perſequutione *Diocletiani*, *carceres olim homicidis, ac ſepulcrorum expilatoribus deputatos, tunc Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis*, LECTORIBUS, *atque Exorciſtis completos fuiſſe, adeo ut iis, qui ob crimina condemnati fuerant, nullus jam locus ſupereſſet*. Porro Eccleſiae *Romanae* exemplo in aliis quoque Eccleſiis ſcholae Lectorum inſtitutae, aut reſtitutae ſunt. LEIDRADUS Archiepiſcopus *Lugdunenſis* in Epiſtola ad CAROLUM MAGNUM ſcribit, ſe in Eccleſia *Lugdunenſe* pſallendi, & canendi ordinem inſtauraſſe, juxta ritum Sacri Palatii, in quo ritu *Romano* divina Pſalmodia perſolvebatur, deinde proſequitur: *Praeter haec vero habeo* SCHOLAS LECTORUM &c. Etiam *Mediolanenſis* Eccleſia ſcholam habet Lectorum, quae quindecim Lectoribus cum eorum Primicerio conſtat. Ex his quinque dicuntur de *Phaeudo Majori*, reliqui vero de *Pheudo Minori*. Almutias gerunt, cappamque nigram, ſerico viridi in interiori parte tectam ſeu ornatam.

LECTORIUM, *Lectoriale*, *Lectricium*, plutei, ſeu fulcimenti genus, in quo libri ad legendum, vel canendum collocantur, vulgo *Leggio*. Duo ejuſmodi *Lectoria* ex argento dono dedit LEO III., alterum Baſilicae LIBERIANAE, de quo ANASTASIUS *T. II. p.* 310., alterum VATICANAE, de quo idem *ibid. p.* 281. Porro quando, & quomodo hoc Baſilicae VATICANAE Lectorium XII. ſaeculo ornaretur, docent excerpta ex libro *Petri* MALLII apud MABILLON *Muſei Ital. T. II. p.* 159. Apud *Cluniacenſes* Sabbatho ante ramos Palmarum feſtivo ornabatur velamine. Vetus *diſcipl. Monaſt. p.* 258. Vide Analogium.

LECTUS, LECTULUS aliquando altare ſignificat, ut in Actis S. AN-

STRUDIS Abbatiſſae *Landunenſis num.* 33., plerumque tumulum, ut apud S. GREGORIUM *Turon. lib.* 1. *de Mirac.* S. MARTINI *cap.* 35., & apud ANASTASIUM ſub finem Vitae STEPHANI V. *T. III. p.* 275., ubi indicat *Oratorium beati* GREGORII, *ubi ejus lectus habetur.*

LEGENDA, LEGENDARIUM, Sanctorum Vitae, aut liber, in quo deſcriptae ſunt. Hinc JACOBI DE VIRAGINE celebris *Legenda aurea*, quam a LUDOVICI VIVES, & ERASMI maledictis *Johannes* BOLLANDUS vindicavit *Praef. gen. in Tom. I. Januar.*

LEVARE CALICEM. Ordo *Romanus* IV. poſt finitam orationem: *Nobis quoque &c. Hic erigens ſe Archidiaconus venit, & involvens calicem mappula, levat illum contra domnum Papam*; ideſt amovebat plicam corporalis, qua calix tegebatur, eum collocabat in faciem Pontificis ſupra hoſtiam; & velo ſerico, ſeu lintea mappula per anſas, ſeu aures circumdabat.

LEVARE CORPUS. Quarto jam ſaeculo Chriſtianis familiare erat eo verbo uti ad primam non Sanctorum modo, ſed etiam aliorum ſepulturam deſignandam. Nimirum idem erat *Levare corpus*, quod *efferre*, ſcilicet ſupra foſſariorum humeros cadavera extollere ad ſepulturam deportanda. Luculentum hanc in rem AMBROSII locum *lib. de Tob.* recitat MAZZOCHIUS, quem vide *T. III. in Kal. Neap. p.* 907. Quincto tamen ſaeculo ad Sanctorum Reliquias, quae publico cultui addicerentur, denotandas transferri coepit. IX. demum ac ſequentibus ſaeculis mos obtinuit, ut *Levari* Sanctorum Corpora dicerentur, quando ex profundioribus locis eruta ſupra pavimentum honorifice collocabantur; quod tunc erat legitimae canonizationis ritus. Adi eumdem MAZZOCHIUM *T. I. p. XXXI. ſeq.*

LEVARE, & elevare Planetam. Duplex hujus elevationis ratio fuit; Nunc enim elevabatur *ad ſcapulas*, nunc *cum ſinu*. Ordo *Rom.* I. num. 51. *Igitur Diacones quando* (Pontifex) *dixerit:* Per omnia ſaecula ſaeculorum, *poſt* Gloria in excelſis Deo, *levant Planetas in Scapulas*...... *Similiter levant & Subdiaconi, ſed cum ſinu.* Sermo heic proculdubio eſt de planeta vetere, indumento amplo, rotundo, undique clauſo, inſtar hodiernae cappae Romanae, quam Cardinales, & Canonici geſtare ſolent. Quamobrem elevare planetam *cum ſinu*, uti doctiſſimus Card. THOMASIUS *T. V. Oper. Vezzoſ. edit. p. XI.* docet, idem erat, quod retrahere planetam ſupra utrumque brachium, exertis manibus, ita tamen, ut ante pectus ſinus ejuſdem Planetae convolutus remaneret. Contra *levare Planetam in ſcapulas* tunc dicebatur, quum, ut ait HONORIUS *Auguſtodunenſis lib.* 1. *cap.* 207., *errabundus limbus* (*Planetae*) *utrimque in brachia ſublevatur; in pectore, & inter humeros duplicatur; in utroque brachio triplicatur.* Vide GARAMPIUM *in Garfagn. ſigill. p.* 116.

LEVITA, ſive Levites ſignificat aliquem de Tribu Levi, unde ſolummodo antiquitus ſumebantur Sacerdotes. In Eccleſia Chriſtiana Diaconum ſignificat. PRUDENTIUS in hymno de S. LAURENTIO:

Hic primus e ſeptem viris,
Qui ſtant ad aram proximi,
LEVITA, *ſublimis gradu,*
Et ceteris praeſtantior.

Idem

Digitized by Google

Idem deſignat *Leviticus* apud MARTENE *lib. V. de ant. Monach. ritib. cap.* 12. *Unus ex* LEVITICIS *remaneat, & legat Paſſionem Domini ſecundum quatuor Evangeliſtas diſpoſitam.*

LEGITIMUM. Canon Miſſae. Vide Eucharistia legitima.

LIBELLATICI. Vide Lapsi.

LIBELLUS *Anathematis*, ſub anathemate obligatio, *Libellus fidei*, fidei profeſſio. *Libellus poenitentiae* interdum fidei profeſſionem, interdum aut librum poenitentialem, aut rerum male geſtarum confeſſionem, ac deteſtationem ſignificat. Eſt etiam *Libellus* abſolute a GREGORIO *Turonenſi* indicatus pro libro, in quo Miſſae aliquot e Sacramentario excerptae continebantur. Vide *Bibliothecam Ritualem T. I. p. 75.*

LIBER DIURNUS *Romanorum Pontificum*, in quo praeter formulas quaſdam ſcribendi, quibus ſexto, ſeptimoque, & octavo ſaeculo, atque etiam nono Summi Pontifices uti ſolebant, continentur inſuper ordinationes Summi Pontificis, & Epiſcopi ſuburbicarii, cum ſuis omnibus adjunctis, profeſſiones fidei, privilegia, praecepta, conceſſiones, aliaque ejuſmodi non pauca. Confer *Biblioth. Ritual. T. I. p.* 177., praeſertim vero noſtram de eo libro diſſertationem ejuſdem *Bibliothecae Ritualis T. III. p. CCXXIX.*

LIBER *ad oleandum*, in quo ſcilicet ritus extremae unctionis exhibetur. Vide *Biblioth. Ritual. T. I. p.* 158.

LIBER *omnium* OFFERENTIUM apud *Mozarabes* inſcribitur Miſſale minus, orationes quaſdam, & alia nonnulla continens, quae communiter ab omnibus Sacerdotibus, Miſſae Sacrificium offerentibus, dici ſolent: & hinc fortaſſe denominationem ſortitus eſt. Liber hic, dum Evangelium legitur, in altari a cornu Epiſtolae ponitur, atque, ut opinatur PISA, *omnium offerentium* dictus eſt ab illis vocibus, quae in oblatione calicis dicuntur, *& omnium offerentium peccata indulge.*

LIBER VITAE, Necrologium, ſeu etiam Martyrologium, in quo ad calcem defunctorum nomina ſcribebantur. GUIDO *Diſcip. Farf. cap.* 58.

LIBITINARII. V. Copiatae.

LILIA, & *Lilii pro lilia*, epiſtylia marmorea liliorum inſtar fabrefacta; interdum ex argento, & columnis impoſita. Horum non ſemel meminit liber Pontificalis.

LIMINA APOSTOLORUM. Obtinuit uſus antiquus, ut prae reverentia, ac religioſa quadam obſervantia ipſae Baſilicae Apoſtolorum *Limina* vocarentur: moris enim erat eas adeuntibus, ante ingreſſum ad limina procumbere, poſtes deoſculari, ac preces fundere: uti hodie adhuc fit a plebeis, quando, manibus ad altaria, vel imagines admotis, eas deinde oſculantur. FORTUNATUS Poeta Chriſtianus:

Fuſus humi ſupplex Sanctorum limina lambe.

Et CLAUDIANUS:

Per Cineres Paulli, per cani limina Petri.

CHRYSOSTOMUS Homilia 30. in Epiſt. 2. ad Corinthios: *An non cernis? quot homines Templi veſtibulis oſculum ſignat, partim inclinato capite, partim manu teneates, atque ori manum admoveates?* Alia vide apud BELLARM. *de cultu Sanctor. lib.* III. c. 8., BARON. in not. ad Martyr. 29. *Junii, &* 18.

 Novem-

Novembris, GRETSERUM *de religioſ. peregrinat.*; *&* TROMBELLIUM *de cultu Sanctor. diſſ. VI.*

LINEA, veſtis illa ex lino, quae poſtmodum *Rochetti* nomen obtinuit. Ejus mentio in Actis S. CYPRIANI: *Et quum ſe dalmatica* (Cyprianus) *expoliaſſet, & Diaconibus tradidiſſet, in* LINEA *ſtetit, & coepit ſpiculatorem ſuſtinere.* ADO etiam VI. Kal. Decembris de S. ALEXANDRO Epiſc. & Marr. ſub ANTONINO Imp. *Facto ſigno Crucis expoliavit ſe beatus Martyr* TUNICA, *& in* LINEA STANS *texit ſibi de orario oculos, dein poſitis genibus ſuſcepit gladium.* Vide GEORGIUM *lib. II. de lit. R. P. c. 2.*

LINOSTIMA (palla), cujus mentio eſt in libro Pontificali, ubi de SILVESTRO, & ZOSIMO, ſtola diaconalis erat, quae in humero ſiniſtro a Diaconis defertur ad differentiam Sacerdotalis ante pectus a collo pendentis. Ita VICECOMES *lib. II. de Miſſae appar. cap. 19. &* BONA *Rer. Liturg. lib. I. cap. 24. §. 6.* At GAVANTUS, & GEORGIUS *lib. I. de lit. R. P. c. 20. n. 13.* manipulum potius interpretantur; quos tamen SALA *T. II. p. 229.* refellit. Quodcumque intelligas, *Linoſtimum* dictum erit, *quia*, inquit Iſidorus *lib. XIX. Etymol. cap. 22.*, *in ſtamine linum, in trama lanam habet.*

LINTEAMEN, Velum ſuperhumerale Subdiaconi in Miſſa ſolemni, vulgo *Continentia. Subdiaconus indo ſecedens, atque reverenter incedens, & linteamen de patena revolvens, manuque linteaminis parte involuta, ipſam tenens, partem ejuſdem linteaminis pendere ex induſtria facit, ut Diaconus quoque cum digitis mediis linteamine involutis &c.* MARTENE. Vide etiam Dominicale.

LINTEUM AMALARIO *lib. I. cap. 19. Corporale.* Erat & *Linteum oblatitium*, ſeu mappa, qua hoſtiae ad Miſſas offerebantur. Vide Fanon.

LIPSANA, Reliquiae, paſſim apud Auctores non ſolum Graecos, ſed etiam Latinos; unde *Lipſanotheca*, Reliquiarum conditorium.

LIQUAMEN, Oleum Sanctum Infirmorum. EKKEHARDUS *Junior* in Vita B. NOTKHERI BALBULI: *Convocatis fratribus, coram eis munitur eſt Viatico ſacroſancti Myſterii Corporis, & Sanguinis Chriſti, atque unctione divini liquaminis illinitus, valedicens omnibus benedixit eis.*

LIQUOR. Conſuetud. *Divionen. c. 61.* agentes de fer. ſexta in Paraſceve haec habent. *Magiſter Sacriſta aliquot in Eccleſia de honeſtioribus retinet Sacerdotibus, qui cuncta altaria aqua, & vino diligentius abluant, qui tamen non calceatis, ſed nudis pedibus hoc explent. Quidquid autem liquoris in majori altari fuſum fuerit, ſpongiis colligitur, indeque expreſſum in Sacrariis reconditur.* Liquoris ergo nomine veniunt aqua, & vinum, queis altaria lota fuerunt. Hic mos adhuc obſervatur pluribus in locis, ſed ritibus diverſis, ut *Romae* in *Vaticana* Baſilica, in qua feria V. in Coena Domini abſoluto ſequentis diei Matutino, altare Confeſſionis jam nudatum a Clero vino, & aſpergillis abluitur. Vide BENEDICTUM XIV. *lib. I. de Feſt. cap. 6. n. 49.*, ubi etiam ex BAYTTELO *cap. 6.* monet, in quibuſdam Eccleſiis altarium ablutionem fieri ſolitam feria VI. Hujus ritus meminere etiam Sancti ELIGIUS Epiſc. *hom. VIII. de Coena Domini, &* ISIDORUS *Hiſpal. lib. I. de Eccleſiaſt. Offic. cap. 38.*

LITANIAE. Multa id nomen ſignificat. 1. enim S. BENEDICTUS *Reg.*

Digitized by Google

Reg. cap. 9. ſtatuit, ut in nocturnis officiis *& verſus*, *& ſupplicatio Litaniae, ideſt Kyrie eleiſon* dicantur, *& ſic finiantur vigiliae nocturnae*. Litaniam, *Kyrie eleiſon* appellat, prout hoc nomine donatur in Ordine *Romano I.*, & in *Graecis* Ss. JACOBI, BASILII, CHRYSOSTOMI Liturgiis, quod jam a Cardinali BONA eſt obſervatum in Libris *de Divina Pſalmodia, cap. XIV.* §. 4. 2. Significat preces publicas, & ſolemnes ſupplicationes. Ex his celebriores duae ſunt, majores ſcilicet, & minores. Illae ſunt, quae fiunt in Feſto S. MARCI, atque a pluribus S. GREGORIO M. veluti Auctori tribuuntur, quamquam ipſemet, ut recte monet CATALANUS *in Caerem. S. R. E. T. II. p.* 284., ſatis indicet, annuam illam celebritatem jam antea inſtitutam fuiſſe. Vide MORETUM in *lucubr. de Presbyt. p.* 115. *ſeqq.* Litaniae minores ſunt illae, quae ritu *Romano* fiunt in triduo ante Adſcenſionem Domini. Quis primus illas inſtituerit, variant Auctores. Plerique S. MAMERTO Viennenſi Epiſcopo tribuunt; ſunt, qui ſaltem quod ad Italiam ſpectat, S. LAZARUM Mediolanenſem Archiepiſcopum auctorem velint. Vide SAXIUM *de Archiepiſc. Mediolan.* ubi de eodem S. Lazaro. Certum illud eſt, quod olim ſimul cum jejunio celebrabantur, ut ex Concil. *Aurelianenſi I.* cap. 29. *Quo triduo omnes abſtineant, & Quadrageſimalibus cibis utantur.* S. LEO Tertius ex ANASTASIO, *conſtituit, ut ante tres dies Adſcenſionis Dominicae Litaniae celebrentur. Litaniae* porro iſtae ritu *Ambroſiano* celebrantur primis tribus diebus poſt Dominicam immediate ſubſequentem Adſcenſionem Domini, & quidem cum rigoroſo jejunio, & abſtinentia. Ad hoc Litaniarum genus eae ſpectant, quas SERGIUS Papa ANASTASIO teſte conſtituit: hic nempe ſanxit, *ut diebus Adnunciationis, Nativitatis, & dormitionis Sanctae Dei genitricis ...... Letania exeat a* S. ADRIANO, *& ad* S. MARIAM *populus occurrat*. Huc multo magis ſpectat Litania *ſeptiformis*, quam S. GREGORIUS M. non ſemel indixit, anno primum 590. ad finem vergente, antequam die 3. Septembris Pontifex ordinaretur, ob diriſſimam peſtem, quae *Romae* graſſabatur, deinde aliis de cauſſis, quae Dei auxilium maxime poſtulabant, ut recte BARONIUS monet *ad ann.* 590. *n.* 12. Hanc *ſeptiformem* Litaniam nonnulli perperam cum majore confundunt, quam idem GREGORIUS anno 603. ut MERATUS adſerit, vel potius ut P. *de* RUBEIS diſſ. *de Sacr. Forojul. Ritib. p.* 351. conjicit, 592. indixit. Cur autem *ſeptiformis* dicta fuerit, diſcimus ex ipſo S. GREGORIO *lib. II. epiſt.* 2. *Proinde*, inquit, *fratres cariſſimi, contrito corde, & correctis operibus craſtina die primo diluculo ad ſeptiformem Litaniam juxta diſtributionem inferius deſignatam devota mente cum lacrymis veniamus ...... Quatenus ad Sanctae Genitricis Domini Eccleſiam convenientes, qui ſimul omnes peccavimus, ſimul omnes mala, quae fecimus, deploremus ...... Litania Clericorum exeat ab Eccleſia B.* JOHANNIS BAPTISTAE; *Litania Virorum ab Eccleſia B. Martyris* MARCELLI; *Litania faeminarum conjugatarum ab Eccleſia B. primi Martyris* STEPHANI. *Litania Viduarum ab Eccleſia Beati Martyris* VITALIS. *Litania pauperum, & infantium ab Eccleſia Beatae Martyris* CAECILIAE. En cur ſeptiformis appellata ſit: quia nempe a ſeptem diverſis perſonarum generibus diverſo e loco prodeuntibus publica illa ſupplicatio habebatur. *Eaſdem vero*, ut BARONII verbis utar, *ſive Litanias, ſive Proceſſiones dicere ve-*

limut, *unuſquiſque Epiſcopus in ſuis Eccleſiis ſtudioſe agere conſuevit: unde de* S.
HONORATO *Epiſcopo Maſſilienſi haec pro magna laude* GENNADIUS cap.
99. *Hic Litanias ad ſupplicandam Dei clementiam cum plebe ſibi credita pro viribus agit*. Vide hic ſupra V. Exomologesis. Litaniarum, quae ſingulis fiebant annis, numerus non idem erat omnibus in Eccleſiis; quatuor, vel quinque ſolemnes Litanias in *Ravennate* Eccleſia celebrari ſolitas ex S. GREGORIO colligimus. Per ſingulos menſes pro ſtatu Eccleſiae, & Principum incolumitate a Concilio *Toletano XVIII. c. 6.*, atque in principio Quadrageſimae a Concilio *Bracarenſi II. c. 9.* Litaniae indicuntur. Concilium vero *Turonenſe II. c. 17.* Litanias in Kalendis Januarii *ad calcandam Gentilium conſuetudinem* inſtitutas memorat.

3. Litaniae nomen precationem deſignat, in qua per ſeriem invocantur Sanctorum nomina, praemiſſis plerumque Graecis illis, *Kyrie eleiſon*, & diſerta Trinitatis invocatione, vel etiam, ut in Litaniis *Benedictinis* ab ALTANO *de Kalend.* p. 301. vulgatis, aliiſque, quas T. XXXII. *Sylloges opuſculor. Calogeranae* Cl. TROMBELLIUS edidit, ſola praemiſſa latina Chriſti Domini invocatione. Hac porro Litaniae ſecabantur aliquando, ac diſtribuebantur in partes, qui ritus multis abhinc ſaeculis jam deſiit. Quocirca modo trinae, modo quinae, modo ſeptenae Litaniae habebantur. Cur ſic appellarentur, egregie nos edocet MARTENIUS de *ant. Eccl. ritib.* lib. IV. c. 24. *Triplex*, ait ille, *hac die Litania decantabatur, ſeptena, quina, & trina, ſic dictae, quod primae invocationes ſingulae ſepties repeterentur, ſecundae quinquies, ter tertiae*. Quo ritu id fieret, docet vulgatus Ordo *Romanus* apud MABILLON. *Comm. in Ord. Rom.* cap. 15. p. 91. *Stat Primicerius unus in dextro choro, & dicit cum ipſo Kyrie eleiſon, & reſpondet ſecundus Cerius cum ſiniſtro choro Kyrie eleiſon uſque ter. Hoc ſiunt ſeptem vices repetitae: unde & ſeptenae dicuntur. Poſt haec Chriſte audi nos uſque ſepties, & ſic per ordinem. Hoc ordine, intervallo facto, ſequuntur, ut praedictum eſt, litaniae quinae, ideſt quinquies repetitae*. A nonnullis ſeptena nuncupari litania creditur, eo quod ſeptem temporum ſpatia in ea cantanda intermiſcerentur, cujus moris perſpicuum praebent exemplum ex Ordin. *Rom.* XI. a MABILLONIO edito *Tom. II. Muſei Italici pag.* 146., & 147. depromptum, ubi ſic legitur: *Exeuntes de Eccleſia redeant ad proceſſionem per viam cantando antiphonas, & pſalmos, & in ſtatutis locis letanias, ſicut mos eſt uſque ad S. Petrum .... Subdiaconus incipit quinqueformem letaniam eo ordine, quo prius, uſque ad lectum ante Sanctum* MARCUM, *ubi Dominus ſe pauſat, ſicut in primo. Deinde revertuntur in proceſſione uſque ad arcum triumphalem* THEODOSII, VALENTINIANI, & GRATIANI *Imperatorum, ubi incipit triformem letaniam, uſque ad lectum in ponte* ADRIANO. In *Ambroſiano* ritu haec intervalla in litaniis haud infrequentia fuiſſe perdiſcimus tum ex MARTENIO *de antiq. Eccle. rit. lib. IV. cap. XXXVII. n. 1.*, tum e pervetuſto libro, qui inſcribitur: *Libro delle Litanie ſecondo l'ordine di S. Ambroſio per la Città di Milano*. Velim tamen, ut Lector BUGATUM adeat, de Litaniis Triduanis, aliiſque apud Ambroſianos uſitatis egregie differentem in libro inſcripto *Memorie .... di S. Celſo M. cap. XIII. & duobus ſequentibus*. Harum Litaniarum frequens in Eccleſia uſus eſt, non ſolum in publicis ſupplicationibus, ſed etiam in rituali Sabbatho San-

cto ante

cto ante fontis benedictionem, in commendatione animae, in creatione novi Ducis, ante Conciliorum celebrationem &c. In aliquibus pervetuſtis Kalendariis Litaniae cujuſque menſis initio, in Martyrologiis vero multo ſaepius *indicendae* praeſcribuntur. Voce illa Sanctorum commemorationes, ſingulis menſibus, ac ſingulis menſium diebus adſignatae, dictae videntur *Litaniae*. Adi FLORENTINIUM *admonit. VIII.* praevia in Martyrol. HIERONYM. 4. Inter Litanias locum habent fauſtae quaedam *adprecationes*, quae inter Miſſarum ſolemnia, poſt *Hymnum Angelicum*, concini olim conſueverant, Jeſu Chriſto, & Sanctis invocatis in adjutorium Summi rotius Eccleſiae Pontificis, loci Epiſcopi, & Epiſcoporum, & Clericorum ordinis, Principum etiam virorum, Imperatorum, Regum, judicum, & militum exercitus. Ejuſmodi ſunt quas GOLDASTUS *T. II. Rer. Alammanic. p. 11.* vulgavit *pro* HLUDOVVICO *a Deo coronato magno, & pacifico Rege, &* HEMMA *Regina, ac nobiliſſima prole Regali, & judicibus, atque cuncto exercitu Francorum, & Alamannorum*. Vide citatum de RUBEIS *cap. 31.* ubi plura de hujuſmodi adprecationibus minime obvia congerit. Vide etiam ſupra Laudes.

LITANIAE B. M. V. Si nobis, inquit, Cl. ALTHAN in diſſertation. *de Kalend. p. 78.*, aliquid conjectare licet, quaſdam in honorem Virginis Litanias ſaeculo ſeptimo extitiſſe arbitramur. Cardinalis enim Baronius ad annum 638. HONORIUM Summum Pontificem ſtatuiſſe enarrat, *ut omni hebdomada Sabbathi die exeat Litania, &c.*, quae cum die Sabbathi Sanctiſſimae Virgini ſacro conſtituatur, hinc credere in illius quoque honorem eamdem fuiſſe peractam ſatis veroſimile eſt. Sic etiam tum quidem diem Sabbathi Virgini ſacrum fuiſſe conjicere datur. Nihil quoque a veroſimili diſtat hujuſmodi haberi Litanias illas, quae quibuſdam feſtivis diebus Virgini ſacris anno 701. a SERGIO Papa conſtitutae fuerunt, teſte ANASTASIO illius Pontificis Vitae, ut putatur, ſcriptore. At nil mirum eſſe debet, SERGIUM Papam octavo ſaeculo in honorem Virginis Litanias indixiſſe, quum eodem ſaeculo Summi Pontifices GREGORIUS, & ZACHARIAS illius decantare officium parvum Monachis praeceperint, quemadmodum in Hiſt. Ab. *Caſſinen.* Eruditus Abbas D. *Eraſmus* GATTULA PETRI Diaconi auctoritate ſuffultus nobis enarrat. Peculiares quaſdam Virginis Deiparae Litanias ex *Forojulienſi* Codice laudatus de RUBEIS profert *p. 406.* Verum, ut *p. 409.* idem monet, praeter Litanias communes *de Sanctis*, in Breviariis & Miſſalibus, ac Pontificali, & Rituali *Romano* contentas, ac praeter Litanias *de Beata Virgine*, quae vulgo *Lauretanae* vocantur, alias non licet publice recitare, ſive in Eccleſiis, ſive in Oratoriis, ſive ſacris in ſupplicationibus, aut Proceſſionibus, abſque facultate Sacrae Rituum Congregationis, ſub poenis arbitrio Ordinarii, vel Inquiſitoris fidei infligendis. Decretum CLEMENTIS VIII. conſule anno 1601. editum apud *Stephanum* QUARANTA in *Summa Bullarii*.

LITURGIA univerſali quadam ſignificatione redditur publicum miniſterium. Hinc omnis Dei cultus Eccleſiae auctoritate conſtitutus Liturgia appellari non immerito adſolet. Itaque apud *Graecos* communis eſt vox liturgia, de qua obſervat BONA ex *Vinc.* RICHARDO in comment. ad PROCLUM *de traditione Miſſae*, quod quando Patres (quod quam ſaepiſſime faciunt) vocem

Digitized by Google

vocem liturgiae pro ſacrificio uſurpant, ſemper epitethon *ſacrae*, vel *myſticae* adjungant; certumque eſt olim etiam aliis partibus divini officii eam vocem eſſe adhibitam, quemadmodum Concilium *Epheſinum* in ep. Synod. ad Imp. *veſpertinas*, *&* *matutinas liturgias* commemorat. Vide GALLICCIOLLIUM *Iſagog. cap.* 1.

LOCELLUS *ſcevocartalis*, vox ANASTASII in SERGIO *T. I. p.* 307.; capſula, qua epiſtolae, aliaque ſcripta huc illuc clauſa mitti, ac deferri ſolebant. Confer VIGNOLIUM ad eum ANASTASII locum.

LOCULUS, tumulus. ANASTASIUS, & veteres Chriſtiani Lapides non ſemel.

LOGOTHETA, Eccleſiaſticum officium, quod deſcribit CODINUS *de offic. Aulae CPolit.*, *&* *magnae Eccleſiae*. Erat autem Logothetae ſcribere rationes, & quidem ad Principem Sacerdotum pertinentes. Simul *oeconomi* Eccleſiaſtici officium Logothetam obiiſſe, ex Vita S. Joh. Elemoſynarii conſtat.

LOTIO Altarium ſolemnis apud Chriſtianos vel feria V. in coena, ut *Romae*, (Vide BATTELLUM) vel in Paraſceve. Adi MENARDUM *ad Sacram not.* 297., & MARTENIUM. In Eccleſia *Graeca* fit lotio tantum a Patriarcha, vel Metropolitis ex Euchologii praeſcripto, primum quidem cum Aqua benedicta, deinde vero cum aqua roſacea. In quibuſdam Eccleſiis ad Altarium lotionem adhibebantur hyſſopus, aqua, & vinum. Vide ſupra V. Liquor.

LOTIO MANUUM. Ritus eſt plane antiquus. De eo vulgatus S. DIONYSIUS *Hierarch. Eccl.* l. 3. n. 10., Conſtitutiones Apoſtolicae *l.* 8. *c. II.*, S. CYRILLUS Hieroſolymitanus *Catech. myſt.* 5.; Auctor *quaeſtionum veteris*, *&* *novi Teſtamenti* inter opera S. AUGUSTINI quaeſt. 101. adſerit, hunc ritum per omnes Eccleſias ſervari. Aquam lavandis manibus in aliquibus Eccleſiis miniſtrabant Diaconi, in aliis Subdiaconi, in aliis Acolythi, in *Hiſpania*, teſte Sancto ISIDORO *epiſtola ad Laudifredum Cordubenſem*. Ad Subdiaconum pertinebat *Presbyteris*, *&* *Levitis pro lavandis ante altare manibus aquam praebere*; ad Diaconum autem infundere aquam manibus. In Eccleſia *Poſnanienſi* teſte NICOLAO de PLOVE in *expoſitione Miſſae* uſque ad praefationis finem differebatur, dicto a nonnullis pſal. *Lavabo*, & a quibuſdam omiſſo propter Canonis continuationem. In Eccleſia autem *Ambroſiana* dictus Pſalmus non legitur: ablutio enim manuum differtur uſque ad illa verba: *Ut nobis Corpus*, *&* *Sanguis fiat*. Apud *Carthuſianos* Celebrans lavat manus poſt verſiculum Symboli *&* *incarnatus eſt &c.* aquam miniſtrante Diacono. Verum apud *Mozarabes*, & in *Romana* Eccleſia poſt ſuſceptas oblationes manus a Pontifice lavabantur. Sub ſaeculi XIV. initium manuum, thurificatione expleta, in dextera altaris parte iterum a Pontifice abluendarum mos *Romae* coepit, qui non ab omnibus tamen ſervabatur.

LOTIO PEDUM. V. Mandatum.

LUCERNAE. V. Lampades, Cerostata, Coronae, Farus &c.

LUCERNALIS GRATIARUM ACTIO S. GREG. NYSSENO in Vita S. MACRINAE ſunt veſperae: aliis vero *Lucernarium*, *officium Lucernarum*, *Lucernalis hora*, & URANIO in epiſt. *de obitu* S. PAULLINI Nolani, *devotio Lucernaria*, quia valde ſero recitabatur, & cerei, nec non lampades

ad hoc

Digitized by Google

ad hoc officium adcendebantur. Confundenda tamen non eſt *Veſpera* cum *Lucernario*, ſeu cum precibus, quae ad adcendendas Lucernas in Eccleſia dicebantur ante Veſperas, quaeque *Lucernarium* etiam fuere appellarae. Nonnullae enim preces fiebant in Lampadum adcenſione, uti colligitur ex officio *Mozarabico*, in quo Veſperae incipiunt ab Oratione, quae recitatur, dum lampades adcenduntur, diciturque *Lumen offerre*. Recitatur autem *Kyrie*, *Chriſte*, *Kyrie*, *Pater noſter*, deinde *in N. D. J. C. lumen cum pace*, *Amen*, *hoc eſt*, *lumen oblatum*, & reſpondetur *Deo Gratias*. V. Hymnus Vespertinus.

LUMINARE, Lumina, Cerei adcenſi &c. *Luminare erit ſimile ad Miſſam, quale fuit ad Placebo, & Dirige &c.* Conſuetud. S. GERMANI a *Pratis*, agentes de Anniverſario Regis CHILDEBERTI apud MARTENE. Et ex Chron. S. BENIGNI *Divionen.* THEOBALDUS quidam fundavit, & Inſtituit luminare in die ſolemnitatis Corporis Chriſti, & per octavas. Vide Candela.

LUMINUM Feſtum. Vide Dies Luminum.

LUNA in Martyrologio pro die ponitur, idque a diverſis Nationibus olim uſurpatum conſtat: unde S. AMBROSIUS in epiſt. *ad Epiſc. per* Aemiliam *conſtitutos: Naturalis*, inquit, *uſus Nationum exterarum lunam pro diebus appellat*. Vide BARONIUM in not. *ad Martyr. die I. Januarii*.

LYCHNUS, LYCHNUCHUS. Monui alibi ex PANVINIO, ut delphini coronis, & pharis cantharis ardentibus adtribuuntur, ſic Lychnos, & Lychnuchos Lucernis. Sed ANASTASIUS Bibliothecarius lucernam pro Lychnorum ſuſtentatione, ſive candelabro accepit. Lychnum vero, ſeu Lychnuchum pro Lampade ipſa ardente.

Finis Tomi primi.

Digitized by Google

Die 8. Julii 1785.

Vidit pro Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Domino Vitale Joſepho Marchione de Bobus Epiſcopo Faventino D. Matthæus Joannardius Parochus SS. Salvatoris, & in Seminario Theologiæ Moralis Profeſſor.

Die 18. Julii 1785.

I M P R I M A T U R.

Fr. Angelus Maria Merenda Ordinis Prædicatorum Sacræ Scripturæ Lector, ac Vicarius Generalis Sancti Officii Faventiæ.

VA1 152917

Digitized by Google